# ACTA ERUDITORUM

ANNO
M DC IC
publicata,

*Cum S. Cæsareæ & Regiæ Polonicæ Maje-ſtatum privilegiis.*

---

*LIPSIÆ.*

Proſtant apud JOH. GROSSII Hæredes
& JOH. THOM. FRITSCHIUM.

---

Typis JOHANNIS GEORGII.
A. M DC IC.

N. I.

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipsiæ*

*Calendis Januariis*, *Anno* MDCXCIX.

---

## *SS. PATRUM, QUI TEMPORIBUS APOSTOLICIS FLORUERUNT, Opera genuina & suppositititia, a J. B. COTELERIO olim edita, nunc denuo recensita & variis accessionibus notulisque nonnullis aucta, ac in duo volumina digesta a JO. CLERICO.*

Antverpiæ apud Huguetanos, 1698. in fol. Alph. 17.

MAgna, dum viveret, J. B. Cotelerii fama fuit, individua ejus a teneris & inter ipsa crepundia comes, ad rogum usque eum secuta, imo ne post fata quidem illum destituens. Natus ille fuerat anno hujus seculi XXVII apud Nemausenses, patre viro docto Joanne Cotelerio, matre Maria Deyronia, quæ materno genere Grossorum familiæ iunexa, Clementem IV, Pontificem quondam Romanum, inter stirpis suæ ornamenta connumerabat. Septennium vix excesserat, cum carmine Latino apud Nemausenses inter ludos scholasticos recitato, oratione item, qua Henricum Borbonium Condeum, & alia, qua Carolum Schombergium Ducem Halluini salutaverat, omnium oculos in se converteret, præclarissimamque de indole sua expectationem excitaret. Sed quid alia ætatem superantis ingenii commemoremus specimina? cum anno 1638 testem illustrissimum, magnum illud Franciæ columen, Armandum Richelium nactum id fuerit, qui brevi & eleganti panegyrico a Cotelerio puero laudatus, palam eum commendare dignatus est, proximoque anno denuo sisti sibi voluit. Atque tum quidem a P. Josepho Capucino, qui doctissimus eo tempore ha-

bebatur, multa interrogatus, ipso Josepho palam fatente, amplissime ei in omnibus satisfecit. Nolumus jam prolixe repetere, qua ratione Illustrissimo Franciæ Cancellario Petro Seguierio, Jacobo Sirmondo, Dionysio Petavio aliisque publicæ & litterariæ rei proceribus ingenium summasque dotes suas approbaverit; at quæ in Comitiis generalibus Cleri Gallicani, anno 1641 Medontæ in diœcesi Carnotensi celebratis, ab eo gesta fuerint, præteriri non possunt. In iis non indignum sua, quam sustinebat, personæ arbitrabatur Leonorius Carnotensis Episcopus, de virtutibus Cotelerii pueri amplissimis verbis facere mentionem. Qua in admirationem rapti auditorum animi, videre eum præsentem omnes quam maxime avebant. Quid ergo ille? Utriusque Fœderis libros coram illustri hoc consessu promte interpretabatur, objectis expedite & suaviter respondebat, Euclidis definitiones nonnullas explicabat, utque ista omnia, tanquam monstri aliquid habentia, in commentarios Comitiorum, in æternam rei memoriam referrentur, consequebatur. Philosophico inde, qui dicitur, cursu in Collegio Grassinæo absoluto, propugnatis Græco sermone ex omnibus disciplinis thesibus, anno 1643 artium renunciatus est Magister, ad Regis Reginæque colloquium multo cum honore paulo post admissus. Primum in Theologia gradum anno 1647 consecutus, actum Theologicum, qui Robertina dicitur, sequenti anno sustinuit, anno 1649 Doctorum 88, qui in illo consessu tum erant, unanimi suffragio in Sorbonam cooptatus. Integrum posthac lustrum Ebredunensis Archiepiscopi Georgii Albuconii, qui eo carere nolebat, causa Ebreduni exegit, cujus temporis partem longe potissimam sibi periisse queri sæpe solebat, & libris & virorum doctorum commerciis penitus destituto. Lutetiam vero redux, fixis ibi sedibus, anno 1660 ineditas quasdam Chrysostomi in Psalmos homilias, & interpretationem in Danielem Prophetam ex Bibliotheca Scorialensi nactus, Latine vertit & publici juris fecit. Ab eo autem tempore Patribus Apostolicis operam suam addixit, cui tamen moras quasdam injici autoritate illustrissimi Colberti passus est. Hic enim cum recenseri atque in ordinem redigi manuscriptos Bibliothecæ Regiæ codices vellet, Cotelerium Græcis libris tractandis aptissimum judicabat, atque propterea has illi tutissime partes dari posse arbitrabatur. Nec sine insigni sive Cotelerii, sive literariæ rei id factum fuit emolumento. Illi enim

nim codicum, quibus gaza vere regia ſuperbit, uſum liberiorem, & Græcam in Academia Pariſienſi Profesſionem, anno 1676 ſuſceptam; huic vero tres Monumentorum Eccleſiæ Græcæ tomos utilisſimus ille peperit labor. Jamque in eo Cotelerius erat, ut quartum tomum ceteris tribus adderet, cum morbo, quem inflammatorium pectoris affectum Medicorum appellitant filii, gravisſime impeteretur. Vena inciſa malo erat occurrendum; ſed iſtud medelæ genus, quod paulo ante familiari cuidam ſuo parum feliciter cesſiſſe noſſet, adeo reformidabat, ut occultandum potius morbum, quam illud admittendum eſſe cenſeret. Serius itaque adhibitum nihil ei profuit, proruenti ad mortem tum quam maxime, cum ſummo ſtudio eam evitare contenderet. Vivis ergo excesſit IV Idus Auguſti anno Chriſti 1686, ætatis vero ſuæ 56, & pupillum quaſi parente ſuo orbum reliquit quartum Monumentorum Eccleſiæ Græcæ tomum. Sed bene eſt, quod in doctisſimi Baluzii, cujus epiſtolæ de vita Cotelerii ad Em. Bigotium ſcriptæ, omnia hactenus allata debemus, ille pervenerit manus, qui paterno affectu fœtum iſtum fovet, publicæ luci, ubi occaſio tulerit, eum expoſiturus. Quod ut fauſtis tandem auſpiciis fiat, tanto optandum eſt magis, quod præter cetera egregia monumenta, Aſterii, Heſychii, Ephræmi, Chryſoſtomi, Antipatri Boſtrenſis, & Anaſtaſii Sinaitæ homiliæ variæ, Baſilii Cæſarienſis opuſcula ſex, Diadochi Epiſcopi Photices definitiones, Photii collectiones & demonſtrationes e ſynodicis & hiſtoricis ſcriptis de Epiſcopis & Metropolitis, Conſtantini Porphirogennetæ conſtitutio de iis, qui ab inteſtato moriuntur, Joannis Antiocheni demonſtratio de euchariſtia, Theodori Balſamonis epiſtola ad Metropolitam Philippopoleos, Marci Epheſini exegeſis eccleſiaſticorum dogmatum, vita S. Theodoſii Archimandritæ ſcripta ab ejus diſcipulo Theodoro Epiſcopo Patrenſi, & denique Eunomii hæretici apologeticus, in eo inveniantur.

Verum quid Patribus Apoſtolicis, de quibus præcipue agendum erat, factum denique ſit, cur diu adeo differimus memorare? Illi anno 1672, poſt varias moras, in lucem denique prodierunt, tanto doctorum hominum eos proſequente plauſu, ut Soli lampadem accendere velle merito videremur, ſi noſtris præconiis hic quicquam opus eſſe exiſtimaremus. Aſt enim vero tanta ſubito, neſcio unde, exemplarium orta eſt caritas, ut paucisſimis theſaurum illum in ſcriniis ſuis

asservare datum fuerit. Quamobrem tanto majoris clarissimis viris, qui novæ editionis curam suscepere, gratiæ debentur, qui non copiam tantum ejus denuo facere, sed & cum augmento ad doctorum hominum manus illum pervenire voluerunt. Facturosque adeo nos operæ pretium existimavimus, si quid hæc editio, quo palmam priori præripiat, habeat, exposuerimus. Ad Barnabæ itaque epistolam illa non Cotelerii tantum, sed Menardi etiam, Is. Vossii atque editoris Oxoniensis notas exhibet, textui, uti in reliquis, ita hic quoque semper subjectas; quibus & accedunt Joh. Clerici observationes nonnullæ, quas reliquis quoque Patrum Apostolicorum scriptis passim adspersit, perpaucæ quidem illæ, cum uberiores concinnari alia negotia, ut ipse fatetur, prohibuerint, non indoctæ tamen & ad textus emendationem plerumque spectantes. Hermæ Pastori accessere variæ lectiones & notæ editionis Oxoniensis. Clementis Epistolæ subjiciuntur, præter Cotelerianas, Patricii Junii, Joannis Felli, & Pauli Colomesii notæ: quid quod nonnulla addita sint, quæ manus Viti cujusdam doctioris editionis prioris alleverat? qui Clementis Romani litteris varias lacinias assutas fuisse, ex Clementis Alexandrini maxime allegationibus evincere conatus fuit. Sic v. g. totam istam ῥῆσιν, quæ ad Paulum Apostolum spectans sub finem capitis V occurrit, a verbis τὸ γενναῖον usque ad ὑπογραμμὸς, a manu aliena infertum esse suspicatus est. Sic ad cap. XVII observavit, verba ista non longe ab initio capitis posita, οἵτινες ἐν δέρμασι &c. Clementem Alexandrinum jungere cum cap. IX. Epistolæ hujus, atque exinde colligit, omnia, quæ in modernis editionibus media inter duo illa loca comparent, interpolatorum esse, quod Hieronymum tamen in Comm. ad Esaiam non observasse miratur. Sic ad capitis XXI verba illa τῆς προηγεμένης ἡμῶν &c. annotat, omnia apud Clementem Al. Str. IV p. 517 cohærere egregie, cum in exemplaribus hodiernis plane sint perturbata, & ex eo misere corrupta. Ex eodem restituenda esse censet omnia, quæ capite XXII habentur, & adulterina esse concludit, quæ cap. XXIII usque ad XL leguntur, eademque in Constitutionibus Apostolicis etiam legi observat. Quæ toto cap. LI habentur, efficta esse ex Clemente Alexandr. p. 519 censet, atque intempestive prorsus inserta; ut alia quædam hujus generis taceamus. Constitutionibus Apostolicis in hac editione ad calcem adjectæ sunt Notæ Beveregianæ ex Synodi-

dico ejus descriptæ: Recognitionibus vero omnes in margine adscriptæ leguntur variæ lectiones, quæ hactenus observatæ fuerunt. Clementinis, quod opus autoris Ebionitæ, qui seculo post Christum natum secundo floruerit, esse doctissimus Clericus censet, & Epitomæ Clementinæ nihil, quod in priori editione non compareat, accessit. Ex duobus scriptis de martyrio Clementis & anniversario ad sepulcrum ejus miraculo varia menda, quibus antea laborabant, sublata sunt: nec quicquam restat de priori hujus operis tomo commemorandum, nisi quod nonnullæ doctorum Virorum epistolæ, quibus judicia sua de variis scriptis ævi Apostolici exposuere, eidem præmissæ leguntur. Sunt illæ Gul. Laudi, Hieron. Bignonii & Is. Vossii, quibus & ea accedit, quam Steph. Baluzius ad Emericum Bignotium de vita Cotelerii scripsit. Jam in altero tomo Epistolæ Ignatii comparent ea facie, qua a Cotelerio fuerunt editæ, quibus tamen integræ Jac. Usserii & Isaaci Vossii notæ accesserunt, omissis Vedelii & aliorum rhapsodiis. Martyrio Ignatii Usserianæ itidem notæ in hac editione adjiciuntur, ut & quas ille Ignatio suo subjunxerat, Tiberiani, Plinii & Trajani epistolæ a Cotelerio prætermissæ cum ejusdem observationibus; eædemque in Epistolam & Martyrium Polycarpi Cotelerianis junctæ in hac editione leguntur. Denique in ea, ut nihil magnopere in hac Apostolicorum Patrum Bibliotheca desideres, Beveregiana Codicis Canonum Apostolicorum Defensio, cum Prolegomenis Usserianis ad Ignatium, & Vindiciis Epistolarum Ignatii Pearsonianis comparent, quibus coronis nobilissimo operi imponitur.

Plura dicere de scriptis, quæ tantum non omnia in doctissimi cujusvis manibus versata fuerunt, supervacaneum forsan esset. Id tamen adhuc monere abs re haud forsan fuerit, textum scriptorum Apostolicorum ita semper repræsentari, ut exemplar Coteleríanum exacte, nisi ubi manifesti sunt præli vel amanuensis erroris, exhibeat. Singulis vero scriptis testimonia non veterum tantum, sed recentiorum quoque, quorum illustris in rebus Ecclesiasticis opera fuit, judicia copiose præmissa conspici.

*NOVUM TESTAMENTUM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, ex versione vulgata, cum paraphrasi & annotationibus HENRICI HAMMONDI. Ex Anglica lingua in Latinam transtulit suisque Animadversionibus illustravit, castigavit, auxit JOANNES CLERICUS.*

Am-

Amstelodami, apud Georgium Galletum, 1698. fol.
Alphab. 9. cum dimid.

Linguæ Anglicanæ ignaros, ast celeberrimi tamen Hammondi commentariis in Novum Testamentum frui cupientes, ad Matthæum Polum amplissima inde excerpta in Synopsi Criticorum exhibentem nos in Actis hisce nostris anno 1687. p. 127. ablegasse probe meminimus. Sed nunc ea nobis obtingit felicitas, ut de integris hisce Commentariis in Latinam linguam translatis certiores facere & illos queamus, qui sitim forte suam nondum penitus isthoc consilio levari deprehenderunt. Votis namque nostris, quæ tunc publice fundebamus, cum in recensendis post vitam eruditissimi Hammondi operibus ejusdem junctim Anglice vulgatis prolixe versaremur, diligentia Johannis Clerici nunquam defatigata ea quidem in parte respondit, quod tertium istorum volumen, seu ipsam hanc paraphrasin & annotationes in Novum Testamentum habitu Latino elegantissime induit, & ita quidem, ut variis quoque augmentis opus a quamplurimis huc usque expetitum liberalissime ditaverit. Solum sane istum vertendi laborem inglorium nimis existimans, ea potius cura in hoc negotio versari voluit, ut partem observationum in his Commentariis occurrentium haud exiguam suo vindicare ingenio valeret. Nec munere etiam vulgaris in ipsa translatione interpretis ut fungeretur, sufficere jam tum est arbitratus. Stylum etenim Hammondi horridum & parum castigatum offendit, perpetuasque improprietates ac duras vocum pariter & rerum connexiones per parentheses integris sæpe paginis a se invicem divulsas, periodosque longissimas & intricatissimas obscuritatem valde molestam parere cognovit, ac proin, ne vitiis iisdem Latinus quoque sermo coinquinaretur, sensu quidem ipso nuspiam mutato, in meliorem cuncta ordinem sollicite redegit, durissimumque Hammondi calamum ubivis fere emollire studuit. Quamvis difficultatem omnem tollere sibi penitus haud licuisse, ultro fateatur, præsertim in paraphrasi, in qua Apostolos prima persona loquentes introducens Hammondus ipse interim persona tertia usus sua non raro immisceat, quæ tamen vel characterum varietate distinguere conatus fuerit, nisi quod aliquibus in locis nec ista medela satis ex voto processerit, maxime in Apocalypsi, ubi Hammondus, nulla prorsus decori ratione habita, Johannem sæpe non ut Prophetam futura

tura prædicentem, sed velut præterita, quæ vaticinatur, enarrantem inducat. Nihil de cætero resecuit, præter otiosa quædam synonyma orationis significatui dilucidando emolumentum nullum afferentia. Scripturæ vero loca ad verbum plerumque in observationibus ab Au-ctore theses suas probaturo repetita decurtavit, & in nudam quando-que allegationem recensum istorum uberiorem convertit. Multa deinceps annotatis addidit, iisque distinctionis causa nomen suum si-gillatim ubique subjecit. Varia autem in his interpretatus est, quæ minime attigerat Hammondus, sæpe etiam hunc confutavit, veterum Scriptorum loca propemodum omnia ex ipsis fontibus descripsit, & accuratiora ea passim exhibuit. Tria interim potissimum cum habeat Hammondus, quæ se invenire subinde autumet in dictis etiam ejus-modi, in quibus exponendis ad alia omnia Interpretes alii respiciunt, *Gnosticos* nempe, *obsidionem Hierosolymitanam* & *disciplinam Eccle-siasticam*; idcirco ad hæc delatus censoriam ille virgulam non semel strinxit, & his adeo ac aliis accessionibus quinta minimum parte aucti-us volumen præsens reddidit.

Ne tamen generatim modo operis hanc faciem adumbrare voluisse videamur, juvabit hactenus dicta exemplis quibusdam illu-strare. Sed cum tanta sit additionum a Clerico profectarum multi-tudo, ut quo nos vertere primum, & quas præ cæteris seligere debe-amus, judicatu prope difficillimum appareat; ideo vel solum Evan-gelium Matthæi perlustrasse, & e subjectis ei annotationibus nonnul-las delibasse sufficerit. At simul tamen e tribus stis, ad quæ præter rem Hammondum toties respectum habuisse novus hic ejusdem In-terpres monuit, Gnosticos eligemus, & quænam de his illius sit sen-tentia, quæque hujus vicissim ἐπίκρισις, per allata in medium speci-mina potiora demonstrabimus.

Hammondo minime assentitur Clericus, quando is ad Matth. III, 11. observat, Diabolum baptismum Johannis per aquam, qui ba-ptismi Christi per aquam & ignem quædam velut præparatio dicendus veniat, in gentilibus per aquam & ignem lustrationes suas instituere solitis fuisse imitatum; has enim baptismo longe antiquiores facit Clericus, cumque igne & aqua sordes purgari constet, non mirum esse ait, si symbola purgationis animi apud gentes multas constituta fue-rint. Dum ad Cap. XI, 28. Dæmones olim habitasse in sepulcris an-

notat

notat Hammondus, ut vanam illam in hominibus opinionem confirmarent, qua mentes humanas post mortem dæmones fieri crediderint, Platonicis eum accenset Clericus, quos itidem, dæmones circa sepulcra errare, firmiter persuasum sibi tenuisse constet. Male porro eundem habet, quod in observatione ad Matth. X, 16. affirmavit Hammondus, Scriptores sacros isto passim idiomate uti, quo imperativos, quasi aliquid præciperent, adhibeant, cum tamen vel sola subsit prædictio, quidnam futurum sit, significans, vel permissio, qua, quid liceat, indicetur; unde exempla ab hoc adducta ille examinat, nullius que ea esse roboris ostendit. Ibidem vocabulum ἀκέραιος minus congrue exponi ab Hammondo ait per eum, qui non lædat, cum talem potius, qui, cum prudens sit, in calliditatem tamen aut versutiam non incidat, sed candidus & ingenuus haberi queat, designet. Quam infames fuerint τελῶναι, docere Hammondum ad Cap. IX, 10. innuit. Sed Christi temporibus in Imperio Romano duo addit hominum fuisse genera, qui τελῶναι vocari potuerint. Fuisse enim Publicanos Equites Romanos honestissimos, qui vectigalia redemerint, quosque passim laudet Cicero. De his quod in Evangelio agatur, vero haudquaquam simile existimat, & satis liquere ait, Matthæum, qui τελώνης dicatur, ex eo genere non fuisse. Etenim Romanos illos Equites per se portoria non exegisse, sed per libertos & servos, ac sortis humilioris provinciales, qui vectigalia vi sæpe extorserint, & plus quam jure debebatur, exegerint, famæ ita suæ notam maxime probrosam inurentes. Quod vocem ᾅδης de statu mortuorum, quam de inferno ad Matth. XI, 23. accipere maluerit, non leviter in eo reprehendit; nec satis exactum esse illius judicium affirmat, quando ad Cap. XX, 15. statuat, quod Christus parabolas suas sæpe ex veterum Rabbinorum ore attulerit. Non enim Θεοδιδάκτου Doctoris esse censet, vulgatas parabolas quasi suas audientibus proponere; ac præterea ullum ante Christi tempora iisdem, quibus hic, parabolis fuisse usum, haud constare obtendit. Cap. eod. v. 16. per τοὺς κλητοὺς Hammondus intellexerat conversos ad Christianismum, licet hi non semper præceptorum Christi æquos se observatores gererent. At Clericus in ista locutione, *Multi vocati, pauci electi*, proverbialem quærit formulam, petitam a delectu militari, quo apti armis ferendis omnes adesse jubeantur ad certum diem, adeoque vocentur in locum quempiam, ubi tamen e pluri-

plurimis strenuissimi duntaxat eligantur. Sensum igitur illius esse hunc: inter multos, qui idem aggrediantur, paucos esse eximios, & dignos, qui præferantur cæteris. Quem sensum optime convenire arbitratur cum scopo allatæ a Christo parabolæ, quæ doceat, perpaucos esse ex credentibus, qui singulari mercede digni sint. Zachariam a Christo Matth. XXIII, 35. introductum de illo interpretatur Hammondus, quem Josephus a Judæis Zelotis in medio Templo paulo ante obsidionem Hierosolymitanam trucidatum perhibeat. Verum ei se opponit Noster, & Christum ad 2. Paral. XXIV. respicere vero magis dicit esse congruum. Singulare est, quod ad Cap. XXIV, 4 Vespasianum Christi velut imaginem fuisse judicat Hammondus, plurimisque in partibus comparationem inter utrumque instituit; unde haud præter rem fortassis ab Interprete castigatur. In effato Christi: τȣτό ἐςι τὸ σῶμά μȣ, Cap. XXVI, 26. vocem τȣ̃το non ad panem, sed ad τὸ λάβετε, φάγετε, referri debere indefinito sensu: *Hoc*, id est, accipere, manducare *designat corpus meum*, Hammondus, Clerico parum approbante contendit. Judam non ex suffocatione ob mœrorem orta obiisse, sed laqueo vitam finiisse, idem hic ad Cap. XXVII, 5. adversus istum innuit; prout & paulo post sepulcra ab eo in monte Templi obvia statui, incongruum appellat. Quod latronum cum Christo crucifixorum uterque Dominum ab initio contumeliis prosciderit, Hammondo ad Capitis citati v. 44. ita sentienti non credit, magisque putat vero apparere simile, alterum cognito Jesu jam resipuisse & in eum credidisse, antequam in carcerem conjiceretur. Cum enim latrones non ob recentia duntaxat, sed ob vetera etiam latrocinia plectantur, & hunc post actam demum pœnitentiam a Romanis captum, latrociniique convictum & in crucem actum conjicit.

Sicut autem & ad loca quædam, quæ Hammondus aut penitus attingere aut latius deducere noluit, Clericum nonnulla protulisse superius monuimus; sic itidem istius generis exempla aliquot legenda heic apponere (libero tamen de plerisque judicio cuilibet, ac Theologis præcipue, ceu par est, relicto,) non inconsultum arbitramur. Ad Matth. II, 2. προσκύνησιν Magorum coram Christo non de cultu divino accipit; haud etenim novisse eos, Jesum esse Dei Filium, sed tantum fore maximum Regem, cui ideo honorem Regibus in Oriente reddi solitum exhibuerint. Tempore Christi varias apud Judæos

de ſenſu prophetiarum traditiones ab ipſiſmet Prophetis diſcipulis ſuis commiſſas, & ab his deductas ſuperaſſe, ad capitis ejusdem verſum 15. innuit; alias namque nec Matthæum nec quenquam forſan alium fuiſſe judicaturum, quod in allegatis ibi verbis Hoſeas de re præterita loquens, eventum tamen aliquot ſeculis remotum & priori illo adumbratum in animo habuerit. Quæ Matth. IV, 1. ſqq. de tentationibus Chriſti narrantur, huic facilius in viſione ſeu ſomnio, quam reapſe accidiſſe ſibi perſuadet, ac valde durum videri cauſatur, Salvatorem ſanctiſſimum ita Cacodæmoni permiſſum, ut ab eo per aerem vectaretur; iſtamque regnorum totius orbis imaginem non magis potuiſſe e monte, quam ex planitie oſtendi; quid enim in monte cernas præter ſylvas, agros, fluvios, pagos, oppida, aliaque ſimilia, & quidem e longinquo? hæc autem vix vocari in ulla lingua regna mundi & gloriam eorum. Κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι Matth. XI, 28. ipſi ſunt ſoli Judæi, qui *feſſi* dicantur ob frequentia itinera Hieroſolymam ex lege facienda, & ab iis, ne Deum offenderent, non ſine gravi moleſtia ſuſcepta; *onuſti* autem ob ritus legales & ea omnia, quæ Deo, Sacerdotibus & Levitis fuerint ſolvenda, quæque magis quam charitas & reliquæ virtutes urgeri ſueverint. Chriſtum igitur, cum *mitem* ſe appellet atque *humilem*, legis Doctoribus, præſertim ex Sacerdotali genere, ſe opponere, qui onera illa legis crudeliter exegerint, ac Judaicam plebem ſibi vectigalem animadvertentes non parum ſuperbierint. Effatum Chriſti de portis inferorum non prævalituris contra Eccleſiam, Matth. XVI, 18. de Petro potius exponit, & teſtimonium ei a Chriſto perhiberi ait, ipſum in prædicatione Evangelii ab impoſito munere deterritum non iri præſentiſſimo etiam mortis periculo, quin ipſa morte, utpote quam per portas inferorum deſignari ſibi perſuadet. Cap. XXIIX, 19. verba: μαθητεύσατε, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς ὄνομα &c. id continere tradit: *per baptiſmum facite, ut fiant & dici velint diſcipuli Patris, Filii & Spiritus Sancti.* Mentem vero ſuam ut uberius declaret, obſervat, Judæos potuiſſe vocari diſcipulos Patris, quia ſe tales profeſſi fuerint; Apoſtolos, antequam accepiſſent Spiritum Sanctum, cæterosque Chriſti diſcipulos jure dictos fuiſſe diſcipulos Patris & Filii; ſed baptizatos ab Apoſtolis diſcipulos fuiſſe Patris, voluntatem ſuam in Veteri Teſtamento revelantis, Filii in Evangelio loquentis, & Spiritus Sancti per Apoſtolos præcepta Patris & Filii clarius exponentis.

De-

Denique ut de locis, in quibus Gnosticos ab Hammondo frustra notatos animadvertit Clericus, gustum aliquem benevolo Lectori præbeamus, ad illustrem imprimis textum 2. Thess. II, 3. seq. ipsum remittimus, ubi per ἀποστασίαν intelligit ille defectionem Christianorum ad Gnosticos; per hominem peccati significari dicit genus hominum sceleratum; Anti-Christum Simonem esse Magum una cum sectatoribus spectandum pronunciat, imo & sequentia omnia ad Gnosticos accommodat; tandemque exitium a Paulo prædictum tunc impletum refert, quando Petrus atque Paulus Romæ cum Simone contendentes infamiam ei & exitium crearint, ac Romanorum exercitus ultionem de Judæis sumserit, quo tempore Gnostici simul perierint. Ast Clericus vicissim omnia ad rebelles Judæos, & eximium præsertim eorum ducem Simonem, non magum, sed Gioræ filium, trahit, inventaque Hammondiana passim a veritate historica aberrare contendit. Gnosticos, utut eorum plurimi nec Judæi fuerint, nec Judaici fœderis proselyti, ut tamen Judæorum vitarent vexationes, his eousque obsecundatos, ut contenderent, Gentiles Christianam religionem amplexos circumcidi oportere, ac proinde a Paulo in epistola ad Galatas refutatos, in præmonitione ad hanc epistolam perhibet Hammondus. Clericus autem sicut minime sibi persuadet, quod Christianis adeo timendi fuerint Judæi in Galatia, ut Gnostici simulare cogerentur se esse Judæos, cum non essent: ita potius Judæos Christianismum quidem amplexos, sed veterum rituum retinentes, a Paulo ista scriptione oppugnari asserit. Dum Paulus, castitatem diligentissime colendam suadens Timotheo, simul eundem monuit, ut ne forsan alienorum peccatorum se redderet participem, 1. Tim. V, 22. ad Gnosticos matrimonia prohibentes & vitæ impurissimæ ansam adeo præbentes illum respexisse, vini etiam usum modicum Timotheo v. 23. concedendo Gnosticos, abstinentiam a vino velut necessariam hominibus imponentes redarguisse dicit Hammondus. Verum Gnosticos, ut matrimonium, sic vini etiam usum prohibuisse, nullo, quod idoneum sit, testimonio probari posse, Clericus affirmat. Sub Jezabele Apoc. II, 20. nominata Gnosticorum hæresin describi credit ille; verum hic mulierem forte Thyatiris quasi Prophetissam se gerentem ita dictam conjicit. In Johannis etiam Epistolis Gnosticos se invenisse autumat Hammondus, & capite statim primo versiculos 8. 9. 10. occasione istorum (quippe qui perfectos se statuerint,) conscriptos existimat. Respondet

autem e contra Clericus, Gnosticos noluisse haberi discipulos Apostolorum, qui & ea propter iis sese haud adjunxerint; unde nec Johannem eos confutandos sumsisse concludit.

## A LETTER TO THE BISHOP OF WORCESTER.

h. e.

*LITTERÆ AD VIRUM MAX. REVER. EDUARDUM EPIScopum Vigorniensem, quibus loca quædam libri sui de mente humana ab illo examinata vindicat JO. LOCKE.*

Londini apud A. & J. Churchill, 1697. 8. plag. 14.

## THE BISHOP OF WORCESTERS ANSWER.

i. e.

*EDUARDI VIGORNIENSIS RESPONSORIA ad litteras LOCKII.*

Londini apud H. Mortlock, 1697. 8. plag 10.

QUarum nuper exposuimus summam, pro SS. Trinitate Vindiciæ, a Maxime Reverendo Stillingfleeto editæ, occasionem controversiæ dederunt cum acutissimo Viro, Joanne Lockio, cujus argumentum non ignotum esse potest iis, qui meminerint, quæ ex ultimo capite Vindiciarum istarum excerpta a nobis fuerunt. Jam itaque, quid ad defendendam causam suam Lockius attulerit, videndum, qui non ingenio magis & acrimonia, quam modestia atque humanitate, quæ rarissimæ sunt in disputantibus virtutes, Summe Venerandum Adversarium suum oppugnavit; quem itidem graviter potius, quam severe cum eo egisse, atque utrumque adeo egregie sustinere, quam gerunt, personam, non sine voluptate quadam observaveris. Sub initium itaque statim litterarum suarum modestissime Lockius monet, nunquam sibi in mentem venisse Socinianas controversias, cum librum suum de Mente Humana concinnaret, nec quicquam in eo juvandi illas animo a se dictum fuisse; quamobrem paulo immitius secum ab Adversario suo actum queritur, qui Lectoribus tale quid suspicandi occasionem dederit. Deinde ægre fert, quod ab eodem dictum fuit, *substantiam* penitus fere a se ex entium, quæ ratio cognoscit, numero ex-

excludi, eam enim ſemper ſe ſupponere, nec uſpiam ad non-entium limbum relegare, locis quibusdam ex libro ſuo productis manifeſtum reddit. Quod ſi vero iſto loquendi genere Rev. Epiſcopus hoc ſibi velit, deſtructam a ſe eſſe veram, quam habemus, ſubſtantiæ ideam, dum ſubſtratum, & ſuppoſitionem rei, quam ignoramus, eam appellavit, aliisque hujusmodi nominibus eam ſuſpectam reddidit, fatetur culpam Lockius, ſed convinci cupit, quod abjecte nimis de ea ſentiat, cum nulla Logicorum definitio plus dicat, utpote qui ſubſtantiam doceant eſſe ens, *quod per ſe ſubſiſtit*, hoc eſt, aliquid ipſis ignotum, *& ſubſtat accidentibus*. Ac illud dicere, non eſſe ait ſubſtantiam ex entium claſſe excludere; alias Deum quoque abnegare dicendos eſſe, qui imperfectam ejus in ſe eſſe ideam agnoſcunt, quod nemo non mortalium fateri cogatur. His ita reſpondet Reverendus Lockii Antagoniſta, ut ea quæſtione cauſæ ſtatum contineri non dicat, an ſubſtantiam dari admittat ille? ſed ea, an ſalvis principiis ſuis certo perſuaderi rationi de ejus exiſtentia poſſit? non poſſe, ipſa a Lockio ex libro ſuo producta loca probare. Quod enim Lockius ait, concipere nos haud poſſe, qua ratione qualitates ſenſibus obnoxiæ ſubſiſtere queant, niſi *ſupponamus* ſubſtantiam eas ſuſtinentem, hoc ipſo eum prodere cauſam ſuam exiſtimat. *Suppoſitionem* enim noſtram nullam parere certitudinem, cum multa ſint quæ concipi a nobis nequeant, in quibus tamen nihil *ſuppoſitionibus* noſtris relinquatur. Quantum vero ad clariorem ſubſtantiæ ideam, de qua edoceri Lockius cupit, eam vulgarem Logicorum definitionem omnino repræſentare defendit; *ens enim per ſe ſubſiſtens* non ſimpliciter aliquid, quod ignoramus, notare, cum illud per ſe ſubſiſtere atque ab alio non ſuſtineri, aliquid amplius dicat. Sed ſatis de velitationibus iſtis: ipſas commiſſas acies paulo propius intueamur. Miratur itaque Lockius, quomodo in mentem venire potuerit Venerando Adverſario ſuo ſuſpicio, ac ſi nullas alias ipſe ideas, quam per *ſenſus* vel *reflexionem* natas admitteret, cum ſimplices tantum ideas gemina iſta ratione gigni affirmaverit, illas vero fundamentum omnis cognitionis noſtræ eſſe dixerit, utpote ex quibus, abſtrahendo, extendendo, comparando & componendo omnes ideas complexas, relativas & generales mens noſtra exſtruere ſoleat. Ut adeo hac ex parte mirum in modum ſibi cum doctiſſimo Epiſcopo convenire arbitretur, a quo nec in explicandis ideis, quam

de ſubſtantia habemus, natalibus ſeſe diſſentire, comparatis utriusque verbis contendit. Duo tamen eſſe obſervat, quæ diſplicuerint illi in ſua de ſubſtantia doctrina: primum, quod generalem ejus ideam non abſtractione & intenſione idearum ſimplicium, verum complicatione quadam earum gigni ſtatuat, dein, quod nullum aliud fundamentum ſubſtantiam habere dicat, quam ingenium & phantaſiam humanam. At harum accuſationum neutram ad ſe pertinere ſait. Quantum enim ad primam, expreſſis verbis ſe docuiſſe oſtendit, abſtrahendo nos pervenire ad cognitionem ſubſtantiæ in genere ſpectatæ; ex complicatione vero diverſarum idearum, ſubſtantiarum diſtinctarum ideas, qualis eſt idea elephanti, arboris &c. naſci docuiſſe. Quantum ad alteram, non ipſam ſubſtantiæ eſſentiam, ſed ejus, quam habemus, ideam ingenio humano ſe ſuperſtruxiſſe ait, quod cum modos ſine aliquo ſubſtrato concipere nequeat, ſubſtantiæ conceptum producat. Rei vero eſſentiam ejusque certitudinem non pendere a modo noſtræ cognitionis, cum multæ res exiſtant, quarum nulla omnino detur cognitio. Nec iſtud ideæ hujus fundamentum lubricum eſſe, cum eodem Reverendum Adverſarium ſuum etiam uti, ex denuo productis verbis ejus manifeſtum evadat. Jam quid ad illa Adverſarius? Ex eo quod omnium particularium ſubſtantiarum ideas ex combinatione idearum ſimplicium Lockius derivat, evidens eſſe cenſet, nullam ex ejus mente haberi poſſe ſubſtantiæ particularis ideam, niſi quæ ex complicatione idearum ſimplicium oriatur: & quamvis abſtracta aliqua notio ſive idea ſubſtantiæ generalis dari queat, nullam tamen realem particularis ſubſtantiæ ideam dari poſſe, quæ non ſit mera ſimplicium idearum complicatio: quæ ſimplices ideæ cum nihil aliud ſint, quam ſenſibiles quædam qualitates, nullam ſubſtantiæ ideam dari, ſed ſuppoſitionem aliquam ſubſtrati accidentia ſuſtinentis. Quod vero ad alterum Lockii effugium, certitudinem eſſentiæ alicujus rei non dependere a certitudine idearum, ſaltem reſpectu habito ad cognitionem noſtram aliter ſe rem habere, Vir Reverendus exiſtimat, cum rerum, quarum nullas habemus ideas, nulla quoque noſtra cognitio ſit: atque id, quod potiſſimum hic quæri putat, ad nullam ſcilicet certitudinem nos de ſubſtantiæ natura pervenire per nudam idearum ſimplicium contemplationem poſſe, oſtendit. Non opus eſſe putamus, ut tum alia quæ iſtis ſuccedunt, ad rem quæ agitur primario non ſpectantia

tia, tum ea imprimis repetamus, quibus neutiquam eum sibi fuisse animum, cum Lockii principia examinanda susciperet, Rev. Episcopus declarat, ut eorundem cum Autore Christianismi nihil mysterii habentis errorum & criminum reum illum perageret; quem illius principiis abusum esse humanissime agnoscit, veniam tamen sibi dandam esse existimans, quod doctrinas expendendas esse duxerit, quibus ruinosam molem suam superstruxerat iste. Quin potius ad Lockii librum redimus, ut videamus, quid Reverendo Adversario reponat, qui nullam substantiarum spiritualium in nobis existentium certitudinem dari dixerat, Lockii semel admissis principiis. Lockius enim spiritus ideam in nobis gigni ait per reflexionem, qua cogitationes nostras intuemur, quibus substratum aliquod non tribuere, substantiamque adeo spiritualem in nobis non agnoscere non possimus: idem tamen etiam fieri posse, ut systemati cuidam materiæ vim cogitandi indat Deus, admittit. Quid ergo? nonne hac ratione existentiæ spiritualis substantiæ, quæ in nobis sit, certitudo perit? Minime, si Lockium audimus. Cum enim generalis substantiæ idea eadem sit ubique, ut spiritualis ea evadat, illa modificatio, ob quam cogitantem dicimus, facit, cum eadem juncta, nulla habita aliarum ejus modificationum ratione, soliditatis v. g. & si quæ aliæ sunt eidem substantiæ inhærentes. Sic contra substantia, quæ soliditatis modificatione gaudet, materia est, sive cogitandi eadem simul gaudeat facultate, sive minus. Si itaque per substantiam spiritualem ea intelligatur, quæ immaterialis sit, animæ nostræ spiritualitatem solide a se demonstratam non esse, argumentis licet probabilibus, ab invicte demonstrata (L. IV. Tr. de Mente hum. c. 10. §. 16.) immaterialitate Dei desumtis, evictam, Lockius fatetur; at nec ab alio quopiam talem demonstrationem expectandam ait. Vitio autem sibi vertendum non putat, quod spiritus vocem eo sensu, qui materiam omnimodam non excludit, accipiat, cum id Virgilium quoque atque Ciceronem maximos linguæ Romanæ magistros imo & sacros scriptores fecisse constet. At omnia ista mera esse *κρησφύγητα* Maxime Venerandus Stillingfleet probare satagit, dum productis ex ipso Lockii libro locis ostendit, eum spiritum pro immateriali substantia habere, atque ex operationibus mentis nostræ claras & distinctas substantiarum immaterialium ideas gigni statuere. Accipi vero vocem spiritus eo quo Lockius

cupit ſenſu a Cicerone & Virgilio negat. Atque interea utraque manu arripit, quod largitur Lockius, ex principiis ſuis immaterialitatem animæ certo demonſtrari non poſſe; proindeque aliis ſuperſtructam fundamentis demonſtrationem, aut potius ex principiis Lockii paulo aliter inter ſe combinatis elicitam, Lockii deſideriis ſatisfacturus ſuppeditat. Nimirum ex ideis materiæ & ſpiritus, a quarum illa cogitationem plane Lockius in locis quibusdam removit, impoſſibile eſſe, ut anima materialis ſit, colligit. Quod autem omnipotentiam Dei efficere poſſe ille ait, ut ſyſtema aliquod materiæ cogitandi polleat facultate, Venerandus Epiſcopus reſpondet, nihil quidem ſe omnipotentiæ divinæ velle derogatum, verum non ſolere Deum eſſentiales rerum mutare proprietates, rebus ipſis propria earum natura integra relicta; id quod Pontificiis quoque reſponderi ſoleat, ſpiritualem præſentiæ modum corpori Chriſti in S. cœna tribuentibus. Sed ad aliud diſputationis hujus caput progrediamur. Ne evidentem quidem demonſtrationem exiſtentiæ Dei nudis ſimplicibus clarisque ideis ſuperſtructam dari poſſe, Max. Ven. Epiſcopus monuerat, ipſamque Lockii demonſtrationem ratiocinationi ab ideis ſimplicibus clarisque diſtinctæ inniti oſtenderat. Verum adverſus quem iſta diſputet, ignorare ſe Lockius ait; nunquam enim ſibi in mentem veniſſe, ut ſtatueret, non poſſe nos convinci per rationem de aliqua veritate, niſi omnes ideæ, quarum aliquæ in hujusmodi convictione ſint partes, claræ ſint atque diſtinctæ. In ea ſe nunquam non fuiſſe ſententia, ſcientiam & certitudinem in perceptione convenientiæ & diſconvenientiæ idearum, qualeſcunque illæ ſint, non vero perfecte diſtinctarum & evidentium poſitam eſſe. Quid quod ne probet quidem, quod probare vult Ven. Adverſarius? ex eo enim, quod modus probandi exiſtentiam divinam a ſe propoſitus ideis ſimplicibus non innitatur, colligi non poſſe, quod nulla detur Dei demonſtratio ideis ſimplicibus ſuperſtructa: cum pro unico Deum eſſe demonſtrandi modo, ſuum nuſpiam venditaverit, nec rejecerit argumentum Carteſianum a clara & diſtincta idea deſumtum, ſed iis tantum obviam iverit, qui pro unice vero illud habent, qui nullum argumentum infirmum reddi velit, quod quorundam hominum fidem ſuffulciat. Dumque argumenti vim pro diverſis hominum temperamentis iſtam rationem obtinere poſſe, pariter ac alia dixit, non de argumento ad pariendam ſcientiam, ſed ad fidem gi-

gnen-

gnendam idoneo se locutum ait, ut adeo hac quoque ex parte nihil contra se obtineri censeat. Quod vero exinde, quod pro minus certa habeat Lockius Deum ex idea Cartesiana demonstrandi rationem, Venerandus Episcopus colligit, plane ergo deserendam esse ad cognitionem tendenti clararum idearum viam, in eo rursum eum falli Lockius putat: quamvis enim illa idea Deum non probet, aliam tamen, quæ id efficiat, dari posse. Atque ipsam illam, quam in libro suo de Mente humana suppeditaverat, Dei demonstrationem claris hujusmodi ideis inniti ostendit, quamvis, quod male ab eo sibi imputatum dicit, certitudinem non in ipsa idea, sed, quod nemo non faciat Philosophorum, in perceptione convenientiæ & disconvenientiæ idearum constituat. Collocasse itaque se existentiæ Divinæ certitudinem in ea, quam de nobis ipsis habemus, idea, quatenus entia sumus cogitandi facultate instructa; nec esse quod objiciantur sibi verba sua, quibus dicit, per considerationem nostri rationem nostram ad evidentem Dei cognitionem nos deducere, cum consideratio ista ideas existentiæ cogitationisque excludere nequeat supponi. Regerit ad ista nonnulla Max. Rev. Episcopus, ex quibus id maxime ad rem facere videtur, quod constanter defendere pergit, certitudinem, quam habemus de Deo, cognitioni nostrummet ipsorum superstructam, rationis esse, non idearum; in quo quidem non multum obluctantem Lockium habere videtur, modum & formam loquendi ei præscribere neutiquam satagentem, id tamen sibi concedi postulantem, rationem sine ideis in nobis certitudinem illam non gignere, quemadmodum nec Sol sine oculis de diei præsentia certiores nos reddit. Sed missum faciamus istud controversiæ genus, & ad ea pergamus, quæ de *natura* & *persona* invicem disputant. Miratur Lockius, ad illam controversiam se detrahi eo solummodo, quod principia ejus sufficere non credantur gignendo distincto naturæ & personæ conceptui, quem neque sensationem neque reflexionem in nobis producere Venerandus Episcopus ostendit. Si enim propterea impetendus sit, imposterum fore, ut nulla non tractetur fidei controversia, in cujus partes ipse non veniat, postulantibus semper litigantibus, ut ostendat v. g. quomodo per sensationem reflexionemve gratiæ & liberi arbitrii, prædestinationis, peccati originalis, justificationis &c. conceptus producantur. Deinde vero omnino naturæ & personæ notiones in nobis

produci per viam idearum oſtendit, repetens id, quod antea dixit, ab ideis nunquam rationes exercitium ſe excludere, quemadmodum vice verſa ratio ideis carere nequeat, omni alias objecto caritura. Ad hæc Venerandus Stillingfleetus breviter reſpondet: licet illa de natura & perſona diſputatio ad Lockium non pertineat, ad myſterii tamen Trinitatis explicationem pertinere; ideas vero & rationem perperam ab eo confundi; intelligi enim per rationem principia rationis communia, ſine quibus ex ſimplicibus ideis nihil poſſit confici. Verum ea, quæ de natura & perſona jam demum in Epiſtola ſua Lockius tradidit, novam & uberiorem diſputandi materiam Epiſcopo noſtro ſuppeditant. Ex iis itaque, quæ prolixiſſime Lockius diſcuſſit, ea tantum repetemus, quæ imprimis Vener. Adverſarium ejus offenderunt. Naturam Lockius nil aliud eſſe cenſet, quam collectionem variarum idearum, ad conſtituendam unam complexam & abſtractam ideam combinatarum: quæ ſi unitæ in individuo aliquo inveniantur, quamvis in eo cum variis aliis ideis conjungantur, efficiant, ut vere illud dici poſſit, habere hanc, quam conſtituunt, naturam, v. g. hominis: dum nimirum omnes illæ ideæ ſimplices in eo inveniuntur unitæ, quæ reſpondent ideæ complexæ abſtractæ, cui ſpecificum nomen *humanitatis* vel naturæ humanæ tribuitur. Perſonæ vero vocem in ſe ſpectatam nihil ſignificare ait, cumque adeo nulla ad eam pertineat idea, nihil proprie dici poſſe veram ejus ideam. Cum vero gens vel lingua aliqua vocem illam ideæ cuidam quaſi propriam addicit, tum eam eſſe veram perſonæ ideam, ſimiliterque cum natura rem ſeſe habere, Perſonæ igitur & naturæ vocem ſigna eſſe duarum idearum, quibus dicata fuerunt: differentiam vero earum a ſe invicem evidentem mox fore, ubi omnes ſimplices ideas, e quibus compoſita eſt complexa, quam deſignant, accurate recenſueris. Quid ad hæc Venerandus Stillingfleetus? Aut falſa hæc eſſe, aut nulla ratione Eccleſiæ de Trinitate doctrinam defendi poſſe ait. Si enim voces iſtæ in ſeipſis revera nihil ſignificent, ſed abſtractæ tantum complexæque ideæ ſint, quibus communis linguæ uſus dedit, ut duarum idearum eſſent ſigna, tum evidens eſſe, quod nihil aliud illæ quam notiones mentis ſint, quales omnes abſtractas complexasque ideas eſſe pateat, atque adeo unam naturam & tres perſonas non amplius extituras. Quæſtionem autem Rev. Epiſcopus non in eo verſari ait, an in formanda idea communis

naturæ

naturæ mens noſtra a particularium rerum circumſtantiis abſtrahat? verum an communis natura ſive eſſentia rerum abſtracta tantum ſit idea, ſive nomen aliquod generale, cujus realis eſſentia in particularibus tantum entibus ſit, a quibus illud per abſtractionem ſit derivatum, adeo ut nullum antecedens in natura rerum fundamentum habeat? Affirmare quæſtionem, & quidem Hobbii ductum ſecutum cl. Lockium Ven. Stillingfleetus ait, quem propterea magno cum apparatu impugnat, totique epiſtolæ ſuæ iſta diſputatione coronidem imponit. At cum ea ipſa hæc controverſia finita non fuit; ecce enim tibi:

MR. LOCKES REPLY &c.

h. e.

*JO. LOCKII RESPONSIONEM AD EPISTOLAM Max. Rev. Epiſcopi Vigornienſis.*

Londin. 1697, in 4. plag. 14.

THE BISHOP OF WORCESTERS ANSWER &c.

i. e.

*EPISCOPI VIGORNIENSIS AD SECUNDAS LOCKII litteras reſponſoriam.*

Londini, 1698, 8. plag. 12.

DE quorum ſcriptorum utroque plura dicendi nunc animus erat; at cum ita cum plerorumque ingeniis comparatum ſit, ut in abſtractis hujusmodi notionibus diu ſe detineri non niſi ægre patiantur, eorum omnino rationem habendam eſſe duximus. Imprimis meruiſſent, quæ de perſona & natura uberius diſputantur, paulo accuratius percenſeri, a quibus ita pendere fidei de Sacroſancta Trinitate certitudinem, ut actum de illa ſit, ſi arbitrarie nomina iſta rebus ſignificatis impoſita fuerint, quod Rev. Stillingfleetus exiſtimet, Lockius plurimum miratur. Verum manum de tabula, ad quam parum abeſt quin novo aliquo impetu nos rapi patiamur. Id adhuc monendum, prioribus Reverendi Epiſcopi litteris brevem acceſſiſſe ad libellum

Sociniani cujusdam, qui Vindicias ejus pro S. Trinitate impetierat, responsionem, quam illis ut jungeret, tanto facilius sibi persuaderi passus est, quod ex abstracta naturæ notione Socinianus ille argumentatus fuerit: Lockii vero litteris posterioribus annexa esse ea, quibus Epistolæ cuidam, qua tractatus ejus de Mente humana notatus varie fuerat, satisfaciendum esse existimavit.

## LETTRE D' UN THEOLOGIEN DE LOUVAIN a un Docteur de Sorbonne &c.

i. e.

## *EPISTOLA THEOLOGI CUJUSDAM LOVANIENSIS AD Quendam Doctorem Sorbonæ, concernens Episcopi Meldensis sententiam de Charitate.*

Leodii, apud H. Hoyous, 1698. in 8. pl. 3.

UT hostes multos adversariosque nactus est Cameracensium Archi-Episcopus: ita illi quoque non desunt defensores, qui decreta ejus propugnanda suscipiunt. Hos inter nunc comparet. Epistolæ hujus Auctor, qui pro Theologo Lovaniensi haberi cupit. Meldensium Episcopo is se opponit, & de charitate, seu amore puro, Cameracensem nihil, quod a recepta Ecclesiæ Romanæ Doctorumque Scholasticorum sententia abhorreat, docuisse, probare annititur.

Miratum se valde ait, cum legisset, a Meldensium Præsule doceri, non posse exui a quoquam cupiditatem felicitatis in ulla actione, quæ prævia & prælucente ratione suscipiatur; itemque fieri non posse, ut charitas non ad felicitatem æternamque beatitudinem respiciat, similiaque. Magis tamen miratum se affirmat, cum simul intellexisset, hæc ita asseri, ut pro certis & indubitatis venditentur; ut virtutem omnem pietatemque hisce inniti assertis, contendatur; ut denique opinio secus sentientium ceu error gravissimus periculosissimusque rejiciatur. Profitetur, ab iis, a quibus Theologiam edoctus sit, semper ita se accepisse, Deum pure amandum esse, prout in se summum bonum est, sine ullo nostri commodi intuitu; idque rationibus quoque non contemnendis comprobari posse. Primo enim extra dubium positum esse putat, posse intellectum hominis Deum pure con-

considerare, prout in se summum bonum est, nulla beatitudinis suæ aut cujusquam commodi a Deo ad homines promanantis habita ratione. Saltem fateri hoc ipsum Archi-Episcopum Parisiensem. Ast hoc si concedatur, causam nullam esse, cur non quis Deum eo modo consideratum amare quoque possit. Esse enim cum hoc modo spectatum objectum amore dignum, comprehensum utique sub sphæra objecti universalis, circa quod voluntas hominis occupatur, boni scilicet generatim accepti. Dein Deum ipsum sub hac idea semet amare amore infinito, in quantum seipsum considerat ceu summum bonum, quod per se amabile sit. Sub hac enim formali ratione, ut in scholis loquuntur. Deum amare seipsum: ergo & hominem, saltem gratiæ viribus instructum, obligatum esse, ut eodem modo Deum amet. Thomæ de Aquino hoc comprobat effato, asserentis hominis voluntatem debere esse conformem voluntati divinæ, non tantum quoad objectum materiale, sed etiam quoad objectum formale. Atque hunc ipsum illustrem Scholæ Doctorem multis rationibus eandem tueri sententiam, prolixe docet. Refert eum inter alia & hoc asseruisse, si hominis natura non fuisset corrupta & depravata, eum hoc modo spectatum Deum plus quam se ipsum amare potuisse: quin omnes creaturas tum anima præditas, tum ea destitutas, implantatum insitumque sibi habere instinctum quendam, Deum hoc genere amoris amandi. Si autem hac ratione spectetur homo (ita porro docet) prout gratiæ viribus instructus est, nullum dubium esse, quin Deum ita amare & possit & debeat: idque qui abnuant, destruere naturam & indolem amoris puri, evertere distinctionem essentialem amoris & spei, abdicationemque commodi proprii ab amore puro separare, quæ tamen ita illi conveniat, ut sine ea esse nequeat. Ipsum Meldensium Præsulem hoc quodammodo confiteri ostendit, concedereque ex Scholasticis doctoribus Scotum de puro amore hoc modo docuisse. Sed Noster Thomæ quoque de Aquino & Francisci Salesii, præter alios multos, hanc fuisse sententiam contendit. Idque ut porro evincat, rationes ita subducit: si Deus non aliter amari potest, quam prout in eo nostram beatitudinem & felicitatem quærimus, sequitur, eos, qui supponunt, quod tamen fieri nequit, se Deum amando nullius felicitatis participes fieri posse, Deum puro amore non amare. Sed vero eos, qui supponunt id, quod tamen fieri nequit, se scilicet

Deum amare, etiamsi nullius inde participes fiant felicitatis, puro veroque amore Deum amare, in confesso esse apud omnes putat. Quin ipsum Meldensium Episcopum hoc docuisse, seduloque inculcasse, eoque ipso pugnantia secum statuisse, contendit. Cæterum ad eludendum argumentum, quod a Scholasticorum Doctorum auctoritate & consensu petitum est, binas patere Meldensium Episcopo vias observat: unam quidem, ut illorum auctoritatem infirmet, primæq; Ecclesiæ illis opponat Doctores; alteram, ut ostendat, Doctores Scholasticos in suis militare castris, refragari autem sententiæ Archi-Episcopi Cameracensis. A priori eum non procul abesse, quando asserat, doctrinam, quam Cameracensis Præsul defendit, undecimo demum seculo in lucem prodiisse, antea autem nec cognitam, nec auditam fuisse in Ecclesia. Ast cum intellectus hominis semper potuerit Deum ut absolute bonum considerare (ut regerit Noster) quis credat, undecimo demum seculo extitisse, qui Deum ita quoque amandum docerent? Equidem si Meldensium Antistes hoc dixisset, vocem charitatis undecimo seculo pro amore hocce puro usurpari cœpisse, potuisse hoc admitti: ast dum de re ipsa hic contendat, plane eum falli. Prospexisse sibi satis hunc Præsulem autumat, dum porro contendat, suam sententiam eam esse, quam Scholastici Doctores communi suffragio approbent. Ita enim si uno modo effugere non liceat, aliam tamen adhuc superesse elabendi viam. Ast & hanc præcludere illi Noster annititur, & ex instituto hic demonstrare conatur, Scholasticos Doctores a Cameracensis, non autem Meldensis Episcopi stare partibus: quod dum operose exsequitur, varia Thomæ de Aquino & Augustini dicta explicat, eaque sententiæ Cameracensis Præsulis non adversari ostendit.

## AUTRE LETTRE D'UN THEOLOGIEN DE LOUVAIN A un Docteur de Sorbonne &c.

i. e.

*EPISTOLA ALIA THEOLOGI CUJUSDAM LOVANIENSIS AD Doctores Sorbonæ, concernens Additamentum Archi-Episcopi Parisiensis ad Instructionem suam Pastoralem contra illusiones falsorum Mysticorum.*

Leo-

Leodii, apud St. Hoyous, 1698, 8. plag. 1.

EDidit Illuſtriſſimus Pariſienſium Archi-Epiſcopus Inſtructionem Paſtoralem contra deceptiones falſorum Myſticorum, ſubjecitque additiones quasdam, in quibus Theologus noſter Lovanienſis quædam deprehendit, quæ accuratiori diſcuſſione digna cenſuit. Fatetur, recte dictum ab Archi-Epiſcopo, caput cauſæ, de qua diſceptetur, in eo poſitum eſſe, num amoris puri ſit, Deum ita amare in ſe ſpectatum, ut noſtræ felicitatis nulla habeatur ratio? Aſt illud ægre fert, eos, qui affirmant illud, a Præſule hocce pro falſis Myſticis falſisque Spiritualibus haberi. Perperam id fieri contendit, idque ut evincat, paucis repetit rationes, quibus illorum ſententia innitatur. Deinde & illud male habet Noſtrum, quod idem Præſul doceat, abdicationem commodi proprii in amore Dei efficere, ut perinde ſit hominibus, conſequanturne æternam felicitatem, an non, quin ut damnationem ſuam & reprobationem ratam habeant. Quod quidem illis, qui ab amore puro commodi proprii intuitum abeſſe volunt, recte tribui, exerte Noſter negat. Equidem ut in ipſo amoris puri actu ſimul adſint amor noſtræ felicitatis & abdicatio commodi proprii, fieri poſſe negat, cum ſecum pugnent, ſeque mutuo tollant: ſed tamen quo minus ſtatus amoris puri amorem felicitatis includat, vel quo minus illi, qui Deum amore puriſſimo amant, ſimul tamen & ſuam ament felicitatem, nihil omnino obſtare dicit. Sed concedit quoque, inter ideam amoris, quo Deum ceu ſupremum bonum amamus, & inter ideam amoris, quo noſtram felicitatem amamus, nexum quendam intercedere, ut uterque amor non tantum in uno eodemque ſubjecto eſſe poſſit, ſed ut unus alteri ſuccurrat etiam quodammodo & ſuppetias ferat. Atque hoc ipſum ipſius Archi-Epiſcopi Pariſienſis argumento comprobari poſſe, quo hunc in modum rationes ſubduxerit: medium perveniendi ad finem vinculo arctiſſimo connexum eſt cum ipſo fine: charitas autem a me exigit, ut Deum glorificem in ſeipſo; jubet, ut Deo ceu ultimo meo fini adhæream: aſt medium unicum Deum glorificandi eſt, ut eum cognoſcamus, amemus, poſſideamus: ergo charitas hoc ipſo, dum jubet glorificare Deum, jubet etiam appetere ſuam felicitatem. Recte ita probari ſubjicit Noſter, deſiderium felicitatis in homine perfecto, vinculo indiſſolubili colligatum eſſe cum amore puro,

ſicut

ſicut medium neceſſarium perveniendi ad finem neceſſario connexum eſt cum intentione efficaci finem iſtum obtinendi. Aſt ſi Illuſtriſſimus Auctor eo probare voluerit, intuitum & deſiderium noſtræ felicitatis ad formalem rationem amoris puri requiri, eum magnopere falli. Quin contrarium ex allata ratione conſequi. Intuitum enim & conſiderationem mediorum, quantumvis neceſſaria ſint ad finem obtinendum, non tamen pertinere ad formalem rationem amoris, quo finem proſequimur, & intentionis eum obtinendi: finem non a mediis habere hoc, quod ametur, hominemque moveat: media autem contra omnia ea, quibus ſe commendent, a fine accipere. Ad eandem rem confirmandam aliud argumentum ex eodem Præſulis Pariſienſis libro profert, illudque diluit: quod prætermittimus, cum jam ex hactenus commemoratis conſtet, cujusmodi ſint, quæ hic disceptentur. Ultimo loco ad auctoritates rurſus deſcendit. Provocaverat ſcilicet Archi-Epiſcopus Pariſienſis ad Thomam de Aquino, Bonaventuram, Franciſcum Saleſium, S. Thereſiam aliosque: quos tamen omnes Cameracenſi potius Archi-Epiſcopo, quam Pariſienſi, favere, id quidem eſt, quod Noſter ex inſtituto ſibi demonſtrandum ſumſit.

## LETTRE D'UN ECCLESIASTIQUE DE FLANDRE a un de ſes amis de Paris &c.

i. e.

*EPISTOLA CLERICI CUJUSDAM FLANDRIÆ AD AMICUM quendam Pariſienſem, qua comprobatur, Archi-Epiſcopum Cameracenſem inique ab Epiſcopo Meldenſi accuſari.*

Leodii, apud St. Hoyous, 1698, 8. plag. 7.

Liber, quem Meldenſium Epiſcopus luci publicæ expoſuit ſub titulo: *Scripta varia, ſeu commentarii ſuper librum, Explicatio ſententiarum &c.* quantopere eos, qui a partibus Cameracenſis Archi-Epiſcopi ſtant, exacerbaverit, vel præſens, quem hic exhibemus, libellus ſatis ſuperque teſtatur. Querelas enim acerbiſſimas contra memoratum Præſulem effundit, ſubinde contumelioſas voces, quibus

bus sententiam Cameracensis Præsulis insectari Bossueto placuerat, illi reddit, & in auctorem retorquet. Nos missis, quæ nostra non referunt, quæ ad rem ipsam pertinent, paucis prosequemur.

Quæ inter utrumque disceptantur, ad quatuor capita revocat Auctor. Litem enim præcipue esse de desperatione, & sacrificio salutis suæ absoluto; de amore nimis puro, ut a Meldensium Antistite appellitetur, & qui excludat omne beatitudinis & felicitatis desiderium: de fanaticismo & instinctu particulari: & denique de contemplatione. Nimirum primo quidem Cameracensem Præsulem a Meldensi in eo erroris argui refert, quod docuerit, non esse nefas de salute sua desperare. Ast Noster, Viro huic unquam hoc in mentem venisse negat, verbaque ejus, ex quibus id elicere contendat Meldensium Præsul, mutilata ab eo proferri conqueritur. Dixisse videlicet Cameracensem Præsulem: *tum potest esse anima invincibiliter persuasa persuasione reflexa, quæ tamen ex intimo fundo conscientiæ non procedat, se juste a Deo esse reprobatam.* Ast Meldensium Episcopum hunc locum allegando omisisse verba: *quæ tamen ex intimo fundo conscientiæ non procedat*; ut eo facilius Lectoribus persuaderet, Cameracensi Archi Episcopo hanc sententiam sedere, quam ipse illi tribuisset. Ejusdem commatis sunt cætera, quæ prolixe hic Auctor disputat, mutilata subinde esse Cameracensis Antistitis verba, aut in alienum prorsus detorta esse sensum, vocumque quarundam ambiguitatem in occasionem errorem huncce inde exsculpendi arreptam, qua tamen sublata nubes omnes atque caligo a Meldensi Episcopo objectæ sua sponte evanescant.

Deinde & hoc Cameracensi Præsuli objici observat, quod docuerit, posse hominem & debere Deum sine omni suæ felicitatis & beatitudinis intuitu amare. Secus vero plane sentire Meldensem, qui nunquam non inculcet, errare eos, qui autument, posse Deum sine felicitatis nostræ intuitu amari; eumque porro Cameracensi imputare alios errores hinc promanantes, quod nemo suam salutem possit desiderare, quod nostræ felicitatis amor a Deo nec per modum præcepti, nec per modum consilii sit injunctus, similiaque. Noster autem duo hic sedulo distinguenda esse monet. Aliud enim esse, si quis autumet, Deum a nobis citra felicitatis nostræ intuitum posse amari, desideriumque felicitatis ita evelli & exstirpari posse ex corde nostro, ut

ſine eo amari Deus ardentiſſimo amaris actu poſſit, vel quod perinde eſt, ut intuitus noſtræ felicitatis non ingrediatur formalem rationem amoris puri: aliud autem eſſe, ſi quis doceat, non poſſe quenquam ſuam beatitudinem deſiderare, & hoc deſiderium nec per modum præcepti, nec per modum conſilii nobis eſſe injunctum; item deſiderium iſtud felicitatis & beatitudinis per amorem purum ita extingui & eradicari, ut homo ſuæ ſalutis plane obliviſcatur. Prius docere Archi-Epiſcopum Cameracenſem, non inficiatur: aſt poſterius aut ab eo aſſeri, aut ex ejus ſententia colligi poſſe, plane abnuit. Loca a Boſſueto ex Archi-Epiſcopi Cameracenſis ſcriptis allata, ut iis evinceret, nihil a ſe illi perperam tribui, ſolerter Noſter vindicat, dextreque explicat. Dixerat quoque Cameracenſis inter alia, *inevitabili nos urgeri neceſſitate ad nos ipſos amandum*: arripuit hoc Meldenſis, & adeo non tantum errare Cameracenſem, ſed pugnantia ſecum ſtatuere, inde collegit. Quem tamen nodum Noſter ita ſolvit, ut oſtendat, Cameracenſem non de neceſſitate naturæ, ſed de neceſſitate præcepti fuiſſe locutum: quæ neceſſitas ejus ſententiæ neutiquam obſtet. Rationum autem, quibus Boſſuetus ſuam ſententiam muniat, momenta huc redire docet: cum amore puro non poſſe non conjunctum eſſe deſiderium ſe uniendi cum Deo, eumque ſupponere adeo neceſſario quandam convenientiam inter Deum & hominem, quod multi Sanctorum, interque eos Franciſcus Saleſius quoque, admiſerint. Accedere & illud, quod Scriptura ſacra & Patres quoque, ut nos ad Deum amore puro amandum excitent, eum ſubinde nobis repræſentent ſub imagine patris, creatoris, liberatoris, redemtoris, item ut noſtrum ſummum bonum, ſimilique ratione. Quo ipſo & deſiderium felicitatis eos fovere, ſimulque docere, intuitum noſtræ beatitudinis ab amore puro non eſſe ſeparandum. Noſter autem, quæ de amore, quod ſe cum objecto ſuo unire cupiat, deque Scriptura ſacra Patribusque, quod Deum hoc modo exhibeant, dicta ſunt, ambabus largitur manibus: aſt nihil aliud inde conſequi addit, quam quod poſſit quoque Deus ex intuitu noſtræ felicitatis amari; aſt hunc intuitum ad formalem rationem amoris puri pertinere, id vero ſtrenue negat.

Quæ de fanaticiſmo & inſtinctu particulari Cameracenſi Præſuli objiciuntur, Noſter ita diluit, ut in locis, ad illa evincenda a Boſſueto prolatis, mentem Auctoris plane perverti conqueratur, idque

multis

multis exemplis comprobare nitatur. Juvabit vel unicum adduxisse. Inter alia & hæc verba tribuit Cameracensi Meldensis: *voluntas beneplaciti se manifestat nobis per gratiam actualem*; & hinc colligit, eum favere Fanaticis. At vero Noster observat, non tantum ex iis, quæ præcedunt, longe alium effati hujus emergere sensum, sed & quædam omissa ostendit, ex quibus constet, nihil iis, quod reprehendi possit, asseri. Ita enim scripsisse Cameracensem: *hæc voluntas beneplaciti, quæ nobis per gratiam actualem manifestatur, semper est conformis legi*. Atque hinc, cujusmodi cetera sint, intelligi quodammodo potest.

De contemplatione autem, quæ Cameracensi Archi-Episcopo a Præsule Meldensi objiciuntur, eo potissimum redire observat. Primo quidem, quod ille doceat, contemplationem puram ac directam voluntarie non nisi circa objectum indefinitum & illimitatum occupari, nullo modo autem circa aliud objectum, ne quidem circa attributa Divina, aut tres personas Divinitatis, aut circa mysteria Jesu Christi; ad hæc autem consideranda particulari & extraordinaria gratia impelli hominem; ipsum autem sua sponte, suoque consilio id facere non posse. Deinde, quod idem doceat, homines sanctos non nisi in certis intervallis, cessante scilicet contemplatione, Christum simplici & distincta intuitione contemplari; unde sequatur, Christi intuitionem cum pura contemplatione consistere non posse, hanc autem per illam excitari saltem, si forte languescat. Denique quod doceat, duos esse status fidelium, in quibus simplici & distincta Christi intuitione priventur: unum quidem cum primum contemplari incipiant; alterum autem cum in extremis constituti sint tentationibus. Hæc omnia ut diluat Noster, ita se gerit, ut rursum hosce errores a mente Archi-Episcopi alienissimos esse, nec ex verbis ejus elici posse, contendat. Sic quod ad primum attinet, monet Archi-Episcopum Cameracensem ita scripsisse: *contemplatio pura & directa negativa est, quando voluntarie non occupatur circa imaginem quandam sensibilem*; atque hoc esse verum; falsum contra, quod Meldensis perperam Cameracensi tribuat: *contemplatio pura & directa non occupatur voluntarie circa rem sensibilem*. Etenim Cameracensem negativam contemplationem habere pro specie contemplationis puræ. Neutiquam igitur eum de omni contemplatione pura asserere, quod circa rem sensibilem non occupe-

cupetur, sed tantum de negativa. Atque hinc porro infert, nunquam venisse in mentem Archi-Episcopo Cameracensi, ut doceret, contemplationem puram non occupari voluntarie circa attributa Divina, aut circa personas Trinitatis &c. Nec magis concedit, quod secundo loco eidem objectum fuerat. Contrarium enim, quod contemplatio pura humanam Christi naturam non excludat, diserte docuisse Cameracensem, productis testimoniis luculentis demonstrat. Sed & in tertio fidem Meldensis Episcopi inculat. Vocem *status* hic nunquam adhibitam a Cameracensi perhibet, sed vocem *casus* ab eo usurpatam; deinde & voces, *reflexa* & *sensibilis* (intuitio) a Meldensi omissas, unde non potuerit non alius inde resultare sensus, quam qui ex verbis emergit. Locutum scilicet fuisse Cameracensem hoc modo: *animæ, quæ contemplantur, privantur distincta, sensibili & reflexa intuitione duobus casibus.* Longe aliud hoc esse, quam cum Meldensis Cameracensem ita loquentem introducat: *animæ perfectæ in duobus statibus distincta intuitione Jesu Christi privantur &c.* Eam vero sententiam, quæ menti Cameracensis conformis est, a veritate non esse alienam, Noster porro probat, simulque quo pacto contemplatio, quando homo incipit contemplari, imperfecta adhuc sit, prolixe edisserit. Ita postquam in præcipuis disceptationis hujus capitibus sententiam Cameracensis Archi-Episcopi strenue defendit, errores quosdam secundarios, qui itidem illi objiciantur, diluendos & ab eo amoliendos aggreditur. Namque & eo nomine illum hostibus suis vapulare ait, ac si docuerit, amorem Dei, qui est puræ concupiscentiæ, etsi impietas sit & sacrilegium, præparare tamen ad justitiam: itemque quod spem, virtutem Christianam, cum cupiditate, vitiorum omnium matre, permisceat: quodque Christo perturbationes non voluntarias tribuat. Sed quid ad hæc Noster regerat, quilibet conjectura sua facile assequi potest: & præterea jam alibi ex ipso Archi-Episcopo percepimus, quo pacto ab hisce erroribus se purget; ut adeo nobis prolixioribus esse nec liceat, nec necesse sit.

* * *

Cæterum cum hæc literis jam consignassemus, ad manus nostras schedula pervenit, qua in recensu etiam nostro principalis *de vita interiore* operis, quod ab Archi-Episcopo editum tantas turbas dedit, in Actis anni superioris mense Junio pag. 268 sqq. facto, nonnulla

la desiderantur. Et ea quidem tanto magis grata nobis accidit, quod ipsi confisi nunquam fuimus, in compendio exponi a nobis perspicue satis posse, quæ integro licet libro perlecto multi aut non capiunt, aut in alium sensum, quam quem Auctor Illustrissimus intenderat, deflexisse arguuntur, ut nunc etiam inter litigantes non magis de dogmatibus ipsis, quam de mente Auctoris videatur contendi. Neque nos adeo pudori ducimus, ipsam illam admonitoriam schedam huc transcribere, probe memores, nos jam in præmissa Actis anni 1690. ad Lectorem Benevolum præfatione *perquam officiose rogatos Lectores omnes voluisse, ut si quæ in his Eruditorum Actis errata, seu in aliorum, seu in suismet libris recensendis, admissa observaverint, de iis candide per litteras admonere nos nec vereantur; nec graventur, paratissimos & emendare, quæ peccata forsan fuerint, & clarius edisserere, quæ obscurius dicta videbuntur.* Conferri cupimus, quæ in Præfatione ad Indices generales primi Actorum Eruditorum Decennii a nobis dicta fuere, neque nunc etiam, data hac occasione, has ad Lectorem Benevolum preces dubitamus repetere. En itaque schedam, de qua diximus, integram!

*I. Ubicumque passim occurrunt hæ voces,* commodi desiderium, felicitatis spes, virtus, præmium, *addendum continuo hoc temperamentum, commodi* quatenus proprii, *felicitatis* quatenus propriæ, *virtus* quatenus propria, *præmium* quatenus proprium. *Commodum enim &c. si nihil adjungas, Deum nos beantem apud theologos sonat. Quæ voces* proprii *leguntur pag. 277, 279. l. 4 & 21. Has pag. 269 l. 19. & ultima, & p. 273 l 6. & 13, & p 274. l. 6. & 10. adjici oportuisset.*

*II. Hæc a mente Autoris alienissima sunt:* Et tum quidem directorem recte facere, si animam persuasioni justæ condemnationis & reprobationis tantisper acquiescere patiatur, nec rationibus ad aliam sententiam transducere laboret, donec tentatio cesset. *Absit, ut voluerit directorem sinere animam persuasioni reprobationis ullatenus acquiescere, propositionem contradictoriam eadem p. 91 & 92 expressime asseruit. Igitur assensus ille non spectat reprobationem, sive condemnationem irrevocabilem atque æternam, sed tantum hoc judicium. quo Deus justus & sanctus omnia, quæ sanctitati suæ repugnant, arguit. Tum anima hæc duo simul præstat, primo sibi videtur digna quæ a Deo æternum abjiciatur, & justitiæ amore rapta pro Deo contra seipsam*

 *stat.*

*ſtat. 20. etiamſi miſericordia ſe minime dignam exiſtimet, tamen ſibi ipſi nunquam deeſt imo ſeipſam in Deo & propter Deum diligit; unde juſtam condemnationem ſibi impendentem deleri poſtulat.*

## *JO. SCHILTERI JURISPRUDENTIÆ TOTIUS tam Romanæ quam Germanicæ privatæ legitima Elementa, duabus partibus abſoluta.*

Argentorati, ſumtibus Joh. Reinholdi Dulſſeckeri, 1698, in 8. Alphab. 3. plag. 15.

QUo difficilius eſt, ob ambigua tot jurium, divini puta & humani, naturalis & poſitivi, gentium & civilis, generalis & particularis, provincialis & municipalis, ſimiliumque nomina, nec non ancipitem legum extranearum & Germanicarum, antiquarum & novarum velut luctam, in ſtudio Jurisprudentiæ privatæ Germanicæ rite progredi; eo melius non de hoc tantum, ſed ipſa etiam Republica mereri exiſtimandi ſunt, qui planum iter diſcentibus pariter ac docentibus, ſeu generalius, ſcholæ ac foro addictis præmonſtrant. Atque eo collimat præſens Illuſtris Auctoris noſtri labor, cui adeo, niſi celebratiſſimum nomen doctrinæque ſoliditas id jam præſtarent, vel ſola intentionis publico commodo deditæ probitas, apud peritos rerum æſtimatores maximum conciliatura eſſet pretium. Non eget laudabile hoc inſtitutum noſtra commendatione; ut tamen paulo explicatius illud demus, muneris ratio nunc exigit. Nimirum illud tanquam ratum firmumque primo admittendum eſt, quod in docenda diſcendaque Jurisprudentia privata, Jus Romanum, ac ſpeciatim Inſtitutiones Juſtinianeæ fundamenti loco ſupponendæ ſint. Nam licet hoc indoli juris ſubſidiarii (quale eſt Romanum) convenire non videatur, imo licet iſte docendi modus, a veteribus Jurisperitis ſecurius uſurpatus, autoritati legum Germanicarum multum fortaſſis obfuerit: attamen præſuppoſito iſti ſua conſtat ratio, ſi Jurisprudentiæ ſtatum, qui nunc eſt, recte expendas, legumque Romanarum opulentiam ac æquitatem cum rudi legum antiquarum Germanicarum ſterilitate conferas. Quia tamen Inſtitutionibus laudatis non tantum, compilatorum ſocordia, quædam juris Romani capita deſunt, ſed & illæ, utpote in alius Reipublicæ uſum concinnatæ, jure Germanico penitus carent: ideo non minus

minus secundo certum est, quod eædem variis indigeant supplementis, siquidem nominis sui mensuram implere debeant. Hæc cum ita sint, a scopo utique abludunt, qui retenta titulorum Institutionalium insufficientia, usum fori textui solum subjiciunt, quale institutum *Schneidewinus*, *Schultzius*, *Philippi*, ex sententia Nostri tenuerunt: quemadmodum nec ex asse eundem feriunt, qui ea, quæ Institutionibus desunt, omisso harum textu, supplent, quod *Strauchio Struvioque* placuerat; cum hac ratione a textu Institutionum tyrones abducantur, vel minimum iis non nisi geminato labore duplicique temporis sumtuumque impendio, eundem legere liceat. Meliori igitur consilio Noster eam inivit rationem, ut & textus authenticus fundamenti loco substerneretur, & ea, quæ desunt, debito modo supplerentur. Hoc autem institutum ita exsecutus est, ut in parte priori, velut per indicem, summa Jurisprudentiæ capita, juxta seriem titulorum Institutionalium recenseret, quæ pars etiam anno 1696 seorsim sub *Epitomes Juris privati*, sive *totius legitimæ scientiæ primorum elementorum* nomine excusa est. In posteriori vero, retento itidem titulorum laudatorum ordine, singulas juris privati materias proprio Marte ex generalibus juris naturalis & gentium principiis, jure Romano, & Teutonico contexeret, ac textum Institutionum brevi paraphrasi hinc inde auctum, apta connexione, locis congruis, nec variata paragraphorum serie, insereret. Uti autem quoad ipsam doctrinam nomen *Schilterianum* nihil nisi egregia promittit: ita nobis id solum nunc observasse liceat, quod Idem jus Romanum pro *subsidiario* habeat, cui in dubio jus Germanicum semper præferendum sit, ceu diserte docet *p.* 16. eique doctrinæ deinceps convenienter pronunciat. Hinc cum jus Germanicum simplicitatis naturalis, præcipue in pactis, fuerit tenacius, igitur *stipulationes Romanas*, & in specie *dispositionem de stipulationis seu alius contractus, in tertii gratiam celebrati, invaliditate*, a Germanis non esse receptas contendit *p* 415.423. Peculiare etiam jus, scilicet stillicidii immittendi in duarum ædium interstitium, quod jure Germanico Winckelrecht vocetur, Noster commemorat *p.* 172. Singularis vero, ac amœniori, quam vocent Jurisprudentiæ deditis valde notanda est ejus sententia, quam circa sensum §. 25. *I, de action*, proponit *p.* 651. Cum enim plerique cum Cujacio textum illum in verbis finalibus, *quam* (constitutionem Justiniani) *procul dubio certum est ex*

lege

*lege condictitia emanare*, corruptum, ac ita legendum: *ex qua procul dubio certum eſt lege condictitiam* (i.e. condictionem, quæ ex lege dici ſolet) *emanare* exiſtiment: Noſter tamen, deſperantium illa eſſe remedia ratus, lectionem vulgatam defendit, ac peculiarem omnino *legem condictitiam*, ex qua conſtitutio Juſtiniani emanaverit, fuiſſe, (ſecus ac credidit Bachovius in comment. *ad d.* §. *25.* ineptum Accurſii commentum eam ſententiam dicens) illamque ad actionum, olim apud acta denunciandarum ſeu inſinuandarum, eoque per apparitores, ſolutis ſportulis, citato, poſtea publicandarum ſolennitatem pertinuiſſe, fidem his omnibus adſtruente Codice Theodoſiano de *denunciation.* arbitratur. Cum vero iſtæ denunciationum ambages poſtea ſublatæ ſint, hinc nec legem condictitiam, nec inde deductam Juſtinianeam conſtitutionem, Codici repetitæ prælectionis inſertam eſſe, ulterius cenſet.

Iſtis commentationibus adjecit duos Pandectarum titulos de *Regulis juris* & *Verborum ſignificatione*, ſuccincta analyſi illuſtratos, cum & illi generalia juris principia contineant, ac adeo Inſtitutionibus optime conjungantur; nec non *methodum reſolvendi textus ac decidendi caſus propoſitos*, quæ licet mole ſua valde ſit exigua, unica ſcilicet plagula conſtans, plura tamen notatu digna, inprimis de quæſtione Domitiana, miſero illi Domitio Labeoni, qui ob quæſtionem paulo imprudentius motam, ac incivile moroſi Celſi reſponſum, communi velut nationum, queis jus Romanum innotuit, conſenſu pro ſtulto habetur, in excuſationem & defenſionem etiam pro futura continet. Quibus in gratiam tyronum ſeriem titulorum Pandectarum, cum Inſtitutionum titulis & ſupplementis collatorum, quæ inſtar manuductionis cujusdam ad opus Digeſtorum eſſe queat, ut & titulos ac paragraphos Inſtitutionales, ordine alphabetico diſpoſitos, ſubjunxit Noſter, quo ipſo eum inſigne patientis diligentiæ ſpecimen exhibuiſſe, nemo diffitebitur. Ut autem omnibus labor heic inſumtus placeat, idem non poſtulat, quin potius *per ſe licere, ut fruges inventas faſtidiens glande veſcatur*, generoſo contemtu profitetur.

## *JACOBI WENCKERI TRACTATUS DE PFALBURGEris, Usburgeris & Glevenburgeris.*

Ar-

Argentorati, sumtibus Joh. Reinholdi Dulsseckeri, 1698. in 4to. Alphab. 4. plag. 20.

QUam ante sexennium de Pfalburgeris conscripserat dissertationem inauguralem, eam secundis curis ex Archivo Argentinensi ita excoluit Clarissimus Autor, ut in justum hunc illa excresceret tractatum. Dicatus is est antiquitatibus Germanicis, ut vel hoc solo nomine patriæ amantibus non possit non placere. Quo majori enim res Germanicæ premuntur caligine, eo melius illos, qui ex indubitatis Archivorum documentis lucem iis fœnerantur, de Germania mereri dicendum est. Atque istam peritorum cordatorumque æquam æstimationem eo certius ac securius sibi Noster polliceri potest, postquam Celeberrimi *Schilteri* suffragio fultus, in lucem prodiit. Constat ille tractatus tribus Disquisitionibus.

*Prima*, quæ totam Dissertationem olim habitam, hinc inde tamen auctam interpolatamque, exhibet, ac Juridico-Historica est, præcipue Pfalburgerorum, per consequentiam tamen etiam Usburgerorum naturam explicat. Postquam scilicet ex rationibus politicis ac civilibus, inprimis etiam Germanicis, expediverat Noster, in quantum quis duarum civitatum vel municipiorum subditus civisque aut municeps esse possit; deinde ad Pfalburgeros convertitur, eosque dicit esse extraneos seu forenses, qui, cum sub aliquo Imperii Statu domicilium habeant, in urbe tamen aliqua, plerumque potente, (minimum antiquis illis temporibus) jus civitatis eo fine acquirant, ut ejus auxilio subnixi, oneribus prioris & legitimi domini se subtrahere possint. Qua occasione Usburgeros, i. e. cives extraneos, Auswärtige Bürger, simul exponit, nempe esse forenses, qui sine præjudicio alterius, dum vel sui juris sunt, vel dominus eorum consentit, alicubi jus civitatis acquirant. Quo loco id statim annotasse non importunum fuerit, sæpe Usburgerorum & Pfalburgerorum nominibus non veritatem sed affectum dicentium fuisse significatum. Quos enim civitas recipiens Usburgeros & cives legitimos dicebat, hos vicini Pfalburgeros esse in sui præjudicium allectos, contendebant, stante interim nunc ab his, nunc illis partibus veritate. Quo autem præcedentia reddantur explicatiora, speciatim de originatione Pfalburgerorum sollicitus Noster, ex pluribus, quas commemorat, sibi eam potissimum,

qua a *fala*, quod priscis insidias vel fraudem notabat, Pfalburgeri nomen deducitur, probari ait; deinde repetita ad mentem Aureæ Bullæ eorum definitione, originem in turbida illa Henricorum tempora, quibus Pontificum Romanorum artibus omnia susque deque agebantur, conjicit. Nam inter alia, hoc etiam minuendæ refractariorum Episcoporum aliorumque Procerum potentiæ tum utile judicabant Cæsares, si urbibus munitis privilegia largirentur, illorum homines, immunitatis contra dominos valituræ spe in cives alliciendi. Præcipue autem Pfalburgerorum sedes fuit Alemannia seu integra Suevia cum terris adjacentibus, quod exemplis copiose Noster illustrat; nec plebejæ tantum sortis homines Pfalburgeratum vel Usburgeratum (affectus enim synonyma facit, quæ juxta rei veritatem discerni debent) ambiverunt, sed aliquando etiam personæ illustres, ut Johannes Landgravius inferioris Alsatiæ, Abbatissa Andlaviensis, pluresque alii, in Usburgeros Argentinenses, juramento corporaliter præstito, recepti. Effectus Usburgeratus, imo etiam Pfalburgeratus, juxta intentionem recipientium & receptorum, erat, quod recepti pleno jure civium fruerentur, oneribusque civitatis recipientis subjicerentur, domino autem antiquo cornua velut obvertere, ac fere non aliud, quam quod vellent, ipsi præstare possent; prout id pluribus Noster persequitur, hoc deinde adjiciens, quod stilo recentiori alicubi Pfalburgeri dicantur, qui nulli alii domino obstricti, in aliquo municipio non jus civitatis, sed incolatus solum acquisiverunt, quique quibusdam Pactburgeri, communius autem Einwohner, Schußverwandte audiunt, quam abusivam adeo vocis significationem, a notione Pfalburgerorum exquisite supposita, distingui jubet. Licet autem Pfalburgeratus non invitis Cæsaribus invaluerit, mutata tamen temporum consiliorumque ratione, de eodem abolendo sæpius illi cogitarunt. Quid igitur eo nomine vel ante Auream Bullam, vel in ipsa Aurea Bulla, vel post eam actum sit, quisque Constitutionum illarum fuerit effectus, copiose Noster exequitur; additis insuper conventionibus, quas Status Imperii contra Pfalburgeratum inierunt, nec non specialibus statutis & pactis civitatis Argentinensis, eundem quoque respicientibus. His subnectit, quod Pfalburgerorum spuria velut species fuisse videantur *Montmanni*, ex infima hominum propriorum fece in illorum conditionem prorepere ausi; & quod cum Pfalburgeris illi,

qui

qui protectioni alterius se committunt, nec non Burgenses Regis in Gallia, *Bourgeois du Roy*, qui eo prætextu inferiorum Magistratuum jurisdictioni se subtrahebant, aliquo modo conveniant; ac coronidis loco usum disquisitionis institutæ, in quæstionibus hodienum in civitate Argentinensi occurrentibus, ostendit. Totum autem Pfal- & Usburgeratum pluribus documentis tandem illustrat, quæ quidem juxta quatuor titulos dispoluit, ita ut sub primo privilegia Cæsarea, Ecclesiæ & Episcopo Argentinensi circa Pfalburgeros concessa; sub secundo conventiones Episcopales, inter episcopos & civitatem Argentinensem, de Pfal- & Usburgeris diverso tempore initas; sub tertio civitatis Argentinensis de Usburgeris legislationem; denique sub quarto, litteras reversales Usburgerorum referret, iisdemque omnibus supplementa quædam adjiceret.

Disquisitio *secunda*, de Usburgeris inscripta, specialis est, ac historiam Usburgerorum Argentinensium exhibet, quam ex antiquis documentis, præmissa vel interjecta connexionis ergo brevi narratione Germanica, Autor contexuit. Nimirum Philippus II Cæsar civitati Argentinensi anno 1205 dedit privilegium, quosvis Alsatiæ incolas recipiendi in cives, eo effectu, ut receptis in loco domicilii nulla onera amplius imponenda sint; quod privilegium ab aliis Cæsaribus, imo, intercedente aliquando Episcopo & Capitulo Argentinensi, ab ipso etiam Pontifice Romano, deinde confirmatum est. Hac ratione civium extraneorum numerus valde crevit, dum immunitatis vel validæ protectionis spe allecti, nobiles ignobilesque, catervatim Usburgeratum Argentinensem ambiverunt & obtinuerunt. Licet autem Argentina eos omnes Usburgeros i. e. cives licite allectos esse prætenderet, viciniis tamen aliter videbatur, qui receptionem in sui præjudicium fieri, receptosque Pfalburgeros esse, sæpe non sine veritatis suffragio, causabantur. Hinc varia enata dissidia. Quid igitur eo nomine a primis inde initiis, ad præsens usque seculum, amice vel hostiliter actum sit, eo, quem antea indicavimus, modo Noster commemorat, pluraque eam in rem, ex doctissimi Dattii volumine de Pace Publica, nuper etiam a nobis in his Actis relato, depromi posse existimat: pollicitus insuper, Deo & Superioribus volentibus, ex Archivo Argentinensi pleniorem de *Fædere Rhenano* ac præsertim *Ligis Alsaticis* tractationem *p. 163*. Prolixiora illa sunt, quam ut eorum vel

index a nobis heic possit confici, quamvis & talis labor nimis aridus lectorique parum gratus futurus sit. Hoc generatim asserere possumus, esse omnia lectu dignissima, cum anarchiam Germaniæ politicosque solœcismos, istis seculis adeo solennes, copiose explanent. Seorsim tamen faciemus mentionem belli, quod der Schlegel-Krieg vocabatur, sicut belligerantes die Schlegeler vel die Gesellschafft der Schlegeler audiebant. Ratio nominis ab instrumento bellico dependet, quod erat, describente Trithemio, malleus de ligno duro factus, baculum habens longum, in cujus capite quatuor erant clavi ferrei, ab omni parte infixi, atque in summitate acuti, sicque ordinati, ut quaqua parte vibrentur, vulnus infligant ac ferrum penetrent. Suevis vocatur Schlegel, sed aliis Germanis, termino notiore, Morgenstern. Quare autem instrumento isti tantus fuerit habitus honor, ut inde bellum sit cognominatum, ejus ratio a victoria, quam Rustici contra Nobiles, malleorum istorum beneficio, aliquando obtinuerunt, desumitur, pluribus ea omnia recensente Nostro *p.98.sqq.*

*Tertiæ* Disquisitionis, quæ Glevenburgeris dicata, ac itidem specialis, ad res scilicet Argentinenses pertinens, eodemque, quo præcedens, modo contexta est, conscribendæ occasionem Nostro suppeditasse videtur Illustris *Mauritius*, tam in præfatione, quam hic citatus. Miratur enim ille in *Dissert. de Matricula Imper.* § 25. quod nemo Lexicographorum vocabulum Glesen explicet, & rei, ante duo secula toti Germaniæ cognitissimæ, amplius notitiam habeat, nisi quod unus Goldastus *Glesen* Latinis *lanceas* vocari, ac quatuor vel quinque equites armatos significare annotaverit, conjectura tamen ipsi (Mauritio) parum probabili visa, rato potius, *Glesen* notare *militem* inprimis *pedestrem*. Illustris *Eybenius*, ut hoc nobis obiter adjicere liceat, viso illo Mauritii loco, vocem Glese a Gallica *Glaive* deduci, cumque hæc non tantum *gladium*, sed & *lanceam* denotet, Goldasti opinionem, modo is pedites, aut alios armatos, pro equitibus velit admittere, admodum inde probabilem reddi existimat in *addend. ad disquisit. de Titul. Nobil p. 155.* Noster igitur tantorum virorum sententiis lucem affusurus, eademque opera impactam ignaviæ notam a Lexicographis solerter velut abstersurus, primo ex antiquis monumentis docet, *Glev*, *Gleven* vel *Glesen*, esse antiquam vocem Germanicam, notareque *hastam*, *lanceam* vel *spiculum*, ac probabiliter inde deduci mediæ & infimæ

niæ latinitatis vocabulum *Glavea*, quod tamen a Gallico *Glaive*, vel Anglico *Gleave* etiam derivari possit, imo, ut hoc inspergam, satius fuerit, omnia hæc vocabula ultimato a Germanico *Gleven* repetere, etsi ita Eybenio non videbatur. Erat vero Gleven species armaturæ equestris, ex doctrina Nostri, ac adeo arma illa gerentes, *Equites*, & plerumque quidem e Nobilitate lecti, qui *Glefener*, vel etiam synecdochice *Gleven* (vid *p. 65.*) dicebantur, ac regulariter quatuor equis, duobus servis, unoque puero, juxta morem civitatis Argentinensis, instructi esse debebant. Ex quo sententiam Goldasti, Mauritio haut probatam, excusari posse consultissimus Autor existimet, licet fortassis non plane defendi, cum mos Argentinensium universæ Germaniæ nequeat imputari, imo ipsa Argentina Glefeneros suos, ad expeditionem Romanam saltem, memorato antea modo instruere fuerit solita, aliam armandi rationem aliis in expeditionibus sæpe secuta: propriam interim sententiam pluribus documentis lectu dignissimis illustrans. Sed ut hactenus satis constet, quid *Gleven & Gleveneri* sint, id tamen nondum liquet, quid *Glevenburgerorum* nomen sibi velit. Neque enim hoc cum illis coincidere temere quis crediderit, cum tam cives incolas, quam Us- & Pfalburgeros, imo extraneos, certo aliquo stipendio conductos, Glefenerorum munere aliquando esse functos satis certum sit (*v. p. 65. 101*) adeoque Glefeneratus cum Burgeratu nihil habeat commune. Sciendum igitur, quod crescentibus bellis intestinis, Us- & Pfalburgeratu vero valde suspectis redditis, extranei in numerum civium, intuitu servitiorum militarium, tempore necessitatis præstandorum, fuerint assumti (*v. disquis. 2 p. 225.*) ita quidem, ut plenum jus civitatis non acquisiverint, sed quasi quasi saltem protectione, in specie contra Judicii Rohtvvilensis jurisdictionem, nec non immunitate a vectigalibus civitatis & episcopi Argentinensis, fuerint gavisi. H. *Glevenburgeri* istis temporibus vocabantur, quamvis in universum eorum conditio non usque adeo liquida sit, ut rerum Argentinensium periti, hac de re consulti, certi quid pronunciare sint ausi, prout eam in rem ex actis publicis amplius disserit Noster *disquis. 3. p. 100. seqq.* Quod si itaque Us- Pfal- & Glevenburgeros inter se contendas, paucis ita dicendum videtur: Usburgerus generaliter acceptus, notat civem forensem, & hactenus Pfal- & Glevenburgerum sub se comprehendit; si vero ad allectionis modum & finem re-

respicias, Usburgerus specialiter est extraneus, pleno jure, & citra alterius præjudicium, jus civitatis alicubi consecutus, Pfalburgerus vero, qui illud plene quidem, sed cum alterius præjudicio acquisivit, Glevenburgerus denique, qui eodem minus plene, ac intuitu servitii militaris præstandi, donatus est, a diverso interim allectionis modo, nunc Us-nunc Pfalburgerus etiam dicendus.

*TER TRIA: OR THE DOCTRINE OF THE THREE Sacred Persons, FATHER, SON, & SPIRIT: Principal Graces, FAITH, HOPE, & LOVE: Main Duties, PRAYER, HEARING, and MEDITATION, Summarily digested for the pleasure and profit of the pious and ingenious Reader, by FAITHFULL THEATE, Preacher of the Word at Sutbury in Suffolk.*

i. e.

Dreymahl Drey, oder die Lehre von denen drey Hochheiligen Personen der Gottheit, Vater, Sohn und Geist: drey vornehmsten Gnaden-Gaben, Glauben, Hoffnung und Liebe: drey besondern Pflichten des Menschen, Gebet, Anhörung und Betrachtung Göttlichen Worts. Zu Nutz und Ergötzung des gottseelig- und sinnreichen Lesers kürtzlich entworffen, durch Faithfull Teate, Predigern zu Sudburg in Suffolck.

In teutsche Verse übersetzt, und in beyden Sprachen herausgegeben von Gottfried Wagnern.

Leipzig, bey M. Th. Heybey, 1698. Alph. 1. plag. 8. in 8.

PRæstantissimis Poetis, qui in sacro argumento versati res divinas versibus exposuerunt, palmam in Anglia dubiam facit Poematis hujus auctor: qui postquam Dublini in collegio Trinitatis literis operam dedisset, ad ecclesiasticum munus concionatoris primum in Hibernia Dublini, dein Cromvelli ætate in Anglia Sudburgum, in Comitatu Suffolciensi, vocatus, magna in existimatione fuit habitus. Inter alia sacra ab eo edita scripta numeratur *The Caracter of cruelty in the worcks of iniquity*, nec non *The Cure of contention among the people of God*, quæ Londini A. 1656 prodierunt. Alius etiam pius ab eo editus liber, LXIV conciones in Canticum Salomonis comprehendens, sub titu-

titulo *A Scripture map, of the Wildernes of Sin, and Way to Canaan: or the Sinners Way to the saints rest*, Londini A. 1655, qui publicam lucem adspexit, & annexum habet carmen Anglicum, *Epithalamium, or a Love song of the louing Soue*, universam Cantici Canticorum summam versibus inclusam exhibens, admodum iis, qui pietati elegantiam & cultum in dicendo junctum in pretio habent, se approbavit. Cum primis autem poema hoc, *Ter Tria* quod inscripsit, in quo brevi veluti compendio universam theologiam, & summa fidei capita velut in nuce complexus est, apteque & summo cum judicio digessit, reliquis ejus scriptis palmam præripuit. Ratio inscriptionis inde petita est, quod poema hoc numero mystico, ter tribus nempe, seu novem capitibus incluserit: quorum in *primo* de Deo Patre allegorice omnia ejus attributa & opera, quibus se rectorem hujus universi, patremque creatarum a se rerum & gubernatorem exhibuit, juxta ductum Scripturæ sacræ exponuntur: in *secundo* Filii Dei æterna generatio & in tempore quæ contigit nativitas, vitæ cursus, miracula, passio, mors, resurrectio, adscensio in cœlum, regimen suæ Ecclesiæ & versus eandem amor, ex Evangelistarum narrationibus repetuntur, & typis e veteri Testamento petitis, interspersis passim insignibus meditationibus, illustrantur: in *tertio* Spiritus Sancti nomen, proprietates, officium & apotelesmata, sub variis schematibus, ex verbo divino depromtis, apposite explicantur. De tribus sanctæ Trinitatis personis postquam cantum absolvit, alia trina, gratiosa nimirum dona Sancti Spiritus, fidem, spem & charitatem decantat, eorum originem, proprietates, effectus, idoneis similitudinibus usus, perspicue ob oculos ponens. Tertius ternio præcipua hominis officia, nimirum orationem, verbi divini auscultationem, & meditationem ac applicationem eorum, quæ audita vel lecta fuerunt, apte explicat. Poema hoc ex concionis, & interdum fractis ac brevibus, ubique tamen eleganter cohærentibus compositum est versibus, cuivis tractationi adhibito peculiari carminis genere, & venustis verborum lusibus, paronomasiis, similitudinibus & allegoriis, aliisque dictionis ornamentis mirifice illustratum: ob hanc venustatem etiam & ingeniosum scribendi characterem summo in pretio habitum apud Anglos, qui sæpius istud typis exscribi curarunt, & avide emtum, ut hodie nulla in tabernis ejus extent exempla. Quocirca ejus amore, cum in Anglia degeret, accensus ante annos aliquot

Gotho-

Gothofredus Wagnerus, nunc in civitate nostra Senatorii ordinis decus, Poematis hujus (quod si quis satis intellige et, eum adeptum esse linguæ Anglicanæ usum, ab amicis didicerat,) in linguam Germanicam transferendi impetum cepit; & cum institutum hoc bene cedere animadverteret, non deterreri se passus est ejus d ffi ultate, sed insignem ex tractatione hac non oblectationem modo, verum etiam pietatis profectum sentiens, totum poema Anglicum, apposite & juxta auctoris mentem Germanicum reddidit: quæ convenientia utriusque patebit iis, qui linguæ Anglicæ gnari ambo inter se contulerint exemplaria, in editione hac juncta. In proclivi erat Interpreti, qua valet carminis dexteritate, cuivis sectioni, ad modum auctoris Angli, peculiare carminis genus adhibere, sed mixtum istud, quod madrigale vocant, maxime profluens, prosaico sermoni proxime accedere deprehendens, perpetuo ei inhærendum sibi duxit; hanc tamen legem servans, ut non ex vario genere carminis, sed solum ex elegiis, iis autem modo integris, modo dimidiatis, interpretationem contexeret. Quod adeo feliciter ipsi successit, ut non modo Angli auctoris mentem & emphasin accurate expresserit, sed rhythmos etiam tam limpidos & sponte veluti natos produxerit, ut si quis loco ultimorum in versu verborum alia synonyma substituat, purissimum sermonem prosaicum sit redditurus. Quocirca felicem Teatum prædicandum existimamus, qui post tot ab obitu suo annos, nunc tandem interpretem carminis nactus fuerit, utriusque idiomatis nec non cæterarum linguarum peritia sic exercitatum, ut reconditos poematis hujus sacri doctique sensus dextre exprimere potuerit, dubium relinquens, utrum auctor, an interpres, efficaciorem in animis lectorum relinquat stimulum. Cum autem Anglus in fronte libri sui indicaverit, non piis modo, verum simul acri judicio præditis scriptum eum fuisse; ut profundiores sensus erutos cuivis patefaceret, annotationibus multis & diffusis allaboravit Interpres: non dictionem seu paraphrasin suam, sed in ipso contextu extantia, vel e sacra Scriptura petita vel difficilia alia loca, iisdem explicans & erudite illustrans, nec digito solum dicta Scripturæ indicans, sed eadem subinde recitans, ut evolutionis labore lectores sublevaret; talia quoque in observationibus adferens, quæ non minorem utilitatem quam voluptatem librum hunc versantibus concilient.

BIBLIO..

*BIBLIOTHECA PATRUM APOSTOLICORUM GRÆco Latina. Præmissa est Dissertatio de Patribus Apostolicis, Autore THOMA ITTIGIO, SS. Theol. Licentiato, ejusdemque Professore Publico, & ad D. Nicolai Archidiacono in Academia & Ecclesia Lipsiensi.*

Lipsiæ, apud hæredes Lanckisianos, 1699, 8. Alph. 2. plag 8.

CUm in tradenda publicis lectionibus Theologia Patrum occupatus Maxime Reverendus Autor, Clementis Romani, Barnabæ & Hermæ operibus justo studio excussis, ad Ignatium progredi meditaretur, iis, quæ sancto huic Patri tribuuntur, epistolis ut carerent Auditores, noluit committere, easdemque proin Græco Latinas recudi fecit, sed ita tamen, ut Ignatio Clementem atque Polycarpum comites adjunxerit. Hos sub Patrum Apostolicorum nomine sistendos, & ex eorum operibus Bibliothecam struendam censuit; quam quidem adeo exiguam esse haud ulli mirum videri posse autumat, cum præter istos tres nemo Scriptorum Ecclesiasticorum, qui sua ad ætatem nostram monumenta transmiserunt, Patris Apostolici titulo dignus sit. Barnabam enim & Hermam, utut antiquitate cum Ignatio & Polycarpo certare queant, a Spiritu tamen Apostolico remotiores, & idcirco in classem Patrum Apostolicis proximorum reponendos potius venire asserit; multoque minus Abdiam, Linum, Prochorum, Martialem Lemovicensem, Dionysium Areopagitam, aliosque horum similes in Patrum Apostolicorum Bibliotheca locum aliquem sibi vindicare posse pronunciat.

Clementis igitur Romani utramque ad Corinthios epistolam heic exhibet, ac posteriorem quidem priori conjungendam duxit, non quod pari cum ea passu ambulet, sed quod in codice Alexandrino & in omnibus editionibus priorem comitari soleat. Primæ versionem Junianam per Joannem Fell recensitam, & secundæ Wendelinianam e latere apposuit, Colomesii de cætero editionem secutus, addito etiam notarum ejus spicilegio; etsi in istis non omnia calculo suo approbet. Neque enim cum Colomesio Clementem hallucinatum existimat, cum verba Jobi a Redemtore suo vivente vitam sperantis, de resurrectione interpretatus est; neque necessarium arbitratur, ut, quod ille suasit, ultimos versiculos capitis primi Paulinæ ad Romanos epi-

ſtolæ ex Clemente corrigamus. Cæterum ne quid deeſſet, breve etiam fragmentum epiſtolæ Clementis ſecundæ ex optimis parallelis MSS. Jo. Damaſceni, interprete J. B. Cotelerio, ſub calcem iſtius cum Lectoribus communicat, hac etiam in parte Colomeſium ſecutus.

Ignatianas dehinc epiſtolas in genuinas, interpolatas & ſpurias diſpeſcit. Sicut autem genuinarum ſeptem numerat, ita ſex priores e Cotelerii, aſt ſeptimam e Ruinarti interpretatione, Latine eas legere volentibus ſubminiſtrat; neque tamen earundem Ignatii epiſtolarum Latinam verſionem veterem, e duobus manuſcriptis in Anglia repertis a Jacobo Uſſerio, Archi-Epiſcopo Armachano, Oxoniæ A. 1642 primum editam, ſeorſim addere pigratus eſt. Interpolatas, quarum æque ſeptem conſtituit, cum verſione vulgata dedit. Has ſequuntur ſpuriæ, quotquot ſive Græce, ſive Latine tantum, ſub Ignatii nomine circumferuntur, illis etiam additis, quæ ad Ignatium ſcriptæ finguntur.

Sequitur tandem Polycarpus Smyrnenſis Eccleſiæ Antiſtes & Martyr, cujus ad Philippenſes epiſtolam Græce & Latine, ſed quinque fragmenta eidem adſcripta Latine tantum e Victoris, Epiſcopi Capuani, Catena in quatuor Evangeliſtas transſumta videas. Sed & Ignatii non minus ac Polycarpi Martyrium epiſtolis cujusque ſubjicitur, & iſtius quidem Græce & Latine ex Theoderici Ruinarti editione, hujus vero itidem Græce & Latione cum ex verſione a Jo. Baptiſta Cotelerio adornata, tum ex antiqua metaphraſi ab Uſſerio primum integre in lucem edita, perluſtrandam conceditur. Utrumque locum ſuum ideo in Bibiotheca iſthac invenit, quod a coævis ſcriptoribus conſignatum fuit; qua laude cum deſtituatur Martyrium Clementis Romani a Cotelerio Græce & Latine vulgatum, omittere iſtud, quam recentioris Scriptoris narrationem, a ſuſpicione falſi nequaquam liberam, his κειμηλίοις inſerere Editor Reverendus maluit.

Nondum vero eſt, ut a Bibliotheca iſthac recedamus, cum monumentis hactenus enumeratis prolixam admodum, ſed & eruditiſſimam Diſſertationem ſuam is præmiſerit, inque ea de Patribus Apoſtolicis ſeu Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui Apoſtolorum comites & diſpuli perhibentur, doctiſſime fuerit commentatus.

Primum enim obiter de ſacris Novi Teſtamenti ſcriptis nonnulla differit. Progreſſus inde ad varia Apoſtolorum pſeudepigrapha

pha,iis,de quibus in sua Dissertationum heptade a nobis A.1696,p.105.
seq. itidem recensita fuse dixerit,addi vult tertiam Pauli ad Corinthios
epistolam, aliamque Petri, quæ septingentis fere post ejus obitum an- 9.
nis ad Pipinum, Carolum & Carolomannum scripta perhibeatur. De 10.11.
Thomæ etiam Evangelio,tributisque eidem Actis paralipomena quæ-
dam nectit, & postmodum non Apostolis solum, sed viris quoque A-
postolicis monumenta varia supposita fuisse, manifestum reddit.

A Josephi enim Arimathæi, quæ vulgo ferantur, Epistolis ad 13.14.
Britannorum Ecclesias exorsus, earum æque ac traditionis de Josephi
ad Britannos adventu autoritatem labefactat. Neque ejus in Jesu ho-
norifice tumulando socii Nicodemi Evangelium ullius esse ponderis 15.16.
admittit. Lazarum, cui scripta quædam apud Verderium tribuun- 17.
tur, cum Maria, Martha, Marcella, sociisque aliis navi sine remis im-
positum inGalliam appulisse,monachorum figmentum salutat.Quem-
admodum factam a Marco Ecclesiæ Alexandrinæ fundationem val- 18.19.20.
de ait esse dubiam: ita veterum nonnullos, quod a Philone sub The-
rapeutarum nomine Christiani Ecclesiæ Alexandrinæ a Marco insti-
tutæ laudentur, existimare equidem admittit, Pontificios tamen sen-
tentiam istam pro antiquitate status Monastici aliquid facere sibi per-
suadentes redarguit; ac præterea Liturgiam, quæ nunc sub Marci
nomine extet, nec ab Evangelista hoc profectam, nec ejus ævo in Ec-
clesia Alexandrina usurpatum fuisse ostendit. Quod Evangelista Mar- 21.
cus idem sit cum Johanne Marco, cujus in Actis mentio occurrit, cer-
tis probari argumentis posse inficiatur, prout & tributam Johanni
Marco PassionemBarnabæ explodit,similem in modum circa Procho- 22.
ri de Johanne Theologo historiam se gerens. Mox ad Lini, qui Pe-
tri in Episcopatu Romano successor vulgo credatur, libros de passio- 23.
ne Petri & Pauli pergens, eos non minus spurios esse docet, quam tri-
butum ei ab Orderico Vitali tractatum de conflictu Simonis Petri &
Simonis Magi, qui alias sub Marcelli nomine prodierit. Epistolam 24.
de passione & Martyrio Andreæ Apostoli, quam Presbyteri & Diaconi
Achaiæ scripserint, a Baronio damnari nonnullos observasse notat;sed 25.
istis Baronium, etsi Acta Andreæ, quorum apud Epiphanium & alios
veteres mentio occurrat, reprobaverit, honestius tamen de Epistola
Presbyterorum Achaiæ sensisse regerit;quanquam & hanc νοθείαν in-
simulandam venire nullus abnuat,argumentis,quæ pro illa epistolaE- 27.

piscopus Tullensis prolixe attulit, breviter confutatis. Conceptum
ob Abdiæ Babylonii libros in quodam Carinthiæ monasterio inventos
a Wolfgango Lazio gaudium, impensumque ab eo & pluribus aliis in
istorum editionem studium, tantum non pro frustraneo venditat, cum
Abdias hic in nugivendulorum classem haud præter culpam suam re-
28. ponatur. Martialis Lemovicensis epistolas Helmstadii, cum Genna-
diano de Scriptoribus Ecclesiasticis tractatu, ab Elmenhorstio editas
fuisse dum Labbeus asseruerit, memoria eum lapsum esse innuit. Pari-
li modo falsum esse Miræum, quando eas Græce a Morello editas do-
cuerit; non Græce enim, sed Latine hunc Martialem scripsisse affirmat,
unde inter Græcos Scriptores eundem perperam abs se relatum Vos-
sius palam agnoverit. Tacemus, quæ de hoc Martiali proferuntur
29. alia, & ad Cæcilium cum Maxime Reverendo Autore nos conferimus.
Repudiat is præcipue Bivarii narrationem de Cæcilii hujus commen-
tariis in Apocalypsin Johannis Hispanica lingua scriptis, & labente su-
periori seculo in turri inhabitabili Turpiana repertis; quæ miraculosa
profecto esse commentaria oporteat, dum in Johannis Apocalypsin
scripta sint, antequam hæc ab ipso autore consignaretur, quæque Hi-
spanice elaboraverit Cæcilius multis ante seculis, quam lingua Hi-
spanica hodierna uspiam in orbe sonare inciperet. Qualis vero Ur-
bani VIII. Pontificis sententia de iisdem fuerit, patere ait ex Inquisiti-
onis Romanæ Decreto, quod Urbano præsente latum ejusque autori-
tate firmatum, a Fabio autem Chisio, Episcopo Neritonensi, ac postea
sub nomine Alexandri VII. supremo Pontifice A. 1641. Coloniæ publi-
catum sit, prout & Bollandus Sanctorum Actis istud inseruerit: unde
idem ad verbum descriptum affert, & declaratam in eodem ab Urba-
no adversus ista antiquitatis Apostolicæ fragmenta ab Hispanis jacta-
ta severitatem superasse adhuc Innocentium XI. commemorat, quip-
pe qui scripta illa non amplius suspenderit, sed absolute penitus dam-
30. narit. Circa Jasonis & Papisci Dialogum seu Altercationem, Celsi & O-
rigenis judicium allegat, deque isthoc scripto, cum jam pridem inter-
ierit, certa satis tradi haud posse contendit. Rigaltium enim patrum
nostrorum ætate istud adhuc extitisse affirmantem, & ad Nicolai Fabri
autoritatem provocantem, Hieronymi verba cum Fabri effato con-
31. fundere, cuivis manifestum fore promittit, qui Hieronymi in episto-
lam Pauli ad Galatas commentarium legere voluerit. Evodii tra-

ctatum

ſtatum Lucis titulo inſignitum, quem in Hiſtoria ſua Eccleſiaſtica Ni- 31.
cephorus citet, tenebris omnino dignum judicat. Quod Zenas 32.
Νομικὸς a Paulo Tit III 13. nominatus Acta Titi unquam deſcripſerit,
Bivarium gratis aſſeverare monet, & ea, quæ Petrus de Natalibus de
Plinii Secundi Junioris converſione ad fidem Chriſtianam Titi opera
conſummata tradat, ex genuinis Zenæ Actis depromta eſſe pernegat.
Ut Anacleti Epiſcopatum Romanum magnis laborare monſtrat diffi-
cultatibus: ita ejus, quæ circumferantur, epiſtolas, non minus ac re-
liquas veterum Pontificum a Clemente ad Siricium usque, ſpurias & ab 34.
Iſidoro Mercatore primum confictas appellat, & Blondelli circa con-
troverſiam hanc ſolertiam prolixe laudat, noviſſimo etiam Epiſtola-
rum illarum Decretalium Patrono uberius reſpondet. De Hierotheo,
qui Pauli diſcipulus & Dionyſii Areopagitæ præceptor fingatur, paulo 38.
plura diſſerit; de Visbio autem, Dionyſii Areopagitæ diſcipulo, ut mul-
ta commentetur, operæ pretium haud exiſtimat. Potius ad ipſum 39.
Dionyſium Areopagitam accedit, & varias de ejus Pariſienſi Epiſco-
patu, martyrio & corpore controverſias recenſet, plurimaque inſu-
per de ſcriptis Dionyſii hujus nomen præ ſe ferentibus colligit. Poſt
Papiam ſalutat, & num Patribus ille Apoſtolicis annumerari debeat,
incertum dicit. Neque firmis etiam rationibus probari poſſe cenſet,
quod hic Papias Pergamenſis Eccleſiæ Angelus Apocalypticus ſtatuen-
dus ſit, quæ ſententia Antiocho quidem Secondo arriſerit. Iſtud
contra pro certiſſimo agnoſcit, quod exilis fuerit judicii Papias, &
dum varias traditiones nimia captarit curioſitate, ſæpius ſibi ab aliis
imponi paſſus fuerit. Quadrati Apologiam pro Chriſtianis ineunte 51.
ſeculo ſeptimo adhuc ſuperſu ſſe, ſed hodiernum nonniſi quoddam
ejus fragmentum, ab Euſebio ſervatum, reperiri affirmat. In hoc cum
quidam mirabiliter a Chriſto ſanati, aut ad vitam revocati, Quadrato
vivente adhuc ſuperſtites egiſſe perhibeantur, nonneminem de illis i-
ſtud intelligere obſervat, qui ſimul cum Chriſto reſurgente e ſepul-
chris prodierint, contra quem tamen Quadratum ad illos potius, quos
Chriſtus inter homines obambulans a morte ſuſcitarit, reſpexiſſe ſta-
tuit; cumque eidem Theologo improbabile appareat, quod Qua-
dratus homines tales viderit, quos integro ſic poſt reſuſcitationem
ſuam ſeculo ſuperfuiſſe oporteret, reſpondet, iſtos a Quadrato non
eo amplius tempore, quo apologiam ſuam Hadriano obtulerit, ſed

cum adhuc juvenis & Apoſtolorum diſcipulus extaret, fuiſſe conſpectos.

Cæterum ut enumeratorum hactenus Scriptorum nullam in ſuo Patrum Apoſtolicorum Syntagmate rationem habuiſſe Cotelerium deprehendit, quandoquidem ſcripta ipſis attributa vel ſuppoſita ſint, vel deperdita: ita nunc de iis diſpicit, quorum opera in laudato Syntagmate colligenda Cotelerius exiſtimavit. Ac principe ibi loco
52. cum ſiſtatur Barnabas, alia ſcripta ipſi attributa dudum intercidiſſe, Epiſtolam autem, quæ Barnabæ nomen oſtentet, ſpuriis procul dubio annumerandam ſtatuit, de variis tamen ejus editionibus operoſe diſſerens. Eandem quoque induſtriam circa Hermæ opus ſub Paſtoris no-
55. mine allegari ſolitum Lectori erudito approbat, deque autore ipſo varias variorum ſententias more ſuo docte atque accurate diſcernit, quidque de ejus autoritate Pontificii non minus atque Reformati & Noſtrates judicent, manifeſtum reddit.

Tandem vero ad iſtos paulo diligentius delineandos ſe accingit, quorum aurea & ævum illud, quo Chriſti ſanguis adhuc circa Chriſtianorum præcordia caluit, ſpirantia monumenta volumen præ-
66. ſens complectitur. Primus horum Romanus ille *CLEMENS* eſt, de cujus perſona, officio, martyrioque ubi nonnihil præmiſit, multos impoſtores perſonam ejus induiſſe, ac pleraque, quæ nomen iſthoc mentiantur, ſcripta eidem ſuppoſuiſſe queritur, & ſigillatim id de Ca-
69. nonibus deque Conſtitutionibus Apoſtolicis, de Recognitionum item libris, &, quæ ejusdem furfuris ſint, Clementinis evictum dat. Nec reticet epitomen geſtorum Petri, ſeu Clementis Romani de actibus, peregrinationibus & prædicationibus Petri narrationem, & epiſtolam ad Jacobum Hieroſolymorum Epiſcopum ſcriptam. Et epitomen certe iſtam a nemine doctiorum facile pro legitima habitum iri, Barthio adſtipulatus confidit; epiſtolam vero ad Jacobum ſpuriam eſſe vel ipſam inſcriptionem indicare ait, cum Jacobus Hieroſolymorum Epiſcopus eo tempore in vivis amplius haud fuerit, quo Clemens Romanum Epiſcopatum tenuerit. Nec majoris eſſe fidei docet quinque Clementis epiſtolas decretales, & Liturgiam conſtitutionibus Apoſtolicis in-
74. ſertam. Perperam quoque Clementi Canonicam ad Hebræos Epiſtolam tribui probat, nihilque iſto pacto Scriptori huic relinqui infert, præter duas ad Corinthios epiſtolas e codice Alexandrino A. C. 1633.

in

in apricum prima vice productas, de quarum diversis editionibus mox secutis aliisque ad eas attinentibus ex instituto agit, & post assertam per aliquot pagellas prioris adversus dissentientes γνησιότητα, posterioris fragmentum longe minoris, si cum ista comparetur, pretii esse lubens confitetur. Secundus Patrum horum Apostolicorum est *IGNATIUS*, Θεοφόρε cognomento gaudens, cujus occasione traditionem de isto Christi manibus aliquando excepto & gestato examinat, nominisque illius optimum interpretem Ignatium ipsum facit, dum Θεοφόρον esse omnem, qui Christum habeat in pectore, non citra rationem autumet. Non parum quoque fragilem reputat assertionem illam, quæ, quod Ignatius Christum a mortuis resuscitatum suis usurparit oculis, contendat. Circa scripta, quæ huic Patri in Catalogo suo librorum Chaldæorum Hebed Jesu vindicet, diu haud subsistit, sed prolixiorem de ejus epistolis discursum instituit, inque hoc eatundem in genuinas (quamvis nec has ab omni corruptione liberas pronunciare audeat,) interpolatas & spurias distributionem tuetur, notitiamque editionum earundem insinuat. Ex eo, quod in Actis martyrii Ignatiani genuinis referatur, eum Antiochiæ ad bestias a Trajano damnatum, Romamque abductum inibi a bestiis præter ossa quædam solidiora devoratum fuisse, affatim patere concludit, falsum esse, quod carnifices in dissecto ejus corde nomen Jesu aureis inscriptum literis invenerint. *POLYCARPUS* denique ultimum heic locum impetrat, de quo, an in prima sua ætate Gentilismi asseclam se præbuerit, disquirit, & Pearsonium negativam tueri sententiam docet. Cur tamen ad contrarium Usserii argumentum, ex ipsa Polycarpi ad Philippenses epistola depromtum nihil ille responderit, miratur. Non omittit etiam Stephani le Moyne circa martyrium Polycarpi suspiciones, & discrepantes circa annum mortis ejus eruditorum calculos, ac instruendo operum illius deperditorum atque spuriorum indicio postea quam satis diu detentus fuit, de ejus ad Philippenses epistola genuina decernit, quod post Ignatii mortem scripta ea fit. Utut interea haud pauci vel posteriorem hujus epistolæ partem, vel integram quoque Polycarpo suppositam causentur, nimis tamen infirmis eos rationibus niti, extra omne dubium collocari debere adstruit.

Margin numbers: 83 (beside "lubens confitetur... est I-"), 84 (beside "subsistit..."), 89 (beside "ptum literis invenerint..."), 92 (beside "fit. Utut interea...").

*INSTI-*

*INSTITUTIONES BIBLICÆ, SIVE SCRIPTURÆ S. prolegomena, una cum selectis Annotationibus in Pentateuchum. Autore J. BAPT. DU HAMEL, Presbytero & Exprofessore Regio.*

Parisiis apud Steph. Michallet, 1698, in 12. plag. 20.

QUi vel ob conciliatas diversorum Philosophorum sententias inter doctos dudum inclaruit, doctissimus ipse *Du Hamel*, nunc vergente in senium ætate, sacras Annotationes in Divinarum Scripturarum libros e SS. Patribus aliisque nostræ ætatis Scriptoribus eximiis quam brevissime excerpendas parat, quarum illa pars, quæ in Pentateuchum est, primo loco prodiit.

Ut vero ad Scripturarum ac istarum simul annotationum suarum intellectum facilior sterneretur via, Institutiones quasdam, ex multis & magnis voluminibus, quæ hac de re in lucem prodiere, selectas præmisit, breviterque percensuit. Eas quatuor dissertationibus complexus est. In quarum prima de Scriptura in se spectatæ, ejusdemque autoritate, integritate, inspiratione agit; in secunda de textus Hebraici antiquitate & autoritate, de versionibus cum Græcis ac potissimum LXX Seniorum, tum Latinis ac de Vulgata imprimis disserit. Tertia dissertatio, quæ ad multiplicem Scripturæ sensum & varias illius expositiones spectant, continet; ac in quarta denique e Chronologia & Geographia S. quæ ad intelligentiam Scripturæ faciunt, adducuntur.

---

LIBRI NOVI.

*Francisci Mauroceni Peloponnesiaci Venetiarum Principis Gesta. Scriptore Joanne Gratiano Bergomensi, D. Patavii ex typographia Seminarii, 1698 in 4.*

*Vita di Don Pietro Giron Duca d'Ossuna, Vicere di Napoli, scritta da Gregorio Leti. Amsterdamo appresso Georgio Gallet, 1699. 12.*

*Jo Jensii Lectiones Lucianeæ. Accedit ad V. Cl. Jo. Georgium Grævium super aliquot Diodori Siculi locis Epistola. Hagæ Com. apud M. Uitwerf, 1699. 8.*

*Les Memoires d'Edmond Ludlow. A Amsterdam, chez Paul Marret, 1699. 12.*

* * * * * * * * *

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipsiæ*

*Calendis Februarii, Anno M DC XCIX.*

## THE ANATOMY OF HUMANE BODIES.

i. e.

*ANATOMIA CORPORIS HUMANI, FIGURIS AD VIVUM delineatis æque illustrata atque amplis earundem Explicationibus, Observationes novas, cum Anatomicas, tum Chirurgicas comprehendentibus &c. Autore* GULIELMO COWPER, *Chirurgo.*

Londini, apud S. Smith & B. Walford, 1698. in Fol. chartæ aug. Constat plag. 63. & figurarum tabulis 116.

INtegra Corporis humani Anatome, uti omnium elegantissima, ita & accuratissima, ab *Experientissimo* hic sistitur *Autore*, qui ex edita jam, & in *Act. Supplement. Tom. 2 p. 506.* a nobis recensita *Myotomia reformata*, magnum Anatomicos inter obtinuit nomen, cujusque effigies in frontispicio cum alia figura Anatomiæ etiam *Bidloi* præposita cernitur. Quamvis enim nitidissimarum figurarum *tabulæ centum & quinque* vix abludant ab iis, quibus *Clariss. Bidloo* Anatomiam suam, in *Actis* pariter a nobis *A. 1685. p. 295.* commemoratam, exornavit: quoniam tamen nova primum ad Anatomiam Introductio, hinc novarum Annotationum & Observationum ingens numerus, frustra quæ in laudato *Bidloi* volumine quærantur, plures deniq; figuræ novæ *novem tabulis* comprehensæ, una cum indice, editioni nostræ accesserunt, hæsitare merito quis poterit, num Anatomia præsens pro nova prorsus, an pro *Bidloi*, auctiore tamen

longe & correctiore, debeat haberi. Nempe postquam in præfixa *Introductione* solennes œconomiæ animalis functiones, cum naturales, tum animales, e principiis mechanicis strictim deductæ fuerunt, ante omnia quæ symmetria partibus externis in fœtu utero etiamnum incluso, infante ac adulto, non minus ac in mare & fœmina intercedat, quæque habitudo musculorum & aliarum partium in motibus diversis occurrat, in prioribus trium tabularum explanationibus declaratur. Tum in reliquis ad Appendicem usque tabulis harumque explicationibus, non solum aliquot centum loca literis convenientibus antea omissis rite notantur & enodantur; sed & observationes Anatomiæ, Chirurgiæ & Pathologiæ illustrandæ causa spisse adjiciuntur, quarum potiores sicuti promiscue ab *Autore* proponuntur, ita si promiscue quoque a nobis nunc indigitentur, haud ingratum
ad Tab. 4. Lectori fore speramus. Cuticula v. g. in aqua macerata, pro diversa cutis crassitie modo in duas, modo in tres vel quatuor dirimi valet lamellas, sub microscopii examen singularem squamularum contex-
Tab. 5. tum exhibentes. Cum pericranium æque ac communis musculorum tunica e pluribus laminis coalescat, periostium cranii, sub musculo etiam temporali locatum, inferior sive interna pericranii, temporali musculo superincumbentis, reputatur lamina. Aneurysma in arteria frontali risus subitanei & vehementioris occasione enatum, feliciter demum curatum fuit, ubi os frontis, per quod arteria dicta
Tab. 8. progreditur, cauterio actuali esset inustum. Qui cerebro & pia meninge vulneratis, sæpe in meninge dura & cranio propullulat fungus,
Tab. 10. absque hæmorrhagiæ metu exscindendus præcipitur. Ex structura nervorum accuratius trutinata ipsorum spirituum animalium existentia in dubium vocatur, quia hi liberum per nervos transitum vix inveniant, dum nervi neutiquam tubuli existunt per omnem longitudinem cavi, sed porositas ipsorum cellulis, a vasculis sanguiferis oriundis & globulos repræsentantibus, habetur interstincta, itemq; nervi in exortu perquam angustati hinc inde in progressu circa ganglia multum dilatantur. Ipsi propterea globuli nervos interius constituentes ac sibi invicem contigui, pro medio agnoscuntur, quod impressionem ab objecto in sensorio externo factam ad sensorium commune deferat. Pingues glandulæ mucilaginosæ intra vertebrarum specum pro humectandis membranis medullæ spinalis liquorem se-

parare

parare dicuntur, interdum adeo copiosum, ut effluat, quando vertebræ ob medullam lustrandam rumpuntur. In cura fistulæ lachrymalis, ubi tumor secundum ductum fibrarum orbicularis palpebrarum musculi primum incisus, mox scalpello profunde satis usque ad os unguis sive lachrymale adacto, arteria & vena canalem una lachrymalem pertranseuntes eum in finem resectæ, ne a sanguinis effluxu cauterium obtundatur, ipsum denique os lachrymale acuto cauterio actuali, cannula sua munito, pro via lachrymis ad nares paranda, pertusum fuerunt, vulnus externum ad ossis usque exfoliationem haud apertum servandum jubetur, sed callositate intra triduum vel quatriduum remota, & materia evacuata, statim turundæ imminuendæ vulnusque carne replendum ac cicatrice occludendum; quod foramen alias ossi lachrymali inustum promte denuo obturetur, ipsaque operatio repeti debeat, ramenta vero post cauterium ab osse dicto per exfoliationem secedentia commode per nares ipsas queant eliminari. Pro cataracta deponenda non tam acus angulosa, veluti vascula choroideæ tunicæ latius lædens, ac sanguinem eandem inter & scleroticam tunicam perniciose effundens, quam rotunda in tunicam oculi adnatam ad majorem a pupilla distantiam, quam plerumque solet, suadetur adigi. Si tumor in maxilla inferiori ad anteriorem musculi masseteris partem incidi debeat, quoniam ratio habenda arteriæ a cervicali ascendentis & juxta insertionem masseteris supra maxillam inferiorem antrorsum progredientis, ne incaute hac resecta periculosa hæmorrhagia concitetur, ideo ad Autoris exemplum cutim semper duobus in locis, utrimque videlicet juxta arteriam, cauterio aliave ratione prius perforare, & arteriam filo interceptam ad triduum vel quatriduum sensim strictius constringere præstat, quam tuto eandem dividere. In corpore morbido dissecto uti dextra thoracis regio multa repleta fuit aqua, ita & pulmo ejusdem lateris aquæ impositus fundum hujus petiit. Ex eo, quod cera in receptaculum lumbare injecta lymphatica etiam vasa thymi aliarumque partium in ductum thoracicum superius desinentia distendat, thymum ipsum cum glandulis thyroidæis in fœtu diverticuli loco inservire superabundanti chylo, atque exin lacte turgere colligitur. Quæ venæ arteriæ bronchiali sæpe respondent, in ramos subclavios terminari, vascula vero membranæ pulmonum sanguinea, ab arteriis & venis pulmonalibus, itemque bronchialibus oriunda,

Tab. 11.

Tab. 14.

Tab. 21.

Tab. 24.


da, frequenter cum vaſis intercoſtalibus pleuræ combinari anſamq;
Tab. 34. pulmonum cohærentiæ cum pleura præbere aſſeruntur. In juvencula
loco omenti non niſi acervus parvarum glandularum adfuit ſteato-
matoſa ſive pingui materia turgidarum, quales & externam ventricu-
li, inteſtinorum ac peritonæi membranam hinc inde occuparunt.
Neque tantillum pinguedinis in univerſo corpore perquam macilen-
to comparuit, quod in abdomine duæ cumprimis meſenterii glandu-
læ inſigniter tumefactæ receptaculum chyli comprimendo omnem
hujus ad ſanguinem diſtributionem remoratæ fuerint. Inteſtinorum
autem, quæ a pyloro ad anum usque propter impeditum forſan mo-
tum periſtalticum infarcta fæcibus ac multis in locis inflammata, ipſa
tenuia adeo arcte invicem coaluerunt, ut cerebrum quaſi pia menin-
ge tectum repræſentarint. Qua occaſione mucus a peritonæo ſecerni
reputatur, qui ſicuti cum exhalationibus omenti pinguibus linimen-
tum aliquod conſtituat, externæ inteſtinorum ſuperficiei lubricandæ
eoque ipſo motui horum periſtaltico facilitando inſerviens, ita ſi vel
deficiat, partes inter ſe coaleſcere, vel ſeroſior etiam excernatur, hy-
Tab. 35. dropem enaſci. Ventriculi duo enarrantur vulnera, alterum hypo-
chondrio dextro, ſiniſtro alterum gladio inflictum: prius, mox enor-
mi ſanguinis vomitu atque ſyncope ſtipatum, haud lethale; lethale
autem poſterius, in quo multus ſanguis cum copioſis ventriculi con-
Tab. 36. tentis in abdominis cavitatem fuit effuſus. Lieni humano (qui ut di-
verticulum in Introductione conſideratur, quo ſanguis ſero imprę-
gnatus ſecedat per venas ſplenicas in vena portæ denuo ſanguini a
ventriculo, inteſtinis, pancreate &c. remeanti craſſiori, motus hujus
circulatorii per hepar neceſſario promovendi gratia, affundendus)
copioſiores, minores tamen, vindicantur cellulæ, intra venarum & ar-
teriarum extremitates hiantes, ſine negotio impulſione vel flatus in
venam, vel aquæ in arteriam, ſalva tantummodo membrana exter-
Tab. 38. na, demonſtrandæ. In humano hepate, folliculo fellis evacuato & du-
ctu cyſtico ad aliquam ab iſtius cervice diſtantiam ligato, flatus copio-
ſe in porum hepaticum intruſi nequicquam ad folliculum penetrat;
nec mercurius ad hunc in quadrupedibus eadem ratione propelli va-
Tab. 39. let. Vaſis lacteis primi generis duplex adſcribitur exortus, alter ab ex-
tremitatibus arteriarum per mercurii in haſce injectionem detegen-
dus, & alter ab oſculis in cavum inteſtinorum hiantibus, quemadmo-
dum

dum ligamentis coli fibræ carneæ, fæcum excretionem promoventes adſignantur. In procidentia ani internam potiſſimum inteſtini recti tunicam relaxari exemplo Viri nobilis comprobatur, qui hæmorrhoidibus & ani procidentia diu quidem vexatus & aliquando a ſubitaneo exceſſu ipſius ani prolapſi & inflammati ſphacelum perpeſſus, perfectam nihilominus ſanitatem ita recuperavit, ut poſtea nec hæmorrhoidibus, nec procidentiæ ani amplius eſſet obnoxius. In honoratiori Viro, qui viginti ante obitum annos urinam fæculentam excreverat, ren ſiniſter major deprehenſus fuit & laxiori textura præditus, flatusque in ureterem immiſſus mox ad venam pervenit. Vaſcula ſanguifera in teſticulis glandulas conſtituentia longe minora quam in glandulis aliis ex eo monſtrantur, quod mercurius in arteriam ſpermaticam injectus neutiquam per venam redeat, ſed extremitatibus perruptis intra tunicam potius albugineam colligatur, neque lymphatica vaſa a flatu in arteriam ſpermaticam impulſo intumeſcant. In pudendo muliebri præter glandulas meatui urinario adſitas inſignes duæ inferius prope anum notantur, quarum canaliculi ad radices caruncularum myrtiformium pateant. Vaſorum uteri cum vaſis uterinæ placentæ communicatio injectione mercurii evincitur, dum hic in arteriam matris hypogaſtricam intruſus per venam umbilicalem placentæ remeat, in arteriam autem placentæ injectus per venam hypogaſtricam matris regurgitat. Fundus autem uteri ſi poſt partum vel abortum tumidus perſiſtat, occaſionem hæmorrhagiæ ſæpe lethali præbere ratione orificiorum patulorum merito aſſeritur. Licet amnios tunica videatur transparens, vaſcula tamen ſanguinea a vaſis umbilicalis chordæ oriunda detegi queunt copioſa arteriæque venis continuæ, ſi mercurio in arterias & venas injecto microſcopium adhibeatur. Notabile ulcus paulo ſupra trochanterem majorem fiſtuloſum, quam ſæpius antea reſpuit medelam, ſatis prompte admiſit, cum ſubſtantia cartilaginis inſtar dura fundum ſinus aperti occupans, utpote muſculo glutæo medio inſtrata & eſcharoticis minime cedens, ab Auctore eſſet excisa. Ductus excretorii mucilaginoſarum genu glandularum, in ſitu oſtenſarum, humorem contentum non æque per orificia patula ac in glandulis v. g. faucium evacuant, ſed in lacinias potius ſive fimbrias ultra ſuperficiem glandularum protenduntur, intra ſinum articulationis flaccide propendentes, quo oſculorum non minus obſtructio & mucilaginis

Tab. 3. Tab. 46. Tab. 51. Tab. 54. Tab. 59. Tab. 72. Tab. 79.

regurgitatio, quam nimia humoris mucilaginosi excretio arceantur.
Tab. 9. In non nemine, qui a primis annis vehementi cephalalgiæ obnoxius ex apoplexia demum obiit, vestigia vasorum calvariæ impressa perquam notabilia & quasi pellucida apparuerunt, ob vasa duræ menin-
Tab. 92. gis calami crassitiem æquantia. Membranula dentis radicem intra alveolum externe investiens haud difficulter reperitur, ubi vivo vel re-
Tab. 93. cens mortuo is extractus & per aliquot dies in aqua maceratus fuerit. In Viro magni nominis dissecto causa prompte patuit, cur ante discessum ille de paralysi partium inferiorum simulque insigni dolore circa octavam & nonam vertebram dorsi ac imprimis hypochondrii dextri fuerit conquestus, præterquam quod propter spinosum aliquem processum nimis tunc ibidem prominentem nequicquam attactus perferre valuerit; etenim cum viscera extracta & arteria magna cum ductu thoracico a vertebris separata essent, circa has non solum tumor, sed & hoc inciso & materia subfusca evacuata, vertebra nona anterius & superius, octava autem inferius carie ita consumptæ comparuerunt, ut per foramen digitus ad medullam ipsam spinalem faci-
Tab. 95. le immitti potuerit. Luxatio acromii cum clavicula connexi traditur in iis aliquoties, qui ex alto in summum humerum corruerunt, ab Autore observata, haud difficulter cognoscenda, si extremitate claviculæ externa protuberante scapula cum humero depressa fuerit. In
Tab. 96. puero decem vel duodecim annos agente singularis humeri annotatur fractura, dum appendix hujus superior a reliquo esse ex perpessa injuria externa discessit, humerique motum æque læsit, ac si humerus a scapula fuisset luxatus, post reductionem tamen humeri ad figuram convenientem & emplastri de sapone, sanguinem congrumatum resolventis, applicationem brevi ab *Autore* restituta. Neque silendum omnino, præter exactiorem musculorum descriptionem,
Tab. 8. *Bidloi* asserta & schemata subinde a *Nostro* corripi & corrigi, e. g.
Tab. 10. meningem cerebri intermediam non nisi externam piæ meningis lamellam haberi. Nervorum paria per calvariam prodeuntia præter necessitatem multiplicari, plexumque choroideum nervuli omnis esse expertem. Fibras carneas circa nasi alas neutiquam occurrere
Tab. 12. circulares. Neque ductum salivalem inferioris glandulæ maxillaris
Tab. 14. tali reperiri facie, qualia *Bidloo* delineatur. Musculos item laryn-
Tab. 24, 25. gis vitiose depingi. Multo minus lobulos pulmonum ea figura separari posse,

pag. 55. M. Febr.



ri posse, quali a *Wallisio* repræsentantur. Radices cysticas vascula potius mera esse sanguifera. Ductus thoracici insertionem falso depingi in subclavia vena dextra. Tubulos umbilicalis chordæ succiferos, placentæ uterinæ glandulas atque tunicam allantoideam hactenus ab *Autore* nostro frustra indagata fuisse. Apophysin humeri externam & internam perverse invicem confundi. In figuris ossium pedis secunda digitorum internodia penitus negligi. Tandem in *Appendice*, cum copioso *Indice* adnexa, quadraginta figuræ in novem tabulas digestæ, ac partes in *Bidloi* tabulis vel plane omissas, v. g. musculos omnes externos in situ. glandulas inguinales, labiorum, epiglottidis, subclavias, tonsillarum conformationem, vel minus accurate delineatas, e. g. arterias in fœtu, organum auditus, laryngem, linguam, vesiculas seminales, basin calvariæ & cerebri, musculos varios &c. ezhibentes repræsentantur, sufficientique textu, exquisitis observationibus Anatomicis referto, dilucidantur: quarum nonnullæ etiamsi in *Myotomia Autoris* superius laudata, itemque in *Ridley Anatomia Cerebri, in Actis A. 1696. p. 201.* memorata, deprehenduntur, multæ tamen novæ penitus existunt, quales inter & Figura sexta, septima, decima, undecima, duodecima, & decima nona habentur, cum explicationibus huc transcriptæ.

Tab. 38. Tab. 40. Tab. 59. Tab. 69. Tab. 105.

Explicatio Figurarum. Tab. I.

Fig. I. ex Autoris sententia lymphaticorum ortum ab extremitatibus vasorum sanguiferorum exprimit. Fig. I.

A. Ramulus arteriæ. a a. Extremitates hujus cum vena continuatæ. B. Ramus venæ. C. Vas lymphaticum emergens ab extremitatibus vasorum sanguiferorum, intercedentibus vel vesiculis diversis, vel tubulis parvis, in latera vasorum sanguiferorum biantibus.

Fig. 2. modum edocet, quo ductus excretorii a vasis sanguiferis proveniant. Fig. 2.

A. Arteria. B. Vena. C. Ramus aliquis ductus excretorii. d d. Extremitates vasorum sanguiferorum. e e. Extremitates tubulorum excretoriorum, ubi a poris in vasorum sanguiferorum lateribus exsurgunt, antequam in ramos ductus congregentur.

Fig. 3. Receptaculum chyli cum glandulis lymphaticis vicinis mercurio repletum, ac in situ naturali cum partibus adjacentibus relictum, prout multis Curiosis demonstratum fuit, quando *Professor Bidloo* alloquio *Nostrum* dignabatur. Fig. 3.

AA.

A A. Renes. a a Venæ emulgentes, quarum dextra inferiorem ſitum obtinet ſiniſtra. b. Truncus venæ cavæ aſcendens flatu turgidus, cujus inferior pars ab iliaca arteria dextra comprimitur. C C. Portio duarum venarum iliacarum, ſub arteria iliaca dextra æque flatu diſtentarum, ac vena cava ſupra eandem. D D. Truncus venæ cavæ aſcendens ſub renibus. d d. Arteriæ iliacæ. P. Truncus arteriæ cæliacæ reſectus. F. Truncus meſentericæ ſuperioris pariter reſciſſus. e e. Arteriæ teſticulorum, quarum dextra ab arteria magna D oritur, ſiniſtra vero per glandulam lumbarem Q progreditur, f f. Venæ ſpermaticæ, quarum dextra, ubi venam cavam, & ſiniſtra, ubi venam emulgentem ingreditur, valvulæ occurrunt ſanguinis e majoribus vaſis in venas hasce deſcenſum impedientes. g g. Ureterum pars ſuperior flatu diſtenta. h. h. Pars eorundem inferior ad veſicam urinariam pergens flatu haud diſtenta. i. Aliquid pinguedinis circa ureterem, e rene egredientem, reſtitans. G G. Glandulæ renales ſive caſpulæ atrabilariæ in ſitu H H. Inferior Diaphragmatis portio carnea, a vertebris lumbaribus emergens. J Diaphragmatis fiſſura, gulæ viam ad ventriculum concedens. K. Veſica urinaria flatu diſtenta. L. Urachus deorſum flexus. M M. Pſoas magnus. N. Sacculus chyliferus, ſive receptaculum chyli mercurio repletum, poſtquam vena cava a comite arteria magna ſeparata fuit. O inſignis truncus venæ lacteæ ſecundi generis, per quem mercurius fuit injectus. P. Tubus mercurium transmittens. QQ. Glandula lumbaris ſiniſtra, ex parte ſub arteria magna locata. R R. Glandula lumbaris dextra, ex parte ſub vena cava ſitum obtinens. S S. Ramuli nonnulli lymphatici utramque inter glandulam lumbarem communicantes. ſ ſ. Vaſa lymphatica a glandulis inguinalibus æque orta ac ab aliis glandulis, quæ circa vaſa iliaca occurrunt & lympham a partibus inferioribus revehunt. T T. Venæ & arteriæ ſpermaticæ utrinque, dum ad teſtes pergunt, duplicatura peritonæi involutæ.

TAB. I. Fig. 4. 5.

Fig. 4. & 5. apud Autorem non niſi unam Figuram conſtituunt, ſed hic ob chartæ anguſtiam circa M diviſam.

Glandulæ lumbares cum receptaculo chyli & parte ductus thoracici mercurio turgidæ & ex corpore exemtæ.

A. b b. Receptaculum chyli e tribus coagmentatum truncis, quorum unus ampliſſimus in figura præcedanea tertia litera N notatur, reliqui autem

autem duo multo minores immediate ſub arteria magna D. Fig. 3. locantur. Quæ diviſio receptaculi chyli in tres truncos cum hucusque a nemine fuerit indigitata, haud fruſtra Noſter ſuſpicatur, omnem receptaculi lumbaris deſcriptionem hactenus propoſitam, a quadrupedibus petitam eſſe, & in his ob ſitum horizontalem unum quidem ſacculum chyliferum poſſe ſufficere, ſed in homine, & in quo ductus thoracicus ac receptaculum chyli ad perpendicularem ſitum vergunt, propter commodiorem chyli & lymphæ aſcenſum, neceſſario receptaculum in tres canales dividi debere, antequam totum ſub arteria magna progrediatur. a. Truncus vaſis lymphatici a diaphragmate provenientis. B. Ductus thoracicus ſupra diaphragma, inter truncum arteriæ magnæ deſcendentem ad corpora vertebrarum thoracis pergens. C. Truncus aliquis vaſorum lacteorum ſecundi generis, in Fig. 3. litera o. notatus, ceu per quem mercurius injectus. c. Notabilis valvula gemina, chyli & lymphæ regreſſum in vas lacteum impediens. D. Superficies glandulæ lumbaris ſiniſtræ ad arteriam magnam locatæ. d. Alius truncus parvus vaſorum lacteorum ſecundi generis, una cum parva quadam meſenterii glandula, a qua ille oritur. E. Vaſa lymphatica, ab inferioribus partibus emergentia & in glandulam lumbarem ſiniſtram deſinentia. F. Glandula lumbaris dextra ſub vena cava ſita. G. H. Vaſa lymphatica partium inferiorum, ad glandulam modo memoratam tendentia. I. Magnum vas lymphaticum, in receptaculum chyli majus lympham exonerans. K. L. Ramus lymphaticus communicans dextram inter atque ſiniſtram glandulam lumbarem. M M M. Ductus thoracicus cum valvularum, deſcenſum chyli & lymphæ impedientium, obſcura repræſentatione. N N. Ductus hujus diviſiones ac inoſculationes diverſæ, chyli aſcenſum multum promoventes. O. Varia vaſa lymphatica ab iis glandulis lymphaticis, quæ pulmonibus poſterius adhæreſcunt, ortum habentia, lymphamque inde abducentia, cum lymphatica dictarum glandularum adducentia a pulmonibus ipſis ac partibus adjacentibus enaſcantur.

Fig. 6. Ductus thoracicus cum vena ſubclavia, cui inſeritur, & vaſis lymphaticis cera repletus. TAB. I. Fig. 6.

A. Ductus thoracicus, dum ab arteria magna recedit, & gulam concomitando ſiniſtrorſum juxta corpora ſuperiorum thoracis vertebrarum ad venam ſubclaviam tendit, quo in loco ductus thoracicus figu-

ræ ultimæ resectus & filo constrictus fuit. BB. Duo vasa lymphatica a thymo oriunda. C. Divisio aliqua & inosculatio ductus thoracici. D. Magnum vas lymphaticum, cujus extrema partim a thymo, partim a glandula subclavia dextra proficiscuntur. E. Subclavia glandula lymphatica sinistra. Glandulæ quippe subclaviæ (a nemine hactenus, quantum *Autori* constat, descriptæ,) binæ sunt glandulæ insignes sub binis claviculis locatæ, quarum altera ad seriem earum glandularum, quæ circa venam jugularem internam occurrunt, videtur pertinere; vasa earundem lymphatica adducentia a musculis, glandulis venarum jugularium modo indigitatis, ac forsan glandulis etiam thyroideis emergunt. T. G. Glandulæ subclaviæ vasa abducentia, lymphamque in ductum thoracicum effundentia. H. Amplus truncus ductus thoracici prope hujus in venam subclaviam ingressum. I. Venæ subclaviæ pars externa & superior. K. Pars axillaris venæ propter valvulas cera a ductu thoracico haud repletæ. L. Pars venarum jugularis internæ & cervicalis resectarum. M. Cera adjumento ductus thoracici, transversim secti, injecta, una cum venarum truncis ad cor progredientibus.

TAB. I. Fig. 7.

Fig. 7. Glandulæ salivales maxillæ inferioris cum sublingualibus.

AA. Duæ glandulæ maxillares inferiores e diversis lobulis, membrana inclusis, contextæ. B B. Glandulæ sublinguales membrana communi obvolutæ. C C. Trunci duarum arteriarum, a carotidibus qui exsurgunt, ac sanguinem glandulis salivalibus advehunt. D D. Duo rami arteriosi a truncis modo nominatis ad linguam distributi. E. Truncus venæ, a glandularum istarum aliarumque vicinarum arteriis ortum habens. F. Ramus paris nervorum quinti. G G. Ductus salivales inferioris glandulæ maxillaris utrimque osculo sive poro excretorio in papillis, sub lingua collocatis, desinentes. H H. Duæ papillæ modo memoratæ, in quibus glandularum sublingualium ductus excretorii per eadem cum duobus ductibus salivalibus oscula terminantur. Qualis structura papillosa, ab elongatione ductuum salivalium enata, necessario requiritur, ne vel lympha copiosior, vel alimentorum masticatorum particulæ regurgitent. I. Ductus salivalis dexter secundum longitudinem incisus & expansus. K. Lapillus aliquis, prout in ductu salivali hærere videbatur, colore lucide flavo ac auri-

auripigmenti æmulo tinctus; in partium siquidem harum dissectione extremitas ejus minor casu fuit abrupta, quemadmodum hic repræsentatur.

## Christiani Gryphii Poetische Wälder.

i. e.

## CHRISTIANI GRYPHII SYLVÆ.

Lipsiæ & Francof. apud Chr. Bauch, 1698. 8. plagul. 55.

QUamvis probe intelligeret Auctor celeberrimus, tot carminibus vernaculis, iisque sæpe inconditis atque inficetis, obrutam pene Germaniam mirum quantum ad ejusmodi merces nauseare, vixque inter tot Bavios locum superesse Vatibus de meliore metallo factis; attamen cum simul animadverteret, male passim more hactenus obtinuisse, ut vel invitis, vel ignaris, quorum maxime intererat, carminum non plane ineptorum scriptoribus, a librariis lucri nimium cupidis eæ in publicum merces extruderentur, quæ nugarum instar æternis potius tenebris damnandæ erant, quasque venales exposuisse auctoribus nunquam in mentem venerat: maluit ipse, instigantibus insuper magni nominis patronis, hunc ingenii sui felicissimi partum in lucem edere, (cum præsertim plurima ex Funebribus antehac singulatim prodiissent,) quam imperitas temere obstetricantium manus experiri. Placuit vero ipsi has Sylvas, in quibus venustatis potissimum inaffectatæ rationem habuit, in quatuor libros dispescere, quorum primus Meletemata Sacra, alter Funebria, tertius Miscella, quartus autem istud Epigrammatum genus, quod cum Grotio Sonulos appellamus, complectitur. Quibus Opitii & aliorum exemplo, pedestri quoque stylo quædam immiscuit. Enimvero præ cæteris ingenii vigorem præ se ferunt Libro II. p. 255. Lacrymæ Amoris; p. 259. Urna Schafgotschiana; p. 284. Triumphus Virtutis de Morte; p. 290. Speculum honoris ad tumulum Logavianum suspensum; p. 310. Vratislavia lugens; p 313. Corona feretro Matronæ nobilis a Virtutibus imposita; p. 323. Templum Mortis a Cerisio Gallo quondam sermone ligato delineatum, a Nostro autem soluto & quidem aliis longe coloribus repræsentatum; p. 343. Collatio Veris cum Morte; p. 352. Com-

pario Deserti & Mundi; p. 387. Tesseræ gentilitiæ Christianorum; p. 431. Somnium de Libro Vitæ; p. 464. Ara æternitatis; p. 469. Hygea mœrens; p. 476. Astronomia Mortis; p. 509. Rosa Astris illata; p. 540. Gressus piorum Cancrinus, & quod Funebribus colophonem imponit, Georgii Zölneri hominis fatui ἐπιτάφιον carmen. Libro III. p. 604. Narratio Parnassia nuptialis ad exemplar Boccalini sermone numeris soluto composita; p. 618. Ædes casti Amoris; p. 686. Transformatio Majoranæ; p. 756-760. Encomia Ferdinandi II. III. & Leopoldi I. A. A. A. sub Societatis Frugiferæ & Opitii personis exhibita; p. 760. & seqq. Gratulationes a Germania & provinciis Austriacis Josepho Regi Romanorum recens electo, in Actu, & vocant, Dramatico factæ, quamque p. 809. legere est Laus Cuculi prosa itidem elaborata. Accedit Centuria Proverbiorum ex Dramatibus Hetruscis Paraphrasi metrica expressorum. Tandem inter Sonulos Libro IV. p. 848. & sqq. ii familiam ducant, quos in honorem Cæsaris, reliquorumq; Principum ac Heroum, post Viennam anno cIↃ IↃcXXCIII. obsidione Turcica liberatam, composuit Noster. Cætera quæ adhuc commemorari possent, libenter omittimus, & Lectoris periti judicio omnem hanc Scriptionem committimus.

*CONSENSUS ORTHODOXUS, SIVE HARMONIA ECCLESIAstica, cujus specimen in Loco de CHRISTO editur a CASPARE LOESCHERO, Prof. Publ. Consist. Eccles. Assess. Seniore, Ecclesiæ Wittebergensis Pastore, & Circuli Saxonici Superintend General.*

Wittebergæ, apud Christianum Schrœdterum, 1699. 4. plag. 17½.

CUm istud sibi negotium inde a primis studiorum suorum Theologicorum annis datum esse existimaverit Summe Reverendus Auctor, ut, si quando viros graves atque orthodoxos in rebus, quæ fidem concernunt, ad speciem inter se pugnare deprehenderet, expensis singulorum hypothesibus eosdem dextre conciliaret; (facile nimirum in doctrinis humanæ rationi absconditis fieri posse ratus, ut duo unam eandemque sententiam ex verbo divino haustam ac optime intellectam diversis verbis & sententiis exponant;) integrum hinc Theologiæ Systema ejusmodi sententiis ad harmoniam revocatis impletum

tum edere constituit, eaque de causa jam olim, cum Cygneæ adhuc Venerandi Præsulis munere fungeretur, primitias laboris hujus erudito orbi obtulit, inque peculiarem Dissertationem constipavit aliquot exempla earum contradictionum, quæ circa doctrinam de Theologia & Scriptura Sacra apud nostrates occurrere videantur. In Academiam vero Wittebergensem paulo post evocatus, commodiorem multo occasionem ea, quæ longinqua hactenus solertia elaboraverat, edendi affulsuram speravit, ast sua tamen ista spe frustratum sese palam intellexit. Intra annos enim, quos ibi exegit, undecim & amplius, tres tantum inventi sunt, qui ex cathedra defendere dexterrimi sui Præsidis has meditationes sustinuerunt, eique adeo ad perficiendam Loci de Christo illustrationem ansam suppeditarunt. Ut ergo suum isthoc institutum paulo magis innotesceret, paucas hasce Dissertationes speciminis in locum emittere, primamque illam de Theologia & Verbo Dei Cygneæ ventilatam subnectere consultum arbitratus est. Quemadmodum autem nos operam hanc Ecclesiæ orthodoxæ multis utique nominibus gratam & proficuam futuram nulli dubitamus; ita methodum a Reverendo Auctore observatam Benevolo Lectori paulo plenius in exemplis quibusdam ob oculos proponere haud detrectabimus. Christum secundum humanam naturam esse Deum scripserat B. Menzerus, sed huic asserto negativam nonnemo sententiam opposuerat. Hunc igitur non minus atque illum orthodoxum vocari posse ostendit, cum alter Christum secundum humanam naturam Deum esse φυσικῶς, οὐσιωδῶς, ratione unionis naturalis, in prædicatione usitata, quod confusionem aut identitatem naturarum, ratione unius naturæ & secundum prædicata naturalia, rectissime negaverit; alter vicissim ὑποστατικῶς, ἡνωμένως, ratione unionis personalis, prædicatione singulari & inusitata, quoad unionem & communionem personalem, ratione unius personæ & juxta attributa personalia, secundum humanam naturam Christum omnino Deum esse ex vero affirmaverit. Satisfactionem & mediationem Christi in circumcisione incepisse B. Calovii est sententia, cui alii se opposueruut, officium Christi mediatorium & satisfactorium cum ipsa potius incarnatione auspicium sumsisse contendentes. Ad nullam esse inter hos & illum pugnam asserit, cum saltem de actu satisfactionis præcipuo, hoc est, effusione sanguinis, quæ utique in circumcisione

ne inchoata fuerit, Calovii mens exponenda veniat. Humanam Christi naturam sive carnem ejus esse vivificam, ab aliis affirmari, negari e contra ab aliis, & tamen utrinque haud peccari, observat. Naturam namque istam spectari posse semel extra unionem & ratione suarum proprietatum naturalium, quæ ipsi per se & ex natura solius humanitatis conveniant; iterumque in unione & ratione divinorum idiomatum, quæ eidem vi unionis hypostaticæ κατ' ἄλλο & ex unionis gratia vere & realiter communicata fuerint. Priori modo consideratam vivificam non esse admittit, posteriori autem ratione talem omnino pronunciat. Distinguit item inter humanam Christi naturam in actu naturali, & in actu personali contemplandam, ac ad istum negantes, ad hunc affirmantes respicere demonstrat. Similiter negantes hanc naturam Christi abstractive, & affirmantes eandem concretive considerare; tandemque istos ad solum ejus nomen, hos vero ad rem, quæ per illud nomen intelligenda sit, attendere, & hoc pacto nullas, quæ titulum istum jure mereantur, discordias fovere innuit. Qui controversiam super humana Christi natura adoranda Tilemanno Heshusio moverint, eos de verbis & terminis potius, quam de re aut verborum sententia litigasse monet, ac simili fere modo, quo in exemplo antecedenti, certamen dirimit. Ut prædicationes personales recte a nonnullis inusitatas, a nonnullis contra usitatas, dici demonstret, distinguit potissimum interea, quæ prædicationem generaliter faciant usitatam, & ista, quæ idem præstent specialiter. Habere subjectum, prædicatum, copulam, esse præterea categoricam, affirmativam, singularem, generaliter tantum constituere formam prædicationis, cumq; hæc quoq; in propositiones personales quadrent, nonnullos easdem merito usitatas nuncupasse infert. Contra vero, quando alii iisdem prædicationibus formalia specialia, (vi quorum prædicationes sint vel intrinsecæ & essentiales, vel extrinsecæ & accidentales, & ubi prædicetur consonum de consono,) applicuerint, & hæc ob materiæ singularitatem istis convenire non posse probe, intellexerint, recte ab his ad inusitatarum classem relatas eas fuisse pronunciat. Cum intercessionem Christi pro electis alii ultra seculi consummationem extendant, alii vero in hac eandem terminent, discrimen accuratum formari cupit inter gloriæ cœlestis possessionem, & inter ejusdem possessæ conservationem atque continuationem; porro inter salutis æternæ

ternæ fruitionem, ac inter ejusdem fruitionis consummationem; ulterius inter Christi intercessionem pro gratiarum actione & laudibus a Deo gratiose acceptandis in regno gratiæ, & pro iisdem ab electis in vita æterna in regno gloriæ fusis aut fundendis & a Deo clementer approbandis; tandemque inter cultum Deo ab hominibus in regno gratiæ præstandum, & inter eundem SS. Trinitati in regno gloriæ æternum & absque omni interstitio exhibendum. Negantes ergo ad membra harum distinctionum priora, ast affirmantes simul ad posteriora respectum habuisse, sibique adeo nequaquam vere contradixisse, manifestum esse judicat.

## *THOMÆ GATAKERI OPERA CRITICA.*

Trajecti ad Rhenum, apud Franc Halmam, Guil. van de Water, & Anton. Schouten, 1698. fol. Alph. 12.

E Criticis omnibus, qui hoc seculo ad politiorum literarum illustrationem aliquid scripsere, vix ac ne vix quidem inventum iri ullum, qui in Auctoribus diligenter & accurate tractandis Thomæ Gatakero palmam præripiat, dudum est, quod in *Cimeliis* suis *literariis* pronunciavit Paulus Colomesius. Non dubitamus tamen, quin judicium istud multum infra merita sit Viri, in quo plura certe alia, & istud imprimis studium, quo eruditionem suam veræ virtuti promovendæ & Divinis voluminibus illustrandis religiosius dicavit, maximam omnino laudem promereantur. Iteratæ igitur hujus operum ab ipso profectorum editionis autor suasorque extitit Vir Celeberrimus, Hermannus Witsius, qui in virtutibus Gatakeri commendandis multus est in peculiari præfatione, qua frontispicium voluminis præsentis exornavit. Sed non est, ut scripta istius universa atque singula heic exhiberi quispiam existimet; ex iis enim, quæ Anglico sermone concepit, nullum utique comparet, sed Latina tantum, imo & ex his, ceu titulus quidem præ se fert, Critica duntaxat repetita sunt. Quamvis mirari fortean quis posset, cur ultimo loco Theologica quoque *de Baptismatis infantilis vi & efficacia* disceptatio, quæ cum Samuele Wardo ipsi intercessit, in hunc censum veniat, omissæque nihilosecius sint *stricturæ*, quas *ad Epistolam Johannis Davenantii de Baptismo infantum* conceptas, & Londini anno 1654 impressas fuisse

Eru-

Eruditi haud ignorant. Cæterum inter Critica ista Gatakeri opera primo omnium comparet directa *Adversus Sebastianum Pfochenium de novi Instrumenti stylo Dissertatio*; quam *Cinnus sive Adversaria miscellanea* excipiunt, *Adversaria*que item alia a Carolo, Thomæ nostri filio, post parentis obitum (qui in A. C. 1654, ætatis vero istius octogesimum incidit,) vulgata. Quarto loco exhibentur *Marci Antonini Imperatoris de rebus suis, sive de iis, quæ ad se pertinere censebat, libri duodecim*, quos non versione modo Latina donavit, sed ditissimis etiam commentariis suis Gatakerus præclare exornavit, in quorum tamen fine Merici quoque Casauboni in eosdem Marci Antonini Libros paulo prolixiores, multoque breviores Guilielmi Xylandri annotationes adjiciuntur. Ulterius de *diphthongis sive bivocalibus dissertatio*, in qua nullas tales reperiri, nec plures in eandem syllabam vocales coalescere posse probatum Gatakerus dat; tandemque *nominis Jehovæ pronunciatio vulgaris* asserta, & paulo post adversus Capellum ab ipsomet ex instituto vindicata sequitur. Sicut autem scriptum istud *primum* jam ab A. 1648, *secundum* ab A. 1651, *tertium* A. 1659, *quartum* ab A. 1651, *quintum* A. 1646, *sextumque* A. 1645 & 1652 doctiores possederunt, ac non citra fructum insignem usurparunt; ita nitidissime nunc singula repetita hic sistuntur, adhibitaque solicite deprehenduntur ea omnia, quæ modo ad ornandum opus aliquod jure requisiveris. Unum vero est, quod imprimis magno sibi esse usui plerique comperient. Dum enim doctissimus Gatakerus operam sibi dandam haud existimavit, ut citata e Græcis Scriptoribus testimonia Latine redderet, inventus est ab Editoribus Vir huic rei apprime idoneus, (quem quidem orbi literato probe alias cognitum laudatus supra Witsius appellat, ast pro insigni sua modestia ignorari nunc, quam nominari malle asserit,) qui allegata isthæc loca in suis singula auctoribus investigavit, Latinamque versionem sive aliorum olim, sive, ubi res poscebat, suamet industria elaboratam subnexuit.

*B. JO. CONRADI DÜRRII, SS. THEOL. ET PHIL. MORAL. in Academia Altdorfina Professoris quondam Publici, COMPENDIUM THEOLOGIÆ MORALIS, Editio tertia.*

Alt-

Altdorfii, apud Henr. Meyerum, 1698. in 4. Alph. 3. plag. 8.

E*Nchiridion Theologiæ Moralis*, virtutes & officia hominis Christiani non generatim modo, sed in certis quoque vitæ statibus considerati explicans, jam A. 1662. Altorfii publicavit meritissimus de ista Academia Doctor, Jo. Conr. Dürrius. Sed idem post tredecim annorum spatium, cum interea in justæ molis librum multis accessionibus emendationibusque locupletatum excrevisset, A. 1675 sub titulo *Compendii Theologiæ Moralis* lucem denuo aspexit, & ab isto tempore Eruditorum manibus adeo frequenter tritum fuit, ut ob exemplarium pridem distractorum defectum, de tertia hac editione typographus cogitarit, quæ tamen præter annotationes quasdam breviores nulla, quæ a Dürrio profecta sint, additamenta alia Lectoribus suppeditat. Equidem capita quædam, & inprimis ea, quæ de actionibus Christianorum, deque Ecclesia & statibus hierarchicis agunt, uberius deducere B. Autor instituerat, sed intercepit consilium istud ejus mors, quæ anno ab editione altera tertio labente terris eum subtraxit; unde is nonnisi varias notulas in exemplari suo marginibus foliorum adjectas, & operi integro absoluto heic subjunctas, post se reliquit. Non desunt vero accessiones alienæ, quas inter primarium locum occupat prooemialis Dissertatio, quam de *origine & progressu Theologiæ moralis systematicæ* haud mediocri cum industria composuit Theologiæ apud Altdorfinos hodie Professor Publicus, D. Jo. Michaël Langius, quæque, ut paulo curatius circa eam versemur, a nobis utique requirit. Primos videlicet, qui capita morum Christianorum ex methodi præscripto in forma artis tradere susceperint, Theologos constituendos censet Mysticos, de quorum principe sat celebri, Pseudo-Dionysio, notatu quædam digniora e variis auctoribus adducit, eumque vel sub seculi quinti finem, vel sexti initium Theologiam Christianam ad indolem Platonismi formatam edidisse, sed ita, ut solam viam unitivam exsequeretur, observat. Post venena istius Theologiæ prodidisse inter alios Maximum, Monachum Constantinopolitanum, operum Dionysii, & in his, Mysticæ quoque Theologiæ Scholiasten, seculi a Christo nato septimi Scriptorem, quem nono seculo Joannes Scotus, Erigena cognominatus, exceperit. Et quanquam alii moderatiores fuerint, negari tamen non posse ait, singulos fere φορτικὰ

nonnulla ἀκέσματα in medium protulisse. Inter cultores vero Theologiæ hujus moderatiores e seculo decimo quarto Johannem nominat Taulerum & e decimo quinto Jo. Gersonem una cum Thoma a Kempis, quorsum quoque referendus sit Auctor Theologiæ Germanicæ, cujus tamen nomen determinare ob varias, quas allegat, sententias difficillimum existimat. Fœminas etiam inter Mysticos fuisse refert, quæ in abstrusam istam sapientiam penetrarint, quales seculo XIII fuerint Gertruda, ejusdemque soror Mechtildis, ac seculo sequenti Catharina Senensis, sicuti e recentioribus Theresia præ aliis excelluerit. In mediis interea adhuc Papatus tenebris alios, de Theologia morum solicitos, mixturam fecisse memorat Philosophiæ Aristotelicæ & Theologiæ revelatæ, quos inter Summistas imprimis nominat, & ex illorum numero Guilielmos duos, Parisiensem alterum, alterum Antisiodorensem Episcopum, maxime allegat. Eodem tamen tempore & Alexandrum Alensem virtutum Summam condidisse innuit, quanquam omnibus Summistis procul dubio palmam surripuerit Thomas Aquinas, nec pauca, quæ ad Theologiam moralem pertineant, Bonaventura consignarit. Ægidii autem Romani pleraque nonnisi manuscripta in bibliothecis extare, Bellarminum secutus asserit. E Casistis primum hoc doctrinæ genus in formam lexici alphabetariam redegisse Raimundum de Pennaforti, quem secutus deprehendatur post alios Hostiensis. Tacemus, quæ de Astesano Astensi, Sylvestro Prieriate, Angelo de Calvasio, &, quem doctissimum nonnulli judicent, Guilielmo Paraldo (aut, si mavis, Peraldo, vel Palardo) commentatur. Sub Reformationis dehinc auspicia, Lutherum præ Scholasticis spinis saniores Theologiæ Mysticæ scriptores elegisse haud dissimulat, inque ejus encomiis, quibus Theologiam extulerit Germanicam, recensendis atque vindicandis multum versatur. Sed post eum Scholasticam alios, alios Mysticam Theologiam magis magisque reformare aggressos fuisse, atque huic in faciem venustiorem refingendæ hortatu Lutheri manus commodasse Georgium Majorem, sed istam præ cæteris Philippum Melanchthonem, Locis suis Communibus practica subinde inspergentem, reformasse annotat. At nostro hoc seculo inter illos, qui Mysticæ Theologiæ se immerserint, palmam deberi putat Johanni Arndio, quem tutius forsan sequi potuerit Christianus Hoburgius, quam, cujus vestigiis

ſtigiis paſſim inſiſtat, Schvvenckfeldium. Theophraſto viciſſim Paracelſo aurem præbuiſſe Valentinum Weigelium & Jacobum Bohemum exiſtimat, eorumque ſeductionem ingenue deplorat, & nata in ipſo etiam Papatu varia ex Theologia Myſtica incommoda recenſet. Eorum vero, qui Theologiam Moralem methodo magis Scholaſtica, & Peripateticorum veſtigiis inhærentes, poſt Reformationis negotium tractarint, plerosque ſuperiori & hoc, quod jam finitur, ſeculo moralia Locis ſuis Theologicis intertexere conſueviſſe; ſed tamen inter noſtros utcunque ſeorſim eandem tractare incepiſſe Conſiliorum Theologicorum & Caſuum conſcientiæ Scriptores monet, & ex utraque claſſe Felicem Bidembachium, Georgium Dedekennum, Fridericum Balduinum, Johannem Steuberum, Caſparem Finckium, Ludovicum Dunte, Georgium Königium, Keslerum item, Mengeringium, Pollionem, Prücknerum, Oſiandrum, Bechmannum, & e Reformatis Ameſium, Perkinſum Alſtediumque nominat. Verum cum Theologia Caſuiſtica ſeu Conſcientiaria tantum circa difficiliores caſus, factave vel facienda juris dubii occupetur, Moralis autem multo latius pateat, utpote quam definit per ſcientiam practicam ex divina revelatione docentem, quæ homini renato ad vitæ ſanctimoniam per gratiæ vires ſalutis æternæ cauſa factu neceſſaria ſint; hinc intellexiſſe affatim recentiores Theologos, quod hæc Theologiæ pars rectius adhuc excutienda ipſis veniret. Et ejus tractationi ſyſtematicæ in Ethica ſua Chriſtiana præluſiſſe judicat Lambertum Danæum e Reformatis, qui ejusmodi tamen ſyſtematibus haud abundent, niſi quod præter Voetii molimina Johannes Hoornbeekius Theologiam Practicam, tertia nuper vice excuſam, ſuaque laude minime fraudandam, compoſuerit. Apud Pontificios e contra, a Reformationis tempore poſt enatum ordinem Jeſuiticum, Theologiam Moralem omnem adeo depravari cœpiſſe oſtendit, ut ejus rei cordatiores quoque inter ipſosmet pudeat, ac proinde gloriam præcipuam Doctoribus Lutheranis & heic deberi colligit. Poſteaquam vero magnum inter hos & primum quodammodo nomen eſſe memoravit Johannis Gerhardi, qui in Schola, quam vocet, Pietatis tractationem iſtam aggredi voluerit, alios etiam plures in eodem hoc labore, ſed diverſo cum ſucceſſu, occupatos introducit, utpote Conradum Hornejum, Georgium Calixtum, Johannem Rothmalerum,

Gebhardum Theodorum Meierum, Johannem Bartholdum Niemeierum, Johannem nostrum Olearium, Johannem Adamum Osiandrum, Justum Christophorum Schomerum, Johannem Guilielmum Baierum, Johannem Henricum Majum, quorum libros huc pertinentes sigillatim enumerat & commendat: quibus nos celeberrimi Theologi, Johannis Georgii Dorschæi Theologiam Moralem juxta seriem sex priorum Decalogi præceptorum enarratam, & ad manuscripti fidem Wittebergæ A. 1685 in publicarum Disputationum materiam a D. Johanne Friderico Mayero propositam (vide Acta nostra A. 1690. p. 479.) merito adjungimus. Idoneam de cætero quammaxime prooemialem istam Dissertationem reputamus, quæ Theologiæ hujus Moralis Dürrianæ novam editionem commendatissimam efficere valeat; præter quam tamen & geminum Indicem, & Tractatuum, Disputationum, Orationum, similiumque opusculorum sub B. Dürrii nomine vulgatorum Catalogum absolutissimum non ingratum Lectoribus fore arbitramur.

*HYPOMNEMATA JURIS AD SERIEM SACRATISS. IMPERat. Justiniani. Autore HENRICO COCCEJO JCto, Consiliario Electorali Brandenburgico & in alma Viadrina Antecessore primario.*

Francofurti ad Viadrum apud Jer. Schrey & J. Christ. Hartmannum, 1698, in 8. Plag. 12.

QUod libelli titulus promittit, id reipsa egregie præstat fama non minus quam munerum amplitudine celeberrimus Autor. Summa enim Juris Romani capita, juxta seriem Institutionum Justinianearum, adjectis hinc inde supplementis, additoque usu forensi, nec non legibus & autoribus practicis in margine adductis, ita succincte recenset, ut ne verbum quidem otiosum sit, & nulla tamen ex brevitate oriatur obscuritas, adeoque doctissimum hoc opusculum, ad docenda discendaque Juris Romani principia, aut ad eadem breviter recolenda sit aptissimum. Ut speciatim ejus argumentum partiumque nexum recenseamus, opus non est, cum secundum notissimam laudatarum Institutionum methodum sit concinnatum: flores vero aliquos heic spargere non pigrabimur. *L. 1. tit. 16. §. 2.* censet Autor consultissimus

mus, emancipatione hodie quoque capitis diminutionem minimam fieri: *tit. 23.* §. *2.* existimat communem doctrinam, quod invito adolescenti detur curator, ex *Ord.Polit. 1577. tit, 32.* §. *1.* non probari: *tit. 25.* §. *5.* tempus proponendæ excusationi tutoriæ statutum, hodie non plane sublatum esse putat. *Lib. 2. tit. 1.* §. *17.* possessionem meri facti pronunciat, eam tamen ex jure, non reali sed alterutro, i. e. ut conjicimus, tam reali quam personali, aliquando mutari concedit: *tit. 18.* §. *2.* querelam inofficiosi testamenti, hereditatis petitionem non esse, sed ad rescissionem testamenti solum pertinere contendit. *L. 3. tit. 1.* §. *5. n. X.* fiscum ab hereditate studiosi, alios heredes non habentis, per Academiam excludi docet: *tit. 14.* §. *16.* obligationem ipso jure nec hodie per pactum tolli arbitratur *tit. 20.* §. *5.* regulam Juris Romani, *quod tertio stipulari non liceat*, moribus non esse sublatam sed firmatam potius, præjudicia vero in contrarium jactari solita, in exceptiones Jure Romano jam admissas incidere contendit. *Lib, 4. tit. 1.* §. *12.* furem rupto laqueo, causa cognita, arbitrarie puniri, æquius esse judicat: *tit. 6.* §. *23.* pœnas privatas hodie nullas (excepta injuria & aliquatenus furto) sed potius omni Jure Germanico, legibus antiquis, utroque Speculo, statutis locorum, responsis eas esse incognitas ait, cum omnes ultra simplum pœnæ, fisci ac Magistratus, & fructus jurisdictionis, denique arbitrariæ sint, quales non essent, si partibus ex lege jus certæ pœnæ hodieque quæsitum esset, præterea credibile non sit, Magistratus nostros, receptis legibus Romanis, hoc fructu suo, tum indubie quæsito, cessisse.

*JOHAN. FRIDERICI BOCKELMANNI JCTI, OLIM ANTEcessoris Heidelbergensis & Leidensis Celeberrimi Synopsis Juris Publici Imperii Romano-Germanici, edente ALEXANDRO ARNOLDO PAGENSTECHERO JCto, Juris publici & privati in Academia Groningan. Omlanda Prof. Ordin.*

Groningæ apud Everhardum Atlas, 1698. in 8. plag. 19.

COnstat opusculum hoc postumum novendecim capitibus. Primo celeberrimus Autor adductis neglecti studii hujus causis, de vocabulis satagit, & quid voces *Juris Publici Imperii Romano-Germanici* in recessu habeant, ostendit, Postea docet, Imperium Romanum non

Gallis, sed Germanis per Carolum M. esse acquisitum; qua occasione *p. 12*, Francos non a studio libertatis, sed Rege suo Franco id nominis accepisse, cum Tritheunio arbitratur. In quantum etiam Pontifici Romano circa translationem Imperii Romani aliquid tribui possit, ostendit. Inde ad formam Imperii pergit, quam specialem & propriam, non tam generalibus regulis philosophorum de Aristocratia & Monarchia, quam specialibus legibus, moribus & pactis Germanorum convenientem dicit *p. 22*. His magnitudinem & fines Imperii addit, ea ratione, ut modo ad Germaniam, modo Imperium Romanum respiciat. Postea divisionem Imperii, præcipue per Circulos, recenset. Quibus expositis, ad Imperatorem deducitur, cujus titulos commemorat, electionem exponit, interjecta fusiori de origine Electorum disquisitione, coronationem juxta consueta capita expendit, ac qua ratione per Capitulationem Cæsar obstringatur, docet, ratus inter alia *p. 76*, quod jus Capitulationes concipiendi solis Electoribus competat, præcipue ob longam possessionem: Status enim reliquos demum A. 1612 contradicere cœpisse, cum Electores inde a Carolo V id jus quiete exercuissent, adeoque protestationem serius interpositam, præscriptionem interrumpere non potuisse. Deinde Capitulationem Leopoldi observationibus suis illustrat Autor, ac restrictam Cæsaris potestatem per Reservatorum enumerationem declarat. Hinc ad considerationem Regis Romanorum digressus, contra eum crimen læsæ Majestatis committi, eumque simile delictum in Imperatorem committere posse, existimat *p. 152*. Hinc de Vicariis Imperii, juxta consuetas fere considerationes, satagit, adducto per occasionem Palatini Electoris privilegio, quo ipsius Cæsaris judex est, quod ad controversias etiam feudales extendi vult *p. 169*. Postquam itaque pro ratione instituti, Capita Imperii consideraverat Noster, ad Membra deinde se convertit; hinc de Electoribus, Ducibus & Principibus, Comitibus & Baronibus, Civitatibus liberis sequitur disquisitio, juxta modum, aliis Juris Publici scriptoribus usitatum fere decurrens. Id de Comitibus immediatis observat *p. 194*, quod quidam feuda sua ab aliis Statibus recognoscant, salva immedietate, ut Comes de Wyht, qui ab Electore Palatino Comitatum suum in feudum accipiat, & tamen immediatus Imperii Comes sit. Nonnulla etiam de Hansa, seu Fœdere Civitatum Hanseaticarum commemorat *p. 199*. Cum autem sine con-

consensu Statuum nihil gravioris momenti definire queat Cæsar, hinc de Comitiis Autori brevis nata est tractatio, cui solennes de Nobilibus Immediatis subjicit quæstiones, ac de civibus imperii mediatis, seu Landsassiis quædam commentatur, adjecta superioritatis Territorialis brevi expositione. Hujus occasione observat discrimen Centenæ & Voigteyæ: illam jurisdictionem de criminibus atrocioribus esse, ac a centum judicibus, qui olim ex antiquissimo Germanorum instituto, de criminibus, teste Tacito, cognoscebant, sic vocari; hanc vero esse potestatem de causis civilibus ac delictis levioribus cognoscendi existimans *p. 226.* Atque has Bockelmanni meditationes Consultissimus Pagenstecherus, tum Memoria Bockelmanniana solenni a se oratione ante hoc quinquennium, cum in Groningensi Academia Professionem Juris ordinariam auspicaretur, commendata, tum brevibus quibusdam ad Præsentem Juris Publici Synopsin annotamentis, obsignare voluit. Et ex illa quidem repetiisse nobis pro instituti ratione sufficerit, magni nominis Ictum, Jo. Fridericum Bockelmannum, Steinfurti in Westphalia A. 1632 in lucem fuisse editum; in Academia Heidelbergensi A. 1659 Juris primum Professioni admotum, majoribus paulatim etiam in Aula Electorali dignitatibus inclaruisse, præter Antecessoris primarii munus, Consiliarii etiam Status, nec non supremi Appellationum Judicii & Curiæ Aulicæ Vice Præsidis officio defunctum; in Academiam Lugduno Batavam denique ad Juris professionem A. 1671 evocatum, cumque per decennium magno cum applausu eam sustinuisset, A. 1681 supremum diem obiisse: ex his vero duo excerpemus. Alterum respicit Hippolithum a Lapide, quem fuisse Ludovicum Camerarium, Regis Sueciæ Consiliarium Intimum & in Belgio Fœderato Legatum, fide Cl. Polmanni, a patruo, Autori illi olim familiariter noto, id edocti, asserit Noster *p. 281.* Alterum concernit tutelam Electoralem, ubi pro excludenda testamentaria, Noster urget, *p. 288,* quod in *A. B. c.* 7 §. 4. successio in Electoratum non simpliciter, sed sub conditione, *ut Senior in casu, ubi successor defectum ætatis patitur, tutor sit,* tribuatur, adeo ut deficiente tutela legitima, ipsa etiam successio deficiat; unde admissa tutela testamentaria hoc absurdum sequi censet, quod pater Elector filium ab Electoratu removere queat.

R. D.

**D. CAROLI MUSITANI, IATRIAS PROFESSORIS, ACADEmici Peregrini, Pigri, Spensierati, &c. Chirurgia Theoretico-Practica, seu Trutina Chirurgico-Physica.**

Coloniæ Allobrogum, apud Cramer & Perachon, 1698. in 4. Constat 6. Alph. 14 plag.

OPeris præsentis *Autor* clarissimus, ex nobili familia prognatus, religioso primum se addixit ordini, officioque sacerdotali tam laudabiliter præfuit, ut inter Confessionarios Papæ *Innocentii XII* meruerit recipi. Nihilominus tamen, cum Medicinam etiam sub manuductione celeberrimorum Virorum, *Cornelii* præcipue *Consentini* atque *Leonardi Capuani*, sedulo addidicisset, ac speciale diploma a Pontifice Romano *Clemente IX* impetrasset, artem Medicam, cujus exercitium ecclesiasticis alias hominibus a canonibus sine discrimine interdicitur, feliciter exercuit. De singulari namque ejus eruditione, ob quam non solum Romæ inter Academicos Peregrinos, sed & Barii inter Pigros, & Rossati inter Spensieratos (incuriosos) fuit receptus, *Præfationes* Operi huic præfixæ abunde testantur; nuncque idem sexagenarius ferme in urbe Parthenopœa dicitur degere, ac præter varia opuscula Medica & Physica, *Trutinam* etiam *Medicam, Pyrotechniam Sophicam & Grammaticam Speculativam* divulgasse, quæ tamen cuncta nondum ad nostras pervenere manus. Sed Chirurgiam præsentem quod spectat, in genere hæc in affectuum magis morbidorum explicatione pathologica & curatione pharmaceutica, nitidioris compositionis medicamentis, partim ab Autore inventis, partim usu & experientia multoties comprobatis perficienda occupatur, quam in operationibus Chirurgicis communiter dictis edocendis, utpote quarum nonnullæ, v. g. venæsectio, applicativo vesicatoriorum, fonticulorum inustio, trepanatio, sutura acu & filo quæ peragitur, ceu remedia potius a Diabolo inventa, hinc inde repudiantur. In specie vero quemadmodum integra *Trutina Chirurgico-Physica* in *quatuor* dispescitur tomos, *Tumoribus, Ulceribus, Vulneribus* ac *Lui Venereæ* hujusque symptomatis in diversis capitibus explanandis & curandis dicatos: ita quilibet affectus seorsim consideratus satis methodice pertractatur. Data quippe accurata cujuslibet morbi descriptione, annectun-

nectuntur ſigna illius diagnoſtica, mox in cauſas inquiritur, ut ex his prognoſis non minus quam curativæ demum indicationes, ſæpe a Galenicorum aliorumque methodo medendi multum recedentes, eliciantur, remediaque elegantiſſima, iſtis ſatisfacientia, ſubjiciantur. Et ne Phyſiologia atque Anatomia penitus negligantur, occaſione vulnerum ſpecialium, capitis puta, thoracis, abdominis, & artuum, harum etiam partium Anatome una traditur, uſusque earundem, quem præſtent ſecundum naturam, explicatur. Per ſingula tamen nunc ire capita cum nimis tædioſum ac prolixum foret, ſufficiat pauciſſimis attigiſſe ea, quæ præ aliis notatu digna fuerunt viſa. Inflammationes, eryſipelata atque perniones ſola vitrioli vulgaris in aqua communi ſolutione cito, tuto ac jucunde curari, prolixe monſtratur. Tom. I. p. 6. & 71. Balſamus arſenici, ab Helmontio obſcure deſcriptus, ingenue communicatur, 22. veluti ex arſenici & nitri æqualibus partibus invicem mixtis, calcinatis ac per deliquium ſolutis reſultans, vireſque callum ſine dolore atque inflammatione erodendi, & fiſtulas æque recentes ac inveteratas & malignas curandi poſſidens. Melicerides ſæpenumero in Monachorum annotantur genubus, ex frequentiore ipſorum flexione, 26. qua preces fundere obſtricti ſunt. Calculi, carbones, pili, vermes, aliave tumoribus nonnullis incluſa, non tam Diaboli, quam Naturæ eſſe opus adſtruuntur. 27. Ex impoſitione bufonis vivi combuſti, pulveriſati ac cum farina hordei ſalivaque in cataplaſma redacti, bubonum dijudicatur peſtilitas, ſi intra quadrantis horæ momentum dolor demulceatur ac poſt duarum horarum effluxum ſuppuratio perfecta obſervetur. 39. Spuma venenata Duorum Draconum, quorum tamen nomina reticentur, præſentaneum in grangræna ad ſphacelum ruente commendatur remedium. 63. Scirrhi exquiſiti curatio perfecta negatur, augmentum vero ipſius linimento arcano, quod olei myrtillorum unciæ duæ, nucis moſchatæ uncia dimidia, axungiæ jumentorum unciæ duæ, ac olei petreoli ad pondus omnium ingrediuntur, arcetur. 84. In ecchymoſibus & varicibus tollendis ſuccus bryoniæ inſtar arcani & remedii infallibilis laudatur. 88. ſeqq. Ex ſolo pulſus ſcabioſæ attactu ſcabiem ipſam trium dierum intervallo Autor contraxit, mirabile qui edocet unguentum, quo plures quam ducentos milites fere leproſos liberatos viderit ſcabie. 115. 122. Abbas ſiſtitur ſine pruriginoſo ſenſu ita lepra affectus, ut ſquammas quotidie e totius corporis cute ad 125.

216. trium librarum pondus absterserit. Quod emplastrum benedictum
ad strumas describitur, non solum ad has, sed ad quæcunque etiam a-
postemata maturanda & tophos podagricos rumpendos perquam sa-
245. lutare miris effertur præconiis. Antidotum antipestilentiale pro-
lixæ compositionis communicatur, quo qui usi fuerunt, evaserint o-
258. mnes. Mira promittuntur de emplastro, ad rupturas dicto, vel cen-
ties in bubonocele aliisve herniarum speciebus felicissime adhibito. In
Tom. II. p. puero quodam sudor notatur cruentus, a timore prolicitus. A spiritu
35. 95. 103. salis armoniaci carnis excrescentias optime coerceri; a suffimigio au-
tem tautili cinnabaris continuato ulcera cancrosa perfecte consolidari
141. memoratur. Unguenti cujusdam magistralis mirandus in omnibus
ulceribus tam recentibus, quam inveteratis & putridis atque venereis
T. III. p. 24. promittitur effectus. Ubi multa enarrata fuerunt vulneraria simpli-
cia, tria eorum reliquis quidem omnibus præferuntur, arcani tamen
60. adinstar nominibus non innuuntur. Haud tamen reticetur arcanum,
quod luxuriantem vulnerum carnem corrosivi loco absque dolore
& inflammatione consumit, ex melle crudo, aloe hepatica alumine
usto, aceto, vitellis ovorum & terebinthina, in formam emplastri co-
ctione redactum. Aurigæ cujusdem rabies recensetur, orta ex oscula-
106. tione canis rabidi; æque ac mors hydrophobia laborantis ex solo a-
114. quæ attactu, quem Medicus remedii vice suaserat. Balsamorum bal-
141. samus, ex aquæ Reginæ Hungariæ libra dimidia, olei apparicis unciis
tribus ac balsami Peruviani albi & liquidi uncia una mixtionis admi-
niculo concinnatus, tantæ celebratur energiæ, ut in vulneribus cujus-
cunque demum conditionis plus efficiat quatuor dierum spatio, quam
270. quodlicet aliud mense integro. Exemplum indigitatur alicujus, fe-
liciter intra viginti & unum dies restituti, etiamsi aspera ipsi arteria
infra laryngem valde sauciata, simulque arteriæ carotides & venæ ju-
T. IV. p. 12. gulares discissæ essent. Luem veneream communicari posse brutis,
exemplo felis ostenditur; eandem vero duxisse originem non a con-
tagio externo, sed ab ulcere maligno, ab intrinseco producto, vel in
mulierum utero, vel intra præputium virorum, rationibus & experi-
120. mentis uberius comprobatur. Cæterum cum aquæ cuidam antive-
nereæ primus inter ejusdem luis antidota assignetur locus, descriptio-
nem ejus velut infallibilis ipsis demum Autoris verbis placuit adjicere.
*R. Salsæ-parillæ minutim concisæ uncias 2, ligni visci querni unciam*
*unam*

*unam cum dimidia, limaturæ cornu cervi & rasuræ eboris ana unciam unam cum dimidia, antimonii crudi minutim in ſi, petræ pumicis ana uncias tres. Hæc duo ligentur in petra lintea, & ſimul cum aliis infunde in aquæ fontis libris octo. Detineantur per 24. horas in infuſione, demum bulliant lento igne ad medietatis conſumptionem, adde cinnamomi acuti drachmas duas, cola & ad uſum ſerva.*

## TEDÆ SALOMONIÆ,

h. e.

*CANTICUM CANTICORUM, NOTIS LUCULENTIS à Magni nominis Theologo jam ante illuſtratum, nunc diſpoſitionibus continuis, uſibusque, quos vocant, homileticis, locis item parallelis, quibus textus ſchematibus ſoluti ſenſus genuinus evolvitur, adornatum.*

Jenæ, proſtat apud Joh. Bielkium, 1699. in 8
Conſtat plag. 4. & dimid.

QUanto ſublimius dicendi genus regum ſapientiſſimus Salomo in Cantico canticorum ſecutus eſt, tanto plures ad evolvenda ipſius myſteria operam laboremque contulerunt. Longum foret ire nunc per ſecula, atque, qui hoc nomine innotuerunt, ordine ſuo recenſere. Fecit id olim celeberrimus Jenenſium Theologus, *Johannes Gerhardus*, cap. 2. procem. Poſtillæ Salomonææ: nec minor eorum fore numerus putandus eſt, quos ille licet non attigit, qui ſuperiori & præſenti ſeculo, eidem libro explicando, certatim ſane, operam navaverunt. His cum non eadem placuerit methodus, ea, quam præſentis libelli Autor anonymus eſt ingreſſus, poſt alia, grata etiam brevitate probare ſe Lectori poteſt. Nam quo de ſenſu textus ſacri eo rectius conſtaret, has Tedas B. J. M. Dilherro, (cujus in Canticum annotationes opera B. Joh. Chriſtfrid Sagittarii, S. Theol. D. Superintend. General. Altenburgenſ. obſtetricia A. 1676 aſpexerunt lucem,) aliisque daduchis, ſacris meditationibus non prælatas tantum vult Autor, ſed & dictis parallelis, quæ ſingulis verſibus ſubjecit, novis item, iisque ſuccinctis ſcholiis, laudabiliter proſpexit. Quæ porro præſtiterit, & titulus indicat, & cuilibet citata Scripturæ S. loca evolventi ſatis patebit. Nobis pauca pro more excerpſiſſe ſufficiat.

Cant.I,2. *Osculetur me osculo oris ejus: meliores sunt amores tui vino;* thema statuit: *Vota ecclesiæ genethliaca*, ejusque partes (1) *votorum summam*, (2) *copiam*. Huic dicta parallela addit Ps. XIV, 7. Jes. LXIV, 1. Numer. XXIV, 23. aliaque quibus usa V. T. ecclesia Christi adventum in carnem expetiisse legitur. Usus tres inde elicuit, quorum primus ipsi est *παῤῥησία fidelium* Eph. III, 12. &c. quem a contrario, Gen. III, 18, ab objecto, cum Christi, simulque Spiritus S. adventum expetat loco citato ecclesia, tandemque a comparatione firmat. In scholiis pleraque textus sacri verba explicat, adjectis etiam Dilherri, Flacii, Tremellii, Junii, Piscatoris, Drusii in Bibl. Crit. aliorumque symbolis; quibus accedit disquisitio, cur Spiritus S. verba habeant: *osculo oris sui*, non vero: *osculetur me ore suo*.

Cant. I, 5. copulam *&*, quam plerique per *adversativam* exponunt, ab aliis *copulative* etiam sumi, docet, cum quibus tamen, connexionem secutus, divortium fecit noster. Nec placet Junii & Trem. versio: *Nigra sim, at decora sum: similis sim Schenitis Kedarenis, at similis sum inhabitantibus aulæa Salomonis.* Mavult quippe insigni acumine *κατ' ἀντίθετον nigrum & formosum* conjungi, & utrique amplificationem addi in icone, alteram a Kedarenis, alteram a tapetibus Salomonis.

Cant. II, 14. posterius membrum versus præcedentis huic perperam annecti monet ab aliis, putantibus; *invitari sponsam, ut veniat*, ut se abscondat *in foraminibus petræ*. Urget quippe Autor accentum v. 13. docetque, nimis liberaliter vocem *abscondens* addi, cum descriptio potius sit palumbis in petra nidificantis: unde B. Lutherus in den Felslöchern, non in die Felslöcher. Nec hic solum, sed & v. 4. cap. 1. & v. ult. c. 3. ad accentuationis usum provocat. Igitur cum posteriori loco alii ista connectant: *spectate regem Salomonem in corona*, neglecto sic accentu athnach sub voce *Salomo*: Junius porro & Trem. accentum secuti, vertant: *in corona qua coronavit eum mater*, demto commate; mavult priora verba repetere noster h. m. *respicite ad regem Salomonem; respicite ad eum in corona, qua coronavit eum mater.*

De sensu versuum 7. 8. 9. Cap. VII. prolixius in scholiis agit, cum observaverit, non convenire inter autores, quo sensu *palma, botri & mala* conjungantur. Quamvis enim vel maxime cum Aben Esra

quis

quis asserat, in Palæstina vites velut maritatas palmæ adhærescere, nondum tamen difficultates omnes superasse nostro visus est. Litem igitur e natura palmæ decidendam esse ratus, e Plinio docet, botris pariter & pomis eandem palmam superbire, unde vinum Orientis incolæ exprimant. Sensum vero omnem eo credit redire: *O! ecclesia, tuque fidelis quisque, ostende fidem per opera*: jam cum tropo isthæc vestire placeat, a Spiritu S. ecclesiam palmæ comparari ostendit, unde ista comparationis membra: (a) Palma vinum præbet: pius bona opera. (b) Palmæ odor suavis est: sic etiam pii fama. (c) Palma conscendi se patitur & fructus porrigit: pius non denegat Deo fructus fidei. (d) Palmæ succus inebriat: hominis pii studia Deo mirifice placent, eumque amore veluti inebriant. Quibus præmissis dubium non esse judicat, quæ sit mens Divina, & tropi ratio: cum narium fiat mentio, quod earum sit odorari, & mammarum quoque, quod conveniant botris. Sub finem libelli parallelismum dispositionum Evangeliis dominicalibus & festivalibus applicandarum subtexuit, eo compendio, quo vel singuli, vel bini pluresve versus singulis dominicis festisque diebus sive exordii, sive dicti paralleli loco possint accommodari.

MATTHÆI Schlüters J. U. D. Historisch und Rechts begründeter Tractat von denen Erben in Hamburg.

i. e.

*MATTHÆI SLUTERI, J. U. D. TRACTATUS HISTORICO-Juridicus de Rebus Immobilibus ac præcipue Ædificiis Hamburgensibus.*

Hamburgi, apud Conradum Neumannum, 1698. in 4. Constat 6. Alph.

PRæmisit huic Tractatui anno 1694 Disquisitionem Juridicam de *Legitima Consuetudine* solers noster rerum Hamburgensium Indagator, eo potissimum consilio, ut in opere principali eo expeditius progredi posset, nec ob frequentem consuetudinis, stilo Hamburgensi Schlendrian vocatæ, mentionem in illo occursuram, nunc demum prolixiorem ejus explicationem moliri cogeretur. Tractatus

principalis in *septem partes* distinguitur. In *prima parte* vocabulum Erbe exponitur. Licet enim communiter *hereditatem* notet, juxta usum tamen juris Saxonici antiqui, *rem immobilem* significat: quem sensum Jura Hamburgensia non tantum sequuntur, sed &, cum pleræque res immobiles in urbe Hamburgensi ædificia sint, eundem magis constringunt, adeo ut solæ ædes habitationi vel cerevisiæ coquendæ aut alii urbano usui destinatæ, nec alii, velut accessio quædam, adjectæ, isto nomine veniant, rudiori Curiæ stilo *domus* vel *hereditates habitabiles & braxatoriales* etiam vocatæ. Postea Ædium accessoria vulgo Pertinentiæ dicta, ex usu Hamburgensi recensentur, addita disquisitione de Servitutibus, quæ tam ex placitis juris communis, quam Hamburgensis conficitur. In specie docet Noster *p. 54*, jus coquendi cerevisiam ob solum non usum non amitti, hinc nec servitutem ad illud destinatam, v. gr. ducendi aquam per alterius domum, isto casu perire censet, licet ob cessans braxandi exercitium, per immemoriale tempus eadem dominus prædii dominantis non fuerit usus. Tandem variæ artes aut opificia, in ædificiis exerceri solita, commemorantur, quodque non omnia in quovis loco institui queant, prohibente id vel publica utilitate vel vicinorum privilegio, docetur. De singulis autem nunc specialius agendum videbatur, sed cæterorum explicatione ad aliud tempus rejecta, de sola re cerevisiaria speciatim in *parte secunda* agere Noster instituit. Primo igitur de origine Civitatis & Cerevisiæ Hamburgensis disquirit; ubi quæ de lamina ærea, cujus fide Hamburgum fere mille & nongentos annos ante Christum natum exstructum perhibetur, adducit *p. 108*, lectu non injucunda sunt. Postea de vario cerevisiæ Hamburgensis colore, diversis speciebus & nominibus disserit, usum quoque ejus ac virtutes, nec non commercia eo nomine instituta deprædicat, irritos etiam aliorum nobilem hunc liquorem alibi coquendi conatus recenset, & quod ex infelici illo imitandi studio, cerevisia Tychopolitana, *Rahmna* (von nahrahmen) vocetur, Serenissimo Daniæ Rege Christiano IV id nominis ei imponente, speciatim commemorat *p. 146*. His subjungit tabernas cerevisiarias, a quovis Cive Hamburgensi libere aperiendas *p. 147*, nec non onera a zythopolis præstanda; examen vero cerevisiale (die Bier-Probe) prolixe satis per aliquot capita describit. Quibus expositis, ad jus braxandi seu coquendi cerevisiam pergit,

git, quod certis ædificiis juxta parochias enumeratis cohærere ostendit, docens insimul, quod, uti illud jus tribus ædificiis bis competat, ita eodem aliqui sine ædibus fruantur, illud etiam aliquando de domo ad aliam domum transferri queat. Ne vero potentiores cæteris concivibus nimio braxandi usu noceant, ideo nulli cerevisiam coquere licet, nisi publicata ad campanæ sonitum a Magistratu venia, stilo Hamburgensi Orloff i.e. Urlaub dicta. Hanc igitur ejusque concedendæ rationem fuse Noster deinceps exponit, id adjiciens, quod quædam ædes vi chirographi cujusdam (Pfannen-Brieffs) a Magistratu percipiant annuatim quadrantes usuras, ideo quod lebetes æreos (die Braupfannen) ad conflanda tormenta bellica olim ipsi ea conditione vendiderint, ut sortem ipsis repetere non liceat, nisi denuo ædes ad cerevisiam coquendam instruere velint. Deinde vero de jure coquendi cerevisiam nauticam & acetum speciatim agit, ac zythopeptarum requisita, varia genera, societates, illorum servos, horumque congregationes, convivia, officia, aliaque ejus generis recenset, ac tandem plurium annorum ordinationes cerevisiarias prolixe adducit. In *tertia parte* plateæ urbis Hamburgensis, præcipue juxta quinque parochias, recensentur. In *quarta* de libris, in quibus ædes consignatæ sunt, sollicitus Noster, formam eorum externam primo describit, postea ipsam inscriptionem explicat. Fit scilicet illa ex causis ad dominium transferendum habilibus, ac est ipsa traditio judicialis, plenamque fidem meretur, & testibus, documentis, nec non præscriptione antecedentibus est potior. Olim tamen intra annum & diem impugnari poterat; hinc fidejussore firmari solebat: sed utrumque postea sublatum. De cætero inscriptio habet memoratum effectum, licet absque tituli mentione fuerit facta aut quis tacite se obstrinxerit ad ædes sibi adscriptas alii concedendas, adeoque juxta intentionem hujus conventionis, inscriptio saltem *pro forma*, ut loquuntur, intervenerit. Aliquando tamen inscriptio illa judicialis ex justis causis, puta legitimæ absentiæ vel omissæ resignationis publicæ, & similibus impugnari potest. Interim non existimandum, quasi dominium rerum immobilium nullo casu citra inscriptionem judicialem acquiri possit. Hoc enim falsum esse Noster amplius probare nititur; hinc etiam quædam ædificia plane non inscripta dari asserit; inscriptionem tamen, sicubi hypotheca in iis constituenda sit, semper necessa-

riam

riam existimat. *Quinta pars* hypothecis judicialiter constituendis destinata est. Modum igitur eas constituendi, ac imprimis documenta eo nomine a Secretariis conficiendi, Noster explicat, nec non hypothecarum effectum, aliaque ad obligationem debitoris & pecuniæ debitæ diversitatem pertinentia proponit. In *sexta parte* rationem persequendi pignora judicialia suumque inde consequendi, quæ stilo Hamburgensi der Achterfolgungs-Proceß dicitur, traditurus Noster, de nomine Achterfolgen primo agit, deinde ipsum prosecutionis processum tam in genere quam in specie, quoad personas judicantes, prosequentes, prosecutionis causas, prosequendi modum exponit. Scilicet post frustra petitam debiti a debitore solutionem, creditor coram judice competente ter per arbitraria intervalla, ædes oppignoratas libro rerum distrahendarum inseri petit, (er läst es zu Buche bringen, ut Hamburgenses loquuntur) huic si a parte adversa nihil opponatur, vel ejus desiderium rejiciatur, creditori Schedula immissionis (Achterfolg Zettul) conceditur, cujus virtute immissionem ex primo decreto (quam die Ringlieferunge nominant, quia in ædibus, apprehensione annuli, quo ostium pulsatur, fieri solet) obtinet, quam judicialis ædium assignatio pluresque alii effectus, ut possessio, administratio &c. latius a Nostro expositi, sequuntur. Post immissionem debitor ejicitur, nisi ratione pensionis solvendæ fidejussores præstet: tum enim per annum adhuc ei in ædibus morari licet. Cessante solutione ædes creditori in solutum cedunt, si de vero earum pretio liquido constet, sed id raro fit. Plerumque publico proclamate (ut stilus forensis licet minus Latinus fert) post lapsum anni & diei Saxonici, a tempore immissionis computandi, alii qui jus aliquod sibi competere existimant, provocantur, nemine autem intra spatium Saxonicum (hoc enim publicæ proclamatis affixioni indulgendum est) comparente, post anni lapsum, subhastationem seu publicam venditionem ad candelam (bey brennender Kertze) petere potest creditor, quæ etiam, cessante vel remota legitima contradictione, per sententiam decernitur. Aliquando, inprimis si ædes sint ruinosæ, ad subhastationem citius ac citra memoratas ambages devenitur. Quibus autem exceptionibus pignoris persecutionem vel debitor vel tertius aliquis impedire, aut inceptam turbare possit, nec non quomodo per solutionem aliamq; satisfactionem eadem tollatur (wie die Achterfolgungs

Ge-

Gerechtigkeit getilget werde,) id fusius deinde Noster docet, per modum coronidis adjiciens, quod creditor etiam actione personali debitum petere, nec invitus ad persecutionem hypothecæ cogi possit; porro quod debitor, alienato licet pignore, nihilominus creditori personaliter obligatus maneat, quamvis aliud dicendum sit, si tertius ille etiam in locum debitoris per delegationem substituatur; denique quod tertius possessor, seposito speciali pacto, ultra hypothecæ quantitatem non sit obstrictus, quodque hoc casu, quando ad persecutionem pignoris procedit creditor, consueto prosecutionis processu opus sit, ac antea tertius possessor exceptione quoque excussionis seu ordinis gaudeat. Cum autem creditor ad pignoris persecutionem provolare non debeat, sed legitimo potius tempore & modo debitorem de eodem solvendo interpellare teneatur, hinc in *parte septima* interpellationem illam (die Loß-Kundigung) Noster sibi sumsit explicandam, adeoque ejus faciendæ tempus, personas interpellantes, interpellatas, interpellandi modum & probationem, interpelllationis locum & repetitionem recenset, ac quod debitor ultro creditori debitum offerre possit, nec non pignoris persecutio certis casibus, sine prævia interpellatione, suscipi queat, amplius ostendit; de cætero tractatum suum non tantum Dominis, Advocatis, Procuratoribus Hamburgensibus, sed & exteris, pecuniam sub hypotheca forsitan credituris, aut JCtis, in hujusmodi causis controversis responsa daturis, utilem arbitratus.

## *JO, PHILIPPI RINGLERI DE DOMANIIS GERMANIÆ libri tres.*

Jenæ, apud Jo. Jac. Ehrten, 1698. in 4. Constat 1. Alph. 16. plag.

INter publica bona, sive ad regiæ dignitatis splendorem, sive principalis status conservationem spectantia, loco præcipuo commendantur *Domania*, huc usque a publici Juris consultis exposita: pro diversa quidem consuetudine ac vario jure apud exteros. Interea non infrequens est rei domanialis argumentum in foro quoque Germanico, propter jura & emolumenta Illustrium, quibus hodie curæ cordique est, non publicis solum utilitatibus optime prospicere, sed Cameræ etiam reditibus consulere. Præterquam enim quod in domanio

 ner-

nervus consistit ac robur, si quid in aula requiritur sumptuum, inque regno, principatu, aliave republica impensarum; plerosque de his scriptores ita comparatos esse deprehendimus, ut affirment, *Domania* Germaniæ convenire cum *bonis dominicis* in Gallia potissimum regio diademati unitis. Quæ accuratius investigavit doctissimus Auctor in commentatione hac; cujus *libro primo*, præmissa generali consideratione de necessitate & utilitate hujus tractationis, ex jure vario, qualitates domanii Germanici exponit, & differentias ostendit præcipuas a domanio Gallico. Neque enim, ex mente illius, forma reipublicæ Germanicæ patitur, ut peregrinas circa res domaniales adhibeamus constitutiones: cum satis constet, nativa quadam propriaque legum auctoritate firmata esse domania Germaniæ, sive bona Principum cameralia, quæ feudali obligatione ab Imperatore solent recognosci, & ejusmodi nexu in Imperio possidentur. Proinde in tali contemplatione rerum, quæ ad publicam substantiam pertinent, per varia argumenta diducitur, multas limitationes esse in bonis Germaniæ cameralibus, præcipue circa pacta & conventiones, propter exterorum fallacias & artes, quibus hodie apud Germanos plura corrumpuntur. Quamvis autem ex certis præsuppositis, peregrina jura heic prodesse videantur Illustribus Germaniæ, cumprimis ex utilitate actionis revocatoriæ: in præsenti tamen tractatu, ejusque libro primo perspicue declaratur, leges Imperii fundamentales & consuetudines in domanio Germanico frequentari magis, pro tuenda veritate, justitia, fide, & auctoritate in societate civili. Unde qui de his dubitat, eum ablegat Auctor ad suprema Imperii tribunalia, hinc ad praxin & observantiam Germaniæ, & deinceps ad integra Jureconsultorum volumina, ubi obviæ sunt complures sententiæ de domanii jure, prærogativa, vi & potestate apud Germanos. Hisce diductis pergit ad formam reipublicæ Germanicæ; ubi breviter agit de legibus Imperii circa domania, & mox ad genuinam domanii Germanici interpretationem, qualitates ejusdem exponit feudales & allodiales: ut dignoscatur, an opes, prædia & possessiones ad hanc vel illam domanii speciem commode spectent, aut in sacris illius ac bonis jus habeant. De cætero, ne quis aberret in antecedentibus, sive in ipso quæstionis statu, libro huic primo subjicitur, ad lucem hujus argumenti majorem, consultatio de jure Gallicæ coronæ, & edictum Regium.

Hinc

Hinc Noſter in explicatione procedit *ſecundo* libro ad alienationem domaniorum; nec ſine ratione curioſus eſſe videtur ſuper indagatione dominii & translationis in generalibus. Etenim ubi penes aliquem eſt alienandi poteſtas, & præſertim in domanio, ſive eccleſiaſtico, ſive ſeculari; ibi dominium, aut rei domanialis proprietas, certo reſpectu præſupponitur: & viciſſim, nulla ex re proprietatis dominiique certitudo clarius cognoſcitur, quam ex poteſtate alienandi, ſive dominii transferendi facultate. Præſuppoſitis his, multa tradit Auctor ad rem facientia præſentem; inprimis pro reſolutione firmiore monſtrat exceptiones in alienatione domanii generales & ſpeciales, quod nempe regulariter per alienationem transferri nequit, niſi conſenſerint illi, quorum intereſt: ne dos regni aut principatus alienetur aut dividatur abſque inevitabili neceſſitate, & cum conſenſu atque approbatione procerum in regno aut principatu. Dum vero ita agit de alienatione domanii Germanici, per occaſionem disſerit ex feudalibus de alienatione utiliſque dominii translatione, ut ſcilicet res quælibet ex indole ſua & qualitate vera dijudicetur. Deinde quærit: an imperia poſſint alienari, ſicut res aliæ, quas jure dominii poſſidemus? item, quid ſentiendum ſit de donatione, quæ ad modos transferendi dominii refertur potius, quam ad contractus? Neque enim incognitum eſt, oppida totaſque regiones olim ab Imperatoribus donatas, ſicque alienatas, quin & oppignoratas fuiſſe: in hujuſmodi vero caſibus hodie ſpecialem requiri Electorum conſenſum, per capitulationes Cæſareas. Quidquid tamen ſit, ad vitandas confuſiones ac difficultates, in genere adducuntur rationes ſuper alienatione domanii Germanici: ubi ſimul agitur de iis, quæ circa alienationem domanii eccleſiaſtici in Germania, ſive bonorum ad menſam Epiſcopalem pertinentium, notatu digna ſunt. Quamvis certi ſumus, quod ea domaniis proprie dictis non accenſeantur, neque adeo communi aliqua definitione aut deſcriptione comprehendantur, ſed omnino differant ab iis pariter atque a rebus Cameræ & Eccleſiæ communibus. Verum negare haud videtur Noſter, quin bona ejusmodi menſalia ſe habeant ad inſtar domanialium. Quapropter illa, in alienationis actu, his propemodum æqualia cenſentur; quoniam bona menſæ, vel abſque conſenſu Papæ, vel ſine Imperatoris auctoritate, non poſſunt alienari, nec oppignorari, nec de novo infeudari,

 vel

vel quocunque modo transferri, etiam cum consensu Capituli ecclesiastici: ideo quod in propatulo sit, plures Archiepiscopos atque Episcopos Germaniæ ad constitutionem Sixti V Pontificis jurejurando sese obligasse Interim hæc satis liquida noscuntur ex intentione Auctoris, qui in eo versatur, ut demonstret, alienationem rei mensalis aut ecclesiasticæ fieri posse in Imperio, non obstante juramento, præcipue inter Episcopos Augustanæ Confessioni addictos; eamque deinceps valido jure subsistere, sive in oppignorationis, aut venditionis contractu, sive per modum subfeudationis. Namque si tali modo consideretur oppignoratio, venditio, aut infeudatio super bonis mensæ aut Ecclesiæ, luculenter apparere, earum rerum formas consistere, partim in juribus canonum, partim in legibus Imperii, aliisque consuetudinibus, sive in Germania sive apud exteros. Cui accedit, quod bona Ecclesiæ communia hodie ab Episcopis & Prælatis rursus infeudari, & certo respectu alienari queant inconsulto Pontifice: quinimmo cuilibet vasallo concessa sit facultas subinfeudandi alium, sine domini consensu. Quare nec deterioris esse conditionis hac in parte Episcopos, aut Principes Imperii, qui plura sæpius allodia territoriis immixta possident. Neque adversari huic sententiæ, vel quod in aliquo Episcopatu aut Prælatura peculiares invenias capitulationes de non infeudandis bonis mensalibus; vel quod alicubi potestas infeudandi de rebus Ecclesiæ communibus restricta fuerit ex conventione, pacto & conditione legitima: Feudorum quippe consuetudines, & Canonum jura, cæterasque constitutiones in Germania, non separare exceptiones regulariter a probatione cujusdam axiomatis, aut a præsumtione regulæ. In sequentibus complura traduntur de rebus infeudari vel alienari solitis, deque ipsa infeudatione rerum ecclesiasticarum, sive bonorum in Ecclesia communium.

Expositis alienationibus jure licitis circa domania Germaniæ, sive ecclesiastica sive secularia, pro necessitate rerum & circumstantiarum qualitate: operæ pretium statuit Auctor præscriptionem eorum libro *tertio* a communi errore vindicare, & ibi complura ad illustrationem hujus materiæ proponere. Perquam autem utiliter declaravit pactiones quasdam & conventiones, indeq; competentes actiones, quatenus illæ vim suam atque efficaciam exserunt circa ejusmodi domania. Ubi etiam pari compendio agitur de jure primogenituræ in feudo regali,

li, ejusq; domanio, per rationes ex utraque parte legitimas. Deinde curam ab ipso adhiberi videmus in explicatione dominii eminentis, ejusque convenienti applicatione: ostensis simul iis juribus, quæ competunt circa revocationis materiam, itemque ad refusionem pretii. Porro ad justitiæ trutinam examinantur ea, quæ concernunt renunciationem in domanio Germanico. Illud autem minime mirum censetur, quod tali occasione tractatio simul instituatur de prohibita fœminarum successione in feudo regali, ejusque domanio; cum utique maneat certissimum, sexum fœmineum a masculino heic quam plurimum discrepare. Neque id adeo frequens est in Gallia, ubi lege Salica fœminæ excluduntur a successione regia: quod quidem ex adductis decretis abunde constat, in quibus etiam ordinatum super dote filiarum, & ætate Regis coronandi in Gallia. Quemadmodum vero luculentissimis argumentis, ex diverso jure pariter atque ex praxi & observantia Germaniæ, illustrata fuit hucusque præscriptio domanialis, tenebris quasi involuta ab ipsis interpretibus, qui susque deque permiscuerunt omnia, ut cum exteris plerumque paria facerent in rationibus suis: ita cum totam, in hac enarratione, complexuri non simus interpretationem super hac materia, quæ definita juris Germanici principia continet ex intentione doctissimi Auctoris, provenientia ex bona fide, justo titulo, & continua possessione; non abs re visum fuit, ex ipsius mente præscriptionem in domanio declarare pro beneficio, rationi & æquitati haud adverso, quodque maximam præ se fert in dirimendis litibus auctoritatem, inque emendandis temporibus in Imperio utilitatem.

### *THOMÆ CRENII ANIMADVERSIONUM HISTORICarum & Philologicarum Pars quarta.*

Lugduni Bat. apud Abrah. de Svvart, 1699. in 8. plag. 16.

DUm in vindicandis ab interitu doctiorum quorumcunque tractatibus minoribus strenue pro indefessa sua industria Nobilissimus Crenius adhuc pergit, ac non Dissertationum modo variarum, sed consiliorum quoque ad solidam eruditionem comparandam facientium Tomum unum post alterum emendate admodum & comte in lucem publicam prodire facit; suarum interim, quas cum Orbe Erudito hinc

hinc ab annis aliquot communicare cœpit, Animadversionum minime est immemor, indeque novam earum partem, quæ tertiam superiori anno p. 240. seq. in Actis nostris delineatam nunc excipit, Benevolo Lectori ob oculos proponere heic loci nobis integrum est.

Utut autem a liberalitate sua in erogandis clarissimorum Virorum epistolis manuscriptis nondum cesset, plures tamen earum in præsenti parte occurrunt, quæ, ne ipso quidem Autore dissimulante, breviores sunt & paulo interdum steriliores, utpote Jo. Fred. Gronovii ad Casparem Barlæum, p. 30. Bonav. Vulcanii ad Joachimum Hubnerum, p. 138. Jani Gruteri ad Franc. Junium, p. 146. Marci Velseri ad Josephum Scaligerum, p. 147. & aliæ, quæ tamen sua utilitate penitus haud carent, cum leviora etiam a tantis Viris profecta justum apud æquos æstimatores pretium invenire soleant. Notatu vero digna sunt præ cæteris, quæ p. 120. seu in peculiari quodam epistolio, de Erasmo Roterodamensi magnifice a Friburgensibus excepto, narrat Franciscus a Burgundia Falesius; quæque p. 190. ad Franciscum Raphelengium scribens Jo. Drusius ad illustrandum locum Ps. LXXIIX, 26. in medium profert. Prolixissima, quæ totum librum claudit, quamque Noster itidem ineditam existimat, epistola ad Cornelium Daems a Matthæo Radecio A. 1598. scripta, Fausti Socini a Studiosis Cracoviensibus acriter impetiti fata valde dura nunciat, aliaque nonnulla, quæ ad Socinianorum istius temporis historiam conferre non parum queant, complectitur.

Ne tamen sola monumenta manuscripta in lucem protrahere videatur, impressa quoque nonnulla, sed quæ dudum in plerisque Bibliothecis disparuerunt, communis usus facit; quorsum Lazari Bonamici præfationem in Thucydidem & Livium referas p. 60. seq. in qua de laudibus historiæ, ac de præstantia binorum, quos jam nominavimus, Historicorum prolixe agitur; Orationem item miris modis Lectorum sibi gratiam conciliantem, qua Christina, Sueciæ Regina, A. 1654. regno sese abdicavit, p. 151. seqq.

De diversis insuper Auctorum diversorum editionibus pererudite disserit, & qui suam diligentiam in Virgilii, Ausonii, Ciceronis, Suetonii ac Senecæ utriusque opera impenderint, p. 1. & pluribus sequentibus commemorat. Alibi p. 208. seqq. eorum nomina & scripta allegat, qui Augustini, Ambrosii, Gregorii Nysseni, Chrysostomi,

Salviani, Cypriani, Vincentii Lirinensis opera particularia & minora aut notis suis illustrarint, aut accuratius tantum excludi fecerint.

Frequentia quoque de Scriptoribus celebrioribus judicia inspergit, velut ubi Livium a censura nimis rigida iniquiorum vindicat, p. 50. seq. Dionysium Petavium tanti certe haud habendum, quanti vulgo fiat, p. 29. seq. contendit; de Erasmi colloquiis & aliis ad ejus personam atque eruditionem attinentibus multa a p. 103. ad 120 cumulat; Janum Gruterum ab atheismi suspicione liberat, p. 142. seq. Joh. Cameronis vitam, moresque ac fortunam, Petri Molinæi verbis a p. 159 ad 174 prolixissime recenset; eodem modo circa J. A. Comenium antea versatus, cujus vitam & doctrinam Maresii penicillo a p. 89. ad 102. adumbrat..

Viros eruditissimos, qui, ut editis in lucem libris nominis sui immortalitatem quærerent, moveri nulla ratione potuerint, p. 217. seq. enumerat; eorum etiam, qui præter meritum neglecti aut ignorati diu fuerint, catalogum haud brevem p. 219. seq. texit. Alias amœnitates tacemus, cum paucas has, quæ hactenus e plurimis huc derivatæ sunt, ad lectionem libri ipsiusmet abunde jam istarum cupidos allicere posse nulli dubitemus.

## *ANIMADVERSIO AD DAVIDIS GREGORII SCHEDIASMA de Catenaria, quod habetur in Actis Eruditorum A. 1698. p. 305. seqq.*

Excerpta ex Epistola - - - ad - - -

DOctissimus Mathematicus David Gregorius rem ab aliis jam ante septennium inventam & publice expositam, nempe Catenariæ naturam & primarias proprietates, suo quodam modo demonstrare aggressus est in Transactis Philosophicis Anglicanis mensis Augusti 1697. p. 633; quæ demonstratio inde translata est in Acta Erud. Lipsiensia Julii 1698. pag. 305. Et fieret sane operæ pretium, si res licet cognita dudum, ex novo sed solido principio derivaretur, quod ab acumine & doctrina Autoris expectari poterat. Nescio quomodo tamen factum, ut principiis ab eo allatis aliquid ad soliditatem desit, quod veritatis amore annotare dignum visum est, ut Geometriæ sua sinceritas constet. Suffecerit autem attente considerare, quomodo demonstraverit Dn. Autor propositionem primam & primariam, cui reliquas super-

ſuperſtruuntur, utemurque figura & litterisGregorianis, ac verba ipſa fideliter ſequemur.

TAB. II. Fig. 1. Proponit ſibi catenam FAD ſuſpenſam ex duobus extremis F & D, cujus imum ſeu vertex ſit A. Deinde ſumto d puncto in curva proximo ipſi D, ductaque tangente TD d axi AB occurrente in T, & ordinatis BD, bd, & in hac ſumta δd differentia ordinatarum, & ducta Dδ, normali ad bd ſeu parallela ad AB, differentia abſciſſarum; probandum ſuſcipit, eam eſſe naturam curvæ catenariæ, ut ſit δd ad δD, uti conſtans quædam a, ad arcum catenæ AD: Hoc ut demonſtret, poſtquam quædam ex Mechanicis conſtare dixit, quæ diſtinctius enunciare atque etiam applicare operæ pretium fuiſſet, ſubjicit: *Si D d exponat gravitatem abſolutam particulæ D d, ut in catena æqualiter craſſa rite fit*, (id eſt, ſi gravitates partium catenæ ſint ut ipſarum longitudines) *d δ repræſentabit gravitatis partem eam quæ normaliter in Dd agit, quaque fit, ut d D, ob catenæ flexilitatem circa d mobilis, in ſitum verticalem ſe componere conetur.* Hæc vera ſunt, ſi hunc habeant ſenſum: pondus $\pi$, (vide figuram 2.) eſſe ad pondus D d ut recta

Fig. 2. d δ ad rectam D d: ſeu vim, rectæ D d, ubique æqualiter gravi ac mobili circa d, normaliter applicandam in ejus medio, ut dictam rectam in hoc ſitu ſervet, & verſus ſitum verticalem tendere impediat; adeoque & æqualem ei vi vel ponderi $\pi$ gravitationem ipſius rectæ D d qua ad ſitum illum tendit; eſſe ad abſolutam gravitatem ipſius D d (qua ſcilicet perpendiculariter deſcenderet, ſi libera prorſus eſſet) quemadmodum d δ eſt ad ipſam D d. Pergit Dn. Gregorius: *Adeoque ſi δ d ſive fluxio* (vel incrementum aut elementum) *ordinatæ B D conſtans ſit* (id eſt, ſi ordinata lineæ catenariæ ponatur creſcere uniformiter) *gravitatis actio in partes correſpondentes catenæ D d normaliter exerta, etiam conſtans erit, ſeu ubique eadem*, id eſt, cujuſque rectæ D d, ſeu portionis elementaris in catena aſſumtæ *gravitatio*, qua ſitum verticalem affectat circa punctum ſuperius d, ex quo ſuſpenſa eſt (ſuppoſitum immotum) gyrare conando; erit ad gravitatem abſolutam ejuſdem portionis, ut conſtans quædam recta eſt ad illam ipſam portionem.

Pergit: *Exponatur hæc* (conſtans gravitationis quantitas) *per rectam a.* Sed hic apparet aliqua difficultas, nam hæc *Gravitationis* qua D d ſitum verticalem affectat, expoſitio vel repræſentatio facta

per

TAB. II. ad A. 1699. pag. 88. M. Febr

Fig. 3.





Fig. 1.






Fig.



per rectam a, quæ assignabilis assumitur vel ordinaria (quoniam infra dicitur, ipsam erga A D catenam debere esse in ratione δ d ad δ D seu BD ad BT) concedi quidem posset, si id quod assignabilem ad eandem gravitationem habet rationem, nempe gravitas absoluta ipsius D d (quæ dicta est esse ad gravitationem ut D d ad δ d, seu ut T D ad B D) etiam exponeretur per rectam assignabilem. Verum id non fit, paulo ante enim gravitas illa absoluta exposita est per ipsam D d, rectam utique infinite parvam. Alterutra ergo expositio rejicienda est, nec simul stare possunt. Et præterea, si gravitas absoluta ipsius D d portionis elementaris catenæ, exponenda esset per rectam assignabilem, utique gravitas ipsius catenæ ex infinitis portionibus, qualis est D d, compositæ, non posset exponi per lineam assignabilem (ut mox fieri videtur, dum ejus pondus exprimitur per ipsam ejus curvam) sed exponenda foret per lineam infinitæ magnitudinis. Et quid opus erat (nisi ad occasionem propriæ deceptionis) exponere gravitationem illam per rectam constantem assignabilem a, cum exposita jam sit per assignabilem constantem d δ quippe quæ gravitationem ipsius D d (semper eandem) repræsentat, uti D d exponit vel repræsentat absolutam ejus gravitatem semper pro magnitudine variantem; & quemadmodum mox (licet non recte) dicetur, vim secundum directionem D d exponi per inassignabilem D δ.

Pergamus cum Dn. Autore: *Porro* (inquit) *ex supra citato Lemmate Mechanico, D δ sive fluxio Axeos A B exponet vim secundum directionem ipsius d D, quæ priori conatui lineæ gravis d D ad componendum se in situm verticalem æquipolleat, cumque impedire possit.* Non satis apparet ex verbis Autoris vel sensus illius Lemmatis mechanici, vel applicatio, ut quod hic affirmatur, inde duci possit. Sed aliunde satis apparet, aliquid erronei subesse oportere. Nam quæ hic affertur repræsentatio vel expositio, cæteris positis admitti non potest. Quoniam enim pondus absolutum ipsius rectæ gravis D d exponitur per ipsam rectam D d, ut supra a Domino Autore est assumtum, atq; adeo pondus $\pi$ normaliter ad D d applicatum, (quod æquat gravitationem ipsius Dd situm verticalem affectantis,) exponitur per rectam d δ, seu est ad gravitatem absolutam ipsius D d, ut d δ ad D d; ideo his positis ajo pondus *Z* seu vim, quæ secundum ipsius D d directionem impediat gyrationem seu affectationem situs verticalis, non posse repræ-

ſentari vel exponi per rectam D δ; pondus enim Z debere eſſe infinitum; cum quantumcunque ſit, modo finitæ ſit magnitudinis, trahendo in directione ipſa D d non poſſit retinere D d in ſitu præſenti, ut jam ab aliis eſt oſtenſum. Nempe puncto D ſemper nonnihil deſcendente fiet in D angulus aliquis ipſius d D cum filo per quod pondus Z ſuam tractionem exercet; iſque tanto magis obtuſus ſeu ad rectam accedens, quanto majus eſt pondus Z.

Pergit: *Hæc vero vis oritur a linea gravi D A ſecundum directionem D d trahente.* Hoc verum eſt, ſed objectionem noſtram confirmat. Nam pondus lineæ D A vel d A, eſt infinitum comparatione ponderis ipſius rectæ D d, quæ non eſt niſi infinite parva portio ipſius d A. Cum ergo gravitas abſoluta ſeu pondus ipſius elementaris rectæ D d exponatur per ipſam rectam D d; pondus autem π ſit ad ipſum pondus rectæ D d ut d δ ad D d, erit & ipſum pondus π infinite parvum. Sed pondus Z, cum ex Autoris ſententia oriatur ex ipſius catenæ D A pondere, quæ infinities continet D d, utique infinitum erit reſpectu ipſorum ponderum D d & π, adeoque per D δ exponi nequit, ſeu non poteſt eſſe ad pondera D d & π, ut recta D δ ad rectas D d & d δ.

*Eſtque proinde* (pergit) *cæteris manentibus lineæ D A proportionalis.* Ne hoc quidem ſequitur, ſi quidem ſenſus eſt pondus Z quod retinet rectam D d in ſitu ſuo, directione D d, eſſe ad pondera D d & π ut linea catenæ D A ſe habet ad ipſas lineas pondera D d & π exponentes vel repræſentantes. Oſtendendum ſcilicet foret, gravitationem catenæ D A qua trahit D d in directione d D, abſolutæ ipſius gravitati eſſe æqualem, ſeu eſſe eandem, qua traheret, ſi ſuſpenſa eſſet in T quod non admittetur.

Concludit tandem Dn. Autor his verbis: *Eſt igitur δ d fluxio ordinatæ ad δ D fluxionem abſciſſæ, ſicut conſtans recta a ad D A curvam.* Vera eſt concluſio, ſed nihil minus quam probata, & mirum eſt, quam multis opus fuerit aſſumtis erroneis, ut tandem veritas prodiret. Nam, ut cætera taceam, nunc oportuit ponderis infinite parvi π rationem ad pondus infinite parvum D d exponi per rectæ ordinariæ *a* rationem ad rectam infinite parvam D d; nunc contra oportuit ponderis ordinarii Z rationem ad pondus infinite parvum D d exponi per rationem rectæ infinite parvæ D δ ad rectam itidem infinite parvam D d, ut tandem

dem destruentibus sese erroribus, perveniretur ad modum apparenter concludendi, esse duas lineas infinite parvas ∂d, ∂D ut duas lineas ordinarias a & D A. Abusus expositionis inassignabilium per assignabilia (alias permissæ & utilis) itemque theorematis mechanici, ut alia taceam, sub specie successus blandiente fefellerunt. Credibile est, ipsum Doctissimum Gregorium hoc posterioribus cogitationibus ingenue agniturum; aut si adhuc dubitat, consulto saltem Celeberrimo Nevvtono, cujus methodum sequi profitetur, esse crediturum.

## *JAC. B. CIRCINUS PROPORTIONUM NAUTICUS SCAla Loxodromica instructus, hujusque fabrica mire facilis.*

GEometræ Problema de invenienda longitudine puncti in Loxodromia ex ejus data latitudine, eo quod transcendens esse & a summis secantium dependere animadverterent, haud aliter quam approximando solvere sunt assueti, adhibitis eum in finem Mappis quibusdam seu Tabulis, quas *Latitudinum crescentium* vocant, ex additione plurium secantium satis operose constructis. Solus hactenus rem accurate confecit omni scientiarum laude cumulatissimus Vir Dn. Leibnitius, sed calculi laborem non sustulit, Problemate quippe ad Logarithmos sinuum versorum nondum supputatos redacto. *Vid. Act. Lips. 1691. m. April. p. 182.* Data nuper occasione, cum Positionibus quibusdam de Seriebus infinitis conscribillandis occuparer, in modum incidi consequendi quæsitum absque ullo labore; animadverti enim, Scalam Loxodromicam in Logarithmorum quæ vulgo prostant Tabulis ita jam paratam haberi, ut inde non tam calculo erui, quam exscribi solummodo opus habeat. Modus talis: Notentur in columna A arcus Latitudinum seu partes quadrantis ordine per singulos gradus graduumve minutias a $0^{o}$ ad $90^{o}$ (sufficit in adjuncto laterculo rem exhibere in denis gradibus.) His in col. B respondeant totidem partes semiquadrantis a $45^{o}$ ad $90^{o}$ differentiis progre- TAB. II. Fig. 3.

| A Gr. lat. | B | C. Gr. long. |
|---|---|---|
| 0 | 45 | 0 |
| 10 | 50 | 7.61865 |
| 20 | 55 | 15.47732 |
| 30 | 60 | 23.85606 |
| 40 | 65 | 33.13275 |
| 50 | 70 | 43.89341 |
| 60 | 75 | 57.19475 |
| 70 | 80 | 75.36812 |
| 80 | 85 | 105.80482 |
| 90 | 90 | Infin. |

dientes, quæ ſint ſemiſſes differentiarum columnæ A. Horum poſteriorum arcuum exſcribantur in col. C. Tangentes Artificiales, demto a ſingulis Logarithmo ſinus totius; quo pacto parata erit Tabella, ſignificabuntque primæ ad ſiniſtram notæ numerum col. C, gradus longitudinum integros, & quinque reliquæ ad dextram punctulis diſcretæ graduum partes centies milleſimas. Reſpicit autem hæc Tabella primario Loxodromiam, cujus angulus cum meridianis eſt 27° 9′ 42″, ſed aliis interim quibuslibet Loxodromiis, facile accommodabitur, ſi fiat, ut 7579869 tangens anguli prædicti ad tangentem dati alterius cujusvis anguli Rumbici, ſic longitudo e regione datæ latitudinis in Tabula reperta ad longitudinem quæſitam. Ut vero & hujus operationis moleſtia leventur imperiti Nautæ, poterit ex iſta Tabella Scala confici, eaque poſthac cum linea Tangentium Circinis Proportionum inſculpi, hoc fere modo: Linea partium æqualium repræſentet gradus longitudinum eorumque partes; huic adjungatur alia, ſi lubet, parallela, quæ gradus latitudinum comprehendat, & cujus diviſiones ſic inſtituantur, ut decimus gradus latit. reſpondeat 7. 61865 gradui longit. viceſimus lat. 15. 47732 gr. long. & ita conſequenter, prout ex laterculo apparet. Tandem etiam in utrumque Inſtrumenti crus projiciatur Scala Tangentium cum ſuis diviſionibus, ejuſque locus, qui incidit in 37° 9′ 42″ aſteriſmo notetur. Uſus hujus Circini Proportionum talis: Sit ex. gr. inſtituta velificatio in Rumbo quinto, h. e. in angulo 56° 15′, a 20 latitudinis parallelo ad uſque 40mum, & quæratur longitudinis evariatio: Sumo in Scala Latitudinum intervallum inter 20 & 40, illudque diductis, quantum ſatis eſt, Inſtrumenti cruribus in Linea Tangentium aſteriſmis applico; mox in hac Linea diſtantiam accipio inter num. 56° 15′ utriuſque cruris, eamque in Lineam partium æqualium transfe-

ro;

ro; in qua sic abscindet optatam longitudinum differentiam, quæ est 38.85973 seu 34°. 51′. 35″. Potest vero etiam eadem facilitate conversum Problematis hujus expediri, & ope talis circini Proportionis ex datis latitudinibus & longitudinibus duorum locorum inveniri angulus Rumbi, & si quæ solent alia his affinia inter Nautas Problemata agitari; unde vix aliud simplicius & ad praxin accommodatius adminiculum in usum horum hominum excogitari posse, facile quis sibi persuadeat.

## *PHILIPPI A LIMBORCH DEFENSIO CONTRA JOANNIS van der Wayen iniquam criminationem.*

Amstelædami, apud Johannem Grœnevvoudt, 1699, 8. Plag. 7

IN sua, quam adversus clarissimum Virum, Jo. Clericum, emisit, Dissertatione celeberrimum Wayenum simul in principem hodie Arminianorum Theologum, Philippum Limborchium, insurrexisse, eique, quod doctissimo Burmanno Spinosismi notam plane præter rem impegerit, prolixe exprobrasse, sub finem nostri, quo istam Wayeni adumbravimus Dissertationem, recensus superiori anno p. 459. memoratum haberi, Benevoli Lectores deprehendent. Notam ergo isthanc a se removere studet Limborchius in præsenti Dissertatione apologetica, in qua suam ante omnia mentem circa Burmanni cum Spinosa convenientiam declarat, post a seipso Spinosismi suspicionem, qua gravare eum citato loco Wayenus voluit, amolitur, tandemque id, quod judice Wayeno ipsissimus sit Spinosismus, legitima sequela ex Burmanni potius doctrinis haud difficulter posse elici contendit.

Male videlicet imprimis Wayenum id habuerat, quod Limborchius in Theologia sua Christiana Burmannum, de omnipotentia Divina agentem pleraque ad verbum fere ex Spinosa descripsisse asseruerit, idque impetuosam in innocentem debacchationem vocaverat. Sed ut nihil prorsus a veritate alienum se dixisse monstret Limborchius, ex Spinosæ Cogitatis Metaphysicis caput de potentia Dei, & paragraphum de eo, quod est necessarium, impossibile, possibile &

contingens, ex uno; Burmannianam vero de omnipotentia Dei tractationem ex altero latere apponit: & post institutam collationem unicuique manifestum fore confidit, Burmannum isto in loco Spinosæ librum omnino ante oculos habuisse, indeque potissimam capitis illius partem descripsisse, nonnunquam verba quædam interpolasse, & nunc quædam omisisse, nunc addidisse, sensu tamen minime mutato, quin imo verba, quibus propriis sententiam suam explicet, sine ulla mutatione ex Spinosa esse mutuatum. Præterea Burmannum sine judicio Spinosam alicubi secutum fuisse etiam in iis, quibus atheismi sui venenum, sed tectius paulo, insinuarit, affirmasse se nondum dissimulat, sed ad duo solum Burmanni effata id restringendum addit, quando nempe semel, totam rerum naturam non esse nisi unicum ens; & iterum, quando Deum ordinaria potentia secundum leges naturæ nobis notas, extraordinaria vero secundum eas, quæ nobis notæ non sint, operari is docuerit. At ista ratione Burmannum a se Spinosistam pronunciari penitus inficiatur, quandoquidem ex eo, quod Spinosam ille sine Judicio alicubi secutus fuerit, minime inferre liceat, quod penitus in castra ejus transiisse dicendus sit; quin potius ignarum modo, quid Spinosa animo volveret, non satis considerasse ait ejusdem phraseologias, quibus venenum opinionis suæ occultarit.

Deinceps nucleum Spinosismi vocaverat Wayenus doctrinam, quæ statuat, omnia ex natura Dei emanasse, ut aliter se tota rerum universitas per naturam Dei habere non potuerit, quam habeat in præsenti. Huic vero obnoxium statuerat Limborchium, cum hic conceperit ideas rerum præter Deum, quæ decretum omne prævertant; hoc ipso namque eundem infert statuere, Deum non potuisse non agere juxta illas ideas, eumque totam hanc universitatem aliter creare non potuisse, quam secundum ideam non libere formatam, sed sibi naturalem, ac proinde non aliam, quam nunc est; quod quo tendat, nemini, nisi qui Spinosismum nesciat, obscurum sit. At enimvero prout heic sibi gratulatur Limborchius, quod argumentum, quo ex sententia sua Spinosismum elicere conetur Wayenus, in omnes directum sit Theologos, cujuscunque sententiæ & sectæ inter Christianos, quippe qui omnes præter scientiam visionis in Deo statuant scientiam simplicis intelligentiæ, qua is seipsum cognoscat & omnia possibilia, quæque scientiam visionis, qua, quicquid libere decreverit, ac

virtu-

virtute decreti Divini futurum fit, omnino norit, ordine naturæ procul dubio præcedat, unde omnes certe in Deo ideas decreta ejus prævertentes promtissime admittant: ita nullam esse respondet hanc consequentiam, si colligas, eum, qui concipiat ideas rerum præter Deum, quæ decretum omne prævertant, una statuere, Deum non potuisse non juxta ideas illas agere. Ideas namque has, quæ in Deo concipiantur, non esse rerum futurarum, sed possibilium tantum, hoc est, quæ virtute potentiæ Divinæ infinitæ fieri possint. Intelligere nempe & novisse Deum, quicquid facere queat, licet hoc non decreverit, nec unquam facturus sit. Cum autem infinita sit varietas eorum, quæ Deus facere se posse novit, pro liberrima sua voluntate eum id tantum decernere & in tempore creare, quodcunque placuerit. E quibus singulis affatim patere autumat, quod Deo summam decernendi atque operandi libertatem adscribat, proculque adeo ab omni Spinosismo recedat. Addit interim, Deum, quando ista sua libertate utatur, non posse tamen quidpiam decernere, quod manifestam in se contineat repugnantiam, hoc est talia, in quibus, quando a nobis concipiantur, pugna evidens appareat; qualia sint non ea solum, quæ naturali ejus perfectioni & attributis repugnent, sed etiam omnia, quæ terminorum contradictionem aut manifestam habeant, aut eam ad minimum involvant. Quam doctrinam minus sane reprehendendam dicit, & ab objectionibus Wayeni paulo uberius defendit clarissimeque apparere arbitratur, quod assertionem, Deum omnium rerum causam emanativam esse, ne per millesimam quidem consequentiam elicere exinde liceat.

Vicissim vero ex doctrina Bürmanni facilem dari ad Spinosismum descensum ait, cum juxta hanc voluntas Divina ipsa Dei sit essentia, sit æterna ac necessaria, de qua Burmannus neget, quod potuerit non esse. Equidem ostendere ipsum refert, quomodo sit libera, quatenus nimirum Deus non tantum non sentiat, se ab alia vi externa determinari, sed etiam revera non determinetur, aut determinatus, sed a seipso solo sit. Verum & Spinosæ Deum, qui omnium rerum causa perhibeatur emanativa, ut talem describi respondet, istaque ratione difficultatem nondum auferri colligit. Longius tamen abesse a se cupit, ut istud, quod legitima sequela ex Burmanni sententia deducat, ipsi tanquam sententiam, quam agnoscat & defendat, imputet;

tet, cum consequentias a sententia, quæ iis gravetur, accurate discernendas esse, nunquam non docuerit.

---

## LIBRI NOVI.

*Annales Vellejani, Quintilianei, Statiani. Seu Vitæ Velleji Paterculi, M. Fabii Quintiliani, P. Papini Statii, obiterque Juvenalis; pro temporum ordine dispositæ ab Henrico Dodwello. Oxonii e Theatro Scheldoniano, 1698. 8.*

*Johannis Lightfooti Opera Posthuma, antehac inedita. Ultrajecti apud Guil Brœdelet, 1699. fol.*

*Johannis Sauberti F. De Sacrificiis Veterum Conlectanea Historico-Philologica, & Miscella Critica; nec non de Sacerdotibus & Sacris Hebræorum Personis Commentarius singularis. Quæ Thomas Crenius recensuit, emendavit, & præfatione, notis, ac plenioribus indicibus auxit. Lugd. Bat. apud Jord. Luchtmans, 1699. 8.*

*Histoire de Ferdinand-Alvarez de Tolede, premier du nom Duc d' Albe. A Paris, chez Jean Guignard, 1699. 12.*

*Memoires Politiques pour servir à la parfaite intelligence de l' Histoire de la Paix de Ryswick. Par Mr. Du Mont. A la Haye, chez Francois Honoré & Etienne Foulque, 1699. 12.*

*Relation du Voyage de Mr. Evert Isbraud Envoye de sa Majesté Czarienne a l' Empereur de la Chine en 1692, 93, 94. A Amsterdam chez Jean Louis de Lorme, 1699. 8.*

*Relation d' un Voyage fait en 1695, 96, 97 aux cotes d' Afrique, detroit de Magellan, Bresil, Cayenne & Isles Antilles, par M. de Gennes. Faite par le Sieur Froger. A Amsterdam chez les Heretiers d' Antoine Schelte, 1699. 12.*

*Recueil de divers Traitez de Theologie Mystique, qui entrent dans la celebre dispute du Quietisme. Avec une Preface, ou l' on voit beaucoup de particularité de la Vie de Madame Guion. A Cologne, 1699. 12.*

*Relation curieuse & nouvelle de Moscovie. A La Haye chez Meyndert Uytwerf, 1699. 12.*

*Traité de la Vie Chrétienne, traduit de l' Anglois du Docteur Scot. A Amsterdam, chez Henri Desbordes, 1699.*

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipsiæ,*

*Calendis Martii, Anno M DC XCIX.*

---

## *FRANCISCI MAUROCENI PELOPONNESIACI, Venetiarum Principis, Gesta. Scriptore JOANNE GRATIANO BERGOMENSI, D.*

Patavii, ex typographia Seminarii, 1688, in 4. Alph. 2. pl. 6.

QUemadmodum inter illustrissimas Serenissimæ Venetæ Reipublicæ gentes, a primis ejus incunabulis ad hæc usque tempora, Maurocena domus eminuit: ita ex hac nemo forte seu meritis in patriam, seu gloria ac celebritate nominis, major Francisco nostro extitit, cujus res gestas Historiographi non pauci attigerunt hactenus ac illustrarunt sparsim, nunc justis commentariis, dubium stylo elegantiore an graviori judicio compositis, Joannes Gratianus, Vir Clarissimus, complexus est. Ac de familiæ quidem splendidissimæ decore jam alibi quædam dicendi nata nobis fuit occasio, tum cumprimis, cum *Maurocenam. Megaloprepeiam*, seu *Mauroceniadum Fastorum libros ab Antonio de Grassis* editos, in Actis hisce A. 1683. p. 299 recenseremus Nunc vero, dum Francisci Mauroceni gestorum Historia recentissima perlustranda nobis offertur, tanti Herois insignia plane omnique posteritatis memoriæ merito consecranda facinora prolixius prædicandi foret opportunitas, siquidem id instituti nostri ferret ratio; qui non tam illustrium virorum adornare elogia, quam, quæ ad doctrinæ & eruditionis profectum pertinent, utcunque literis consignare, consuevimus. Itaque nonnisi summa rerum a Peloponnesiaco nostro gestarum capita indicabimus, Lectore Historiarum cupido ad ipsos Gratiani disertissimi Commentarios, quos perlegisse integros neminem pœnitebit, ablegato.

Lib. I. Editus est in lucem Franciscus Maurocenus Venetiis anno properantis nunc ad finem seculi decimo octavo, Petro Mauroceno D. Marci Procuratore patre, matre Maria, ex ejusdem nominis familia. Cum juventam honestissimarum quarumque artium, bellicarum cumprimis, quarum studium acerrimum jam in puero emicuit, cultu transegisset, anno ætatis vigesimo militiæ navalis tyrocinia auspicatus est: quo tempore Serenissima Respublica aperti quidem belli immunis, cum piratis tamen colluctabatur. Ast postquam A. 1645. gravissimum cum Turcis Cretæ subjugandæ libidine incensis bellum exarsisset, tum vero latissimus campus, in quo fortitudinis prudentiæque illustria documenta ederet, Nostro se aperuit; qua occasione tam gnaviter etiam fortunateque fuit usus, ut per omnes munerum militarium gradus, ad supremum Imperatoriæ dignitatis fastigium, paucorum annorum spatio fuerit enixus. Anno nimirum 1646 ad quinqueremis regimen evectus, mox A. 1647 Præfecti navium vicem per aliquot menses sustinuit. A. 1649 Adriatici sinus suscepit custodiam, eaque strenue defunctus, A. 1650 quinqueremium Præfecturam adeptus est. Cum vero A. 1651 in celebri supra Paron insulam, Aloysii Mocenici Imperatoris auspiciis conserto cum Turcis maritimo prælio, ea usus felicitate fuisset, ut Prætoriam Turcarum navim, ac in ea celeberrimum illa tempestate archipiratam Nicolaum caperet, A. 1652 Præfectus classis, quod præstantissimum, post Imperatorium, munus est, fuit constitutus. Anno 1655 summam Cretæ insulæ administrationem suscepit, biennio post supremi Imperatoris dignitate, summa classis perinde ac terrestris exercitus cum lætitia ac applausu, condecoratus. His muneribus quam dextre, quantaque vi animi ac providentia præfuerit, latius Auctor gravissimus edisserit. Neque sic

Lib. II. tamen evitare Maurocenus potuit, quin post absolutum A. 1661 Imperatorii Magistratus curriculum Venetias reversus, invidorum censuram ac obtrectationem subiret, mittendusque in Græciam a Senatu Quæsitor fuerit, qui judicium more recepto institueret: sed eo denique eventu, ut post redditam rei administratæ rationem, Mauroceni gesta probarentur Senatus universi suffragiis, accusatores vero calumniæ nota mulctarentur.

Inter hæc bellum Creticum visum est paulatim defervescere, quod Turcæ novum adversus Augustissimum Romanorum Imperatorem

rem bellum meditarentur. Quod cum A. 1663 in Pannonia erupisset, Venetique Foro-Julii non sine causa metuerent, isti provinciae Maurocenus praefectus est. Ast bello Hungarico subita & inexpectata pace A. 1665 composito, cum Turcae vastissimi Imperii vires ad expugnandam tandem Cretam, urbem insulae cognominis principem, colligerent, Mauroceno primum quidem classis Praefectura, mox iterum summum terrestris maritimique exercitus Imperium, & Cretae urbis adversus vim Barbarorum propugnandae cura commissa. Nec multo post celeberrimum illud ac memorabile Cretae coepit obsidium, quo intra viginti & octa menses, Turcarum centum & viginti millia, triginta millia Christianorum occubuisse feruntur. Nec armis utrinque magis, quam ingenio certatum & consiliis, cum hinc Maurocenus inusitata dexteritate vique animi incredibili urbem tutaretur: inde Achmet Kiuperli, Regii Sigilli Custos, quo prudentior Regni administer nunquam Turcis obtigerat, nihil artis poliorceticae omitteret. Fidem etiam Mauroceni ab Achmete tentatam Gratianus noster memorat, promisso illi, si urbem dederet, Valachiae & Moldaviae Principatu; sed frustra, Mauroceno oblata generose nec sine irrisione Achmetis respuente. Nec erat certe, cur a Barbaris dignitates perfide quaereret, quas promereri a Republica patria honestis artibus poterat; a qua, dum obsidionem adhuc strenue sustentaret, Procuratorio D. Marci munere, insolito plane exemplo, extra ordinem nempe & supra numerum, fuit ornatus. Nihilominus cedendum vi majori ad extremum Mauroceno fuit, inprimis postquam postremae Gallorum suppetiae, a quibus conservandae urbis spes unice pendebat, in irritum cecidissent, &, quae saluti urbis paratae erant, adversantibus fatis vertissent in exitium. | Sex millia selectissimorum militum Rex Galliae Potentissimus, pro singulari in Rempublicam Venetam ac rem Christianam studio, sub ducibus Bellifortio & Novalaeo, subsidio obsessis miserat, validam utique manum, & qua servari urbs potuisset, si morae patientes utcunque auxiliares copiae fuissent. Ast dum Galli nimia virium suarum fiducia uni praelio summam rerum committunt, ac Mauroceno nequicquam revocante, improvide Turcarum castra facta eruptione invadunt, ac laetis quidem initiis usi, sed casu fortuito perturbati, clade atroci, ipso Bellifortio amisso, afficiuntur, moxque primo impetu, ac fervore in trepidationem desinente, nullis Mauro-

eni precibus detineri se patiuntur, sed reditum in patriam, deserta & ibidini velut hostium exposita Creta, festinant, actum de urbe erat. Tametsi enim aliquo adhuc spatio Maurocenus obsidionem sustinuit, tandem tamen, quod metuendum esset, ne urbs a sociis deserta, cum præsenti totius exercitus & classis exitio in hostium potestatem concederet, & ex adverso honestam pacem, qua Respublica vel maxime tum indigebat, dedita urbe obtinendi spes affulgeret, cum Turcis pacisci, quam extrema experiri, & majori periculo objicere Rempublicam, Maurocenus maluit. Itaque tandem Nonis Septembris A. 1669 pax his præcipue legibus coaluit, ut Creta, opibus, milite, commeatu devectis, Turcis traderetur; Veneti littorales arces in insula Hieræ, Spinalongæ, & Garabusarum obtinerent, iisdemque firma Clissæ & oppidorum, quæ superioribus annis Veneti duces in Illyrico occupaverant, esset possessio. Hic exitus belli viginti quinque annorum fuit. Ast Maurocenus, tametsi pax Senatus Consulto probata esset, ingens in patriam redux discrimen subiit, in publicis comitiis, cum omnes Patriciorum Ordines ad destinandos Magistratus simul convenissent, ab Antonio Corrario acerba oratione non uno crimine postulatus. Urbem tanti momenti hostibus inconsulto Senatu deditam exprobrabat accusator, sed maxime initam privata auctoritate cum Turcis pacem, quod nonnisi Principis & Reipublicæ auspiciis fieri debuisset: postulabat etiam, ut Procuratorium munus extra ordinem & vitio collatum Mauroceno abrogaretur. Ita indictum denuo judicium, Francisco Eritio Quæsitore declarato, detentusque in curia, velut honesto carcere, Maurocenus. Nec illi tamen defensores defuerunt, e quibus Joannes Sagredus inprimis & Michael Fuscarenus causam ejus egerunt, eo successu, ut ad extremum omnium votis absolveretur, nihilque effectum aliud ab æmulis fuerit, quam ut Mauroceni nomen tanto magis inclaresceret.

Inde duodecim annorum quiete Serenissima Respublica gavisa est, donec arma iterum experiundi opportunitas se obtulit. Turcæ
Lib. III. injustissimo bello Cæsarem Augustissimum Leopoldum A. 1682 fuerant aggressi, tanto quidem apparatu viribusque, ut ipsam regiam Viennam obsidere non dubitarent, vastissima ac Orbi Christiano universo exitium minitantia consilia mente complexi. Sed res aliter ceciderat, pulsis Vienna Turcis, inque eum jam redactis statum, ut abjecta

alie-

aliena invadendi libidine, sua ægre tuerentur. Itaque Veneti, ut sibi olim nuperque illatas a Barbaris injurias ulciscerentur, A. 1684 ad fœdus cum Cæsare ac Johanne III. Poloniarum Rege ineundum, armorumque adversus Turcas societatem, facile adduci se passi sunt, Mauroceno nostro tertium supremo Imperatore declarato. Neque is recusare munus arduum & periculi plenum sustinuit, septuaginta licet annorum ætate gravis, sed animo vegeto magnisque ausibus haudquaquam impare. Et primo quidem Leucadiam insulam (*S. Mauri*) ac in ea Leucadem arcem visum est invadere, qua capta firmataq; præsidio, Nicopolis (*Preveza*) etiam, quam olim Octavius Cæsar Augustus in Actiacæ victoriæ monumentum in faucibus Sinus Ambracii condiderat, pari felicitate in potestatem redacta est. Sic auctis ex successu animis, in ipsam Peloponnesum A. 1685 decreta expeditione, Corone (*Coron*) primum, quæ urbs ad Sinum Messeniacum sita est, obsessa, cumque Turcarum exercitus, qui ex universa Peloponneso collectus in vicinis castris consederat, fusus fugatusque esset, aperta aggressione expugnata est ac direpta; mox & Zarnata, Tænariorum inprimis, qui Turcici jugi dudum impatientes Venetis se addixerant, ope occupata. A. 1686 Pylus (*Navarino*) primo deditione capta, inde Methone, (*Modon*) ac Nauplia (*Napoli de Romania*) denique ipsa, post iterata vice profligatum, qui suppetias obsessis moliebatur, Turcarum exercitum occupata. Quo tempore Senatus, Imperatoris victorias & merita muneraturus, Petrum Maurocenum, illius ex fratre nepotem, Equitem D. Marci creavit, addito decreto, ut major natu ejusdem familiæ dignitate illa tanquam perpetuo patrimonio frueretur. A. 1687 profligatis denuo terrestri prælio Turcis, Patræ (*Patras*) sub obsequium redactæ, &, victoria victoriam trudente, Naupactus (*Lepanto*) etiam subacta, eo Senatus Veneti applausu, ut & *Peloponnesiaci* cognomen Mauroceno decerneret, & æream ejus effigiem, qualis honor nemini vivo unquam antea obtigerat, in Decemvirorum æde collocaret, inscriptis verbis; *Francisco Mauroceno Peloponnesiaco adhuc viventi Senatus posuit Anno MDCLXXXVII.* Quin & latius propagati eodem anno Venetæ ditionis fines. Nam & Corinthus, a Turcis quidem deserta ac diruta, cumque ea celebris Isthmus, per quem unum terrestribus copiis in Peloponnesum aditus patet, in potestatem pervenit; & Sparta etiam, Thyrea, denique & Lib. IV.

Athenæ ipſæ Venetorum imperio ſubjectæ. Cujus rei ut perpetuum extaret monumentum, Maurocenus duo ſpectabilis magnitudinis, Leonis & Leænæ, ſimulacra marmorea, extremo in littore reperta, Venetias tranſmiſit, quæ Senatus ante Navalis fores utrinque collocari juſſit, inſcriptis verbis, hinc quidem: *Franciſcus Maurocenus Peloponneſiacus, expugnatis Athenis, marmorea Leonum ſimulacra, triumphali manu e Piræo direpta, in patriam tranſtulit, futura Veneti Leonis, quæ fuerant Minervæ Atticæ, ornamenta*; inde vero: *Athenienſia Venetæ Claſſis trophæa Veneti Senatus decreto in Navalis veſtibulo conſtituta Anno Salutis M. DC. LXXXVII.* Ita ſurgente indies Mauroceni fama, cum M. Antonius Juſtinianus, Venetorum Dux, ſupremum diem obiiſſet, ſucceſſoris in tanto munere electio minime difficilis Patribus obtigit, quod univerſi populi vox eſſet, negari hanc dignitatem Mauroceno niſi ſumma cum injuria non poſſe. Itaque Princeps Reipublicæ Maurocenus conſentientibus omnium ſuffragiis declaratus, prorogato ſimul ei ſupremi Imperatoris bellici munere. Enimvero, cum illud jam faſtigium, unde altius eniti non poterat, duce virtute, comite fortuna, conſcendiſſet, non virtus quidem, ac fortuna ſubito velut deſeruiſſe eum viſa eſt. Conſtituerat invadere Eubœam inſulam, ut & firmaret Peloponneſum, & ad majora viam ſterneret. Et actum de inſula erat, ſi Chalcide (*Negroponte*) urbe ejus principe potiri potuiſſet. Sed eam adverſus vim facile prævilam tanto ſtudio Turcæ, impoſito ſex millium e Prætorianis maximam partem ſelectorum militum præſidio, communiverant, ut exteriora quidem munimenta ceſſerint Venetis, urbs ipſa omnem vim arteſque obſidentium eluſerit. In ea obſidione Otto Guilhelmus Comes Königsmarckius, quo adjutore præcipuo in ſubjuganda Peloponneſo uſus Maurocenus fuerat, fatis ceſſit, non hoſtium quidem armis, ſed morbi ſævitia, confectus; cui, quod non exterorum minus quam civium præclara facta monumentis publicis cohoneſtanda cenſeret, decretum a Senatu ſimulacrum ex marmore, Venetiiſque in veſtibulo Navalis collocatum. Sed & Duces terreſtres reliqui tantum non omnes cum magno gregariorum militum numero occubuere, ſeu morborum aſperitate, ſeu vi doloque hoſtium, ut ad obeunda extinctorum munera claſſis etiam Navarchi advocandi fuerint. Unde cum poſtrema etiam eaque longe acerrima aggreſſio, rejectis magna cum clade Venetis, peſſime cecidiſſet,

dissεt, solvendum denique obsidium fuit, tanto Mauroceni mœrore, ut in ancipitem morbum inciderit, tandemque animo & corpore æger in patriam reverti constituerit, Hieronymo Grimano summa rerum, annuente Senatu, commissa. Nec dici tamen potest, quanta Procerum Populique lætitia ac honoris significatione A. 1690 redux fuerit exceptus, clade postrema tot antegressis victoriis abunde pensata; a Pontifice etiam Romano Alexandro VIII, velut propugnator Fidei, galea & ense (quem honorem hoc ævo uni Johanni III Poloniarum Regi, ob vindicatam obsidione Viennam, collatum ab Innocentio XI fuisse, Gratianus innuit) donatus. Ast ne sic quidem bellicæ gloriæ satur adeo Heros noster fuit, quin recuperata valetudine & instauratis paulatim viribus, armorum cupiditate in extrema senecta arderet, delatumque a Senatu Imperatoris munus A. 1692 quartum susciperet, quod reliquum vitæ erat patriæ saluti impensurus. Ac ostendit utique in senili corpore juvenile robur, pristinoque vigore administravit provinciam, donec in ægritudinem Naupliæ denuo incidit, eaque oppressus die denique sexto Januarii, A. 1694 vitam cum morte commutavit, cum sex & septuaginta annos vivendo explevisset. Quam magnifice funus tum Naupliæ, tum Venetiis ductum defuncto fuerit, & quam augustum monumentum ad ipsum supremarum ædium vestibulum a Senatu constructum, dicere supersedemus; nec temperare tamen nobis possumus, quin ultima, quibus opus suum Gratianus ipse obsignavit, verba, breve Mauroceni sed nervosum elogium complexa, huc transcribamus. *Hic*, inquit, *Francisci Mauroceni exitus fuit; qui post actam inter castrensia munia juvenilem ætatem, prospere gestas Navales omnes Præfecturas, urbem Cretam triennio defensam, perdomitam Peloponnesum, atque illustratum victoriis Orientem, quater summus exercituum Imperator, bis simul Imperator exercituum ac Reipublicæ Princeps, inter ipsos armorum motus pene octogenarius occubuit. Proinde crediderim tanto Duci optime consuluisse Naturam, ut tunc demum eriperetur, cum, quicquid fere humanitas capiebat, rerum egregie gestarum gloria complevisset.*

## *JO. LIGHTFOOTI OPERA POSTHUMA antehac inedita.*

Ultra-

Ultrajecti, apud Guil. Brœdelet, 1699, in fol. Alphab. 2. plag. 8.

CUm Londinensem Operum celeberrimi Lightfooti editionem, Anglico sermone A. 1684 adornatam, ad Acta nostra A. 1686. p. 120. sq. referremus, scriptorum simul aliquot, quæ imperfecta ab ipso relicta fuerint, mentionem injecimus, vix tunc opinati, fore, ut & ea aliquando in lucem protraherentur. Sed noluit ista aliaque ejus generis plura blattis tineisque in prædam concedere meritissimus jampridem de Lightfooti Manibus Johannes Strypius; unde ea, & Latina quidem singula, in peculiare volumen constipata, separatim excudi fecit. Utut enim pleraq; eorum mutila esse, & ad optatum finem haud perducta, minime diffiteatur; quidpiam tamen opusculorum Viri adeo docti perditum iri indignatus, fragmenta etiam hæc & analecta dignam apud Eruditos æstimationem habitura, nullus dubitat. Quæ ergo illa sint, & quo se ordine excipiant, Benevolo Lectori indicare nostrum arbitramur.
Pag. 1. Comparent nempe heic 1. Λείψανα de rebus ad versionem Septuagintaviralem Græcam spectantibus, quæ nitide ac eleganter ab Autore descripta fuisse testatur Editor, ratus, quod suasu forte Buxtorfii, peculiarem de ista versione librum edere Lightfootus constituerit. Fragmenta vero hæc aliquod illius examen complectuntur, ejusque a textu Hebraico discrepantiam cum erratis aliis recensent, ac
19. splendidum, quo eam Josephus mactavit, elogium explodunt. 2. Versiones Prophetarum minorum Græca & vulgaris, nec non Tar-
27. gum cum Hebræo fonte collatæ. 3. Vestibulum, quod audit, Talmudis Hierosolymitani, sive pauculæ quædam de nominibus ac terminis
30. nonnullis in Talmude frequenter occurrentibus observationes. 4. Index Talmudis Hierosolymitani, verum ille admodum imperfectus. Præterquam enim quod e classibus Talmudis istius quatuor, priores tantum tres summatim exhibet, ne has quidem singulas quoad tractatus suos omnes sistit. Cum enim prima classis contineat tractatus
63. undecim, usque ad septimum duntaxat Index hic pertingit, & ex secundæ tractatibus duodecim, similiter nonnisi septem delineat. 5. Fragmenta terræ sanctæ Historico-chorographica & topographica, in quibus nonnihil de spatio terræ sanctæ, deque locis quibusdam Judææ, de Galilæa item ejusdemque oppidis disseritur, & cum infanda olim

fuerit

fuerit apud Judæos urbs Roma, & hac de re nonnihil additur, quod-
que Petrus ibi ſedem ſuam fixam habuerit, negatur. 6. Tractatus 75.
de Spiritu Prophetiæ, ubi Autor donum hoc inde ab Adamo continua-
tum docet, usquedum Canon Veteris Teſtamenti perfectus ſignatus-
que fuerit; qua occaſione paucula de Urim & Thummim inſpergun-
tur. Defunctis autem Prophetis, & recedente jam a populo Spiritu
Prophetiæ, grande iſtud traditionum myſterium a mendaciorum Pa-
tre excogitatum refert; aſt exoriente Evangelii aurora, lucem quo-
que Prophetiæ denuo exortam increbuiſſe indies, donec tandem con-
ſignaretur Canon Novi Teſtamenti, a quo tempore, veluti non amplius
neceſſaria, rurſus evanuerit. Decedentis ab Eccleſia Judaica Spiri-
tus Sancti mentio dum fit, Hieroſolymitanum una excidium conſide-
ratur, eique annus Veſpaſiani ſecundus, ex quo nempe is declaratus
Imperator fuerit, aſſignatur. 7. Memorabilia quædam ſub Eſra & 82.
Synagoga ejus magna, ad duplicem Synchroniſmum digeſta. 8. Cum 87.
olim præ omnibus Academiæ Judaicæ ſedibus imprimis claruerit urbs
Jabneh, quorſum Hieroſolymis exciſis ut Synedrium transferretur
Rabban Jochanan ben Zaccai a Tito victore impetraverit, hinc hiſto-
riam Academiæ illius chronologice recenſere Lightfootus inſtituit;
verum vix usque ad tertium, qui illic præſedit, Magiſtrum progreſ-
ſus eſt. Sequuntur 9. annotationes Talmudicæ in quædam loca 90.
Geneſeos, Exodi, Numerorum & Joſuæ. 10. Pauca interſerenda in 101.
quædam Horarum Hebraicarum & Talmudicarum loca, utpote ad
Matth. XXI, 1. XXII, 12. Luc. XIIX, 12. Act. VII, 2. Rom. VIII, 22. 23. 105.
XI, 25. 26. De concione ad Clerum in viſitatione quadam Epiſcopali 111. 116.
habita, quæ mox ſubſequitur, & de oratione, qua ſolennia Academiæ
Cantabrigienſis comitia A. 1655 Autor auſpicatus eſt, quæque una
cum duarum quæſtionum: utrum ſtatus integritatis ſtatus immorta-
litatis fuerit? & utrum in Vereri quoque Teſtamento vita æterna pro-
miſſa habeatur? determinatione affirmativa, ſub numero duodecimo
apponitur, plura dicere haud attinet. Breviſſima ſunt, quæ dehinc 123.
leguntur, lemmata de creatione, & hæc Editor pro ſpecimine habet
iſtarum acceſſionum, quibus enarrationes ſuas in Geneſin & cæteros
Veteris Teſtamenti libros Anglice quondam editos augere occœpe-
rit. Itinera & manſiones Iſraëlitarum in exitu ex Ægypto (quæ in- 125.
ſcriptio eſt tractatus decimi quarti,) pariter breviſſime delineantur.

130. Nec adeo prolixa ſunt, quæ 15. ad quatuor priorum capitum Hoſeæ di-
141. lucidationem cumulantur, annotata. 16. Verba Johannis Cap. XIII. 27, 30. de ingreſſu Satanæ in Judam poſt ſumtam offulam facto, deque mox ſuſcepto ab hoc e Chriſti & Apoſtolorum reliquorum conſortio egreſſu illuſtraturus, cœnam illam, in qua Judas offulam acceperit, non fuiſſe cœnam Paſchalem, ſed ordinariam, Bethaniæ duabus ante Pa-
145. ſcha noctibus habitam, contendit. Accedit 17. aſſertio, quod Apo-
146. calypſeos autor utique ſit Johannes Apoſtolus & Evangeliſta; 18. col-
147. lectio promiſſionum Divinarum Judaicæ Eccleſiæ factarum ultimisque
148. diebus implendarum ex Prophetis; 19. Liturgiæ S. Jacobi rejectio. 20. Fragmenta quædam Hiſtoriæ Romanæ & Chriſtianæ de rebus & perſonis quatuor primorum ſeculorum, utpote de aſſumtione Virginis Mariæ in cœlum; de regno Veſpaſiani, Nervæ, Trajani, Hadriani, Diocletiani; de Plutarcho, Clemente Romano; de Conſtantini M. proſapia, nativitate, educatione, &c. de Ario hæretico, de Concilio Nicæ-
170. no, & ſimilibus. Ultimum denique locum ſortiuntur epiſtolæ aliquot ad Lightfootum perſcriptæ a Jo. Buxtorfio, Frid. Miegio, Jo. Henr. Otthone, Br. Waltono, Edmundo Caſtello, Samuele Clarckio, Joh. Worthingtone, Herberto Thorndikio, Jacobo Calverto, Thoma Bridge, Eduardo Bernardo, Thoma Brogravio, Rowlando Cottone, quibus nonnunquam reſponſoriæ Lightfooti ſubjiciuntur.

### *NICOLAI GURTLERI, SS. THEOL. D. ET PROFESS. Illuſtrisque Gymnaſii Bremenſis Rectoris, Vocum Typico-Propheticarum brevis Explicatio.*

Bremæ, apud Hermannum Brauerum, 1698. in 4.
Alphab. 1. plag. 8.

QUi ex editis in lucem publicam jam ante annos aliquot Inſtitutionibus Theologicis, a nobis A. 1694. p. 346. ſeqq. late recenſitis, Orbi erudito inclaruit Maxime Reverendus Gürtlerus, ſcripto nunc præſenti, quod ad Philologiam ſacram pertinet, non Studioſæ modo Juventuti, cui in illuſtri Gymnaſio Bremenſi (in hoc quippe ex Athenæo Hanovienſi traductus,) præeſt, ſed aliis etiam, hoc literarum genere qui delectantur, prodeſſe voluit. Cum enim probe animadverteret, ei, qui Prophetarum oracula tractare feliciter ac dextre velit,

duo præcipue agenda incumbere, unum, ut in vocum emblematicarum, quibus Spiritus Sanctus utitur, significationem veram curiose inquirat, non aliter, ac a Latini libri Lectoribus requiratur, ut Latinæ linguæ genium penitus perspiciant; alterum, ut integrum quoddam & universale Theologiæ Propheticæ Systema animo complectatur, quod ubi recte efformatum fuerit, particulares prædictiones facilius & cum minore errandi periculo ad sua loca & tempora dirigere quisque valeat: idcirco in conatus prioris specimen Tractatum hunc composuit. Henricum quidem Morum, Theologum illum & Philosophum Anglum eruditissimum, in Alphabeto, quod appellet, Propheticorum iconismorum, circa hunc laborem jam olim occupatum se gessisse haud dissimulat, ast nimiam tamen ejus brevitatem accusat, opusculumque universum paucissimis absolvi plagulis conqueritur. Ipse ergo operam hanc in se suscepit, & justo studio voces typicas (sub quibus figuratas etiam & tropicas complectitur,) Propheticasque in utroque Testamento occurrentes excussit, earumque sensum atque usum pro ductu ordinis alphabetici exposuit. Latino autem idiomate quaslibet primum allegavit, Hebraicasque mox aut Græcas, quas in fontibus adeptæ illæ fuerint, appellationes subnexuit, & quot unaquæque significationibus in Sacris gaudeat, ostendit, Joannem maxime Coccejum secutus, ex cujus scriptis præclare se adjutum profitetur. Interea suam hanc industriam adeo absolutam esse sibi ipsi minime persuadet, ut ei, qui in campo tam lato, tamque amœno & fertili exspatiari latius voluerit, inventis addere quid difficile futurum sit. Ast majorem tamen rerum copiam, quam verborum numerum, heic ab æquis rerum æstimatoribus deprehensum iri, nullus dubitat. Ampliorem de cætero vaticiniorum singulorum interpretationem tradere consulto omisit, quippe quam & ab instituto isthoc alienam, & in alia potius tempora differendam existimavit.


## *EUSEBII ROMANI AD THEOPHILUM GALLUM Epistola de Cultu Sanctorum ignotorum,*

Parisiis, apud Petrum & Imbertum de Bats, 1698. 4. Plag. 4.

QUartus jam annus agitur, ex quo in agro Vesontionensi tumulus

magnæ molis defoſſus eſt, inque eo loculus plumbeus humanum cadaver continens repertus, inſculpta lapidi hac inſcriptione:

AVE. EVSEBI
CASONIAE. DONATAE. QUAE. VICXIT. ANNIS
XXXXVII.... D.XI. HORIS.IIII. CANDIDVS. AVG. PII.
VERNA. EX. TEST. CONJVGI. BENE. MERENTI PO-
SVIT. EVSEBI.
HAVE. ET. VALE
LOC. LIB.



& appoſito quatuor in locis ſigno, hic adſcripto, quod crucem notare poterat videri. Dein ſub initium anni ſuperioris Ambiani ſepulcrum aliud detectum eſt, cum inſcriptione, quæ Fauſtiniani cujusdam, *in pace*, ut verba ſe habent, *requieſcentis*, epitaphium exhibet, ſuppoſito ſigno crucis in medio duarum hinc inde columbarum.

De his duabus Inſcriptionibus ut ſententiam ſuam diceret, rogatus ab amico Johannes Mabillon, Benedictini ordinis Monachus ac hoc tempore decus eximium, fuerat. Nimirum num corpora in illis tumulis inventa Chriſtianorum ſint, an Paganorum? &, ſiquidem Chriſtianorum, an Sanctorum habenda ſint, iisque cultus impendi poſſit, qualis corporibus Sanctorum Roma advectis in quibusdam Gallicanis eccleſiis impendi ſoleat? Porro, cum mos invaluerit, ex ſubterraneis, quæ Romæ ſunt, & *Catacumbæ* vulgo vocantur, cœmeteriis eruta defunctorum corpora publicæ fidelium venerationi exponi, in eccleſias ſolenni pompa inferri, illorumque velut Sanctorum feſta ſummo cultu celebrari; de eo etiam rogatus erat, ut judicium ſuum exponeret. Ita nata Mabillonio præſentis epiſtolæ occaſio, qua aſſumpto *Euſebii Romani* nomine, ad utrumque quæſitum candide reſpondet, facto a poſteriori initio.

Ut rectius ſententia illius innoteſcat, lubet ipſa ejus verba, quibus
pag. 15. totius negotii modum ac ritum exponit, præmittere. *Præmiſſis*, inquit, *nonnullis precibus ſi quis tumulus in Romanis illis antiquis cœmeteriis nondum reſeratus occurrit, cum Chriſti monogrammate, cum ſigno palmæ, columbæ, paſtorisve, aut aliquo conſimili, tumulus ille detegitur, hominis conditi oſſa e tumulo efferuntur; tumque pro certo indicio ſanctitatis habetur, ſi nomen aliquod quomodocumque lapidi inſcri-*

*scriptum sit, vel vasculum vitreum, sanguine, ut creditur, intinctum, in tumulo reconditum habeatur. Dehinc ossa lavanda traduntur certis ministris ad hoc deputatis, quibus lotis Cardinalis Vicarius, vel Episcopus, sacrarii Apostolici præfectus, Augustinianus nomen Sancto imponit, si nullum habet, & in cistam obsignatam reponit. Denique literæ testimoniales dantur ab eodem Episcopo, vel a Cardinale Vicario, eo spectantes, ut hæ reliquiæ in ecclesia quavis vel oratorio publicæ venerationi fidelium exponantur. Si corpus sit integrum, hæ literæ a Cardinale Vicario dari solent; si tantum corporis particulæ, ab Episcopo sacrarii Apostolici præfecto, testante has reliquias a Sacra Congregatione Indulgentiarum sacrarumq; reliquiarum recognitas, & approbatas fuisse.*

Jam quod rem ipsam attinet, agnoscit utique Mabillonius, vel Hieronymi ac Prudentii auctoritate, magna jam olim in veneratione Romana illa cœmeteria fuisse, cui ipse detractum nihil cupiat. Agnoscit, in iis sanctorum Martyrum corpora sepulta fuisse. Agnoscit, non alios, quam Christianos, in his cœmeteriis humatos fuisse; tametsi non desint, qui profanos etiam & gentiles ab iis penitus exclusos non fuisse contendant. Verum non Martyrum ac Sanctorum solorum, sed nullo habito meritorum delectu, fidelium omnium conditoria hæc fuisse existimat, ut adeo corpora, ex antiquis illis cœmeteriis effossa, Christianorum utique fuerint; an vero fuerint Sanctorum ac Martyrum, aliis indiciis ac argumentis probandum sit. Itaque colendos, quorum corpora ex catacombis istis eruta sint, si de eorum martyrio aut sanctitate certis argumentis constet, & si eorum cultum Romanus Pontifex permittat aut præscribat. Cum vero neutrum in Sanctis incognitis locum inveniat, non dissimulat, cultum illum immodicum, qui Sanctis ejusmodi in quibusdam ecclesiis impenditur, proscribendum esse, & inter abusus censendum. Certe a Pontifice cultum talem non præscriptum, cum in literis, quibus testimonium de Sanctis talibus eorumque reliquiis exprimi solet, tantum permittatur, ut *venerationi fidelium in ecclesiis exponi possint*, quæ formula cultum illum solennem non contineat; & potius generali Decreto Sacræ Congregationis rituum ab Innocentio XI approbato, d. 19. Oct. A. 1691. cautum sit, non debere in Ecclesia recitari officia & Missas celebrari nisi de illis Sanctis, qui in Martyrologio Romano sunt descripti. Deinde cultum illum incognitorum Sanctorum repugnare sanctioribus

Ecclesiæ regulis, quibus religiosi honores legitimis Sanctis decernuntur. *Primo* enim requiri, ut Sancti illi nequaquam dubii sint, sed certi & indubitatis argumentis recogniti: hos vero dubios esse & incertos, sive anonymi sint, quos baptizatos vocent, quia illis nomina demum a Cardinale Vicario, aut Episcopo, qui capellæ Pontificiæ præest, indantur, sive jam olim in inscriptione certo nomine indigitati. Quoad Anonymos, indicia, crucem aut palmam (etsi palmæ passim non triumphales sint, sed funebris cupressi notæ,) vel monogramma Christi cum literis A & Ω, aut boni pastoris agnive figuram, historias item veteris aut novi Testamenti, aliaque id genus tumulis eorum insculpta testari, quod Christiani fuerint; non probare, quod fuerint Sancti. Illos, quorum nomina in tumulis expressa sunt, majoris esse auctoritatis, imo certæ, si Martyris titulum præferant; secus, si hoc titulo destituantur. Decretum certe d. 10 Apr. A. 1668 a Congregatione super indulgentiis sacrisque reliquiis Romæ constituta, ut palmæ iisque junctum vas sanguine tinctum haberentur simul pro signis certissimis verarum reliquiarum: sed non constare, ejusmodi vasa sanguine tincta esse, ac non potius ad continendos suffitus aut odoramenta, aliaque id genus, apposita fuisse; & paucos esse ex illis incognitis Sanctis, qui vitrea vascula, quæ videri possint sanguine tincta, adjuncta habeant. *Secundo*, non sanctis promiscue omnibus publicos honores decernendos, nisi id vel martyrio certo, vel heroicis virtutibus meruerint. Ast Sanctorum illorum incognitorum, si vel maxime pro Sanctis indubitanter habendi essent, ignorari vitam, martyrium, facta & actiones, perinde ac si nunquam extitissent. Quod si quorundam Vitæ producantur, commentitias eas esse, ac in indicem librorum prohibitorum merito referendas. *Tertio*, nec id sufficere, quod Sancti, quod Martyres fuerint, sed requiri, ut sint *vindicati*, i.e. ab Ecclesia agniti & probati; id quod de Sanctis incognitis dici nequeat. *Quarto*, ut primarii Ecclesiæ honores Sanctis etiam cognitis tribuantur, requiri, ut omnibus eorum factis & virtutibus, miraculis, ceterisque circumstantiis attente expensis, de eorum cultu Ecclesia vel Summus Pontifex decernant. Hinc tot ac tantas in canonizandis novis Sanctis cautelas, tam morosam diligentiam, tam accuratos & prolixos ritus adhiberi; cum, dicente Gregorio IX in bulla canonizationis S. Antonii de Padua, *nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis*

*plene*

*plene ſufficiant ad perhibendum inter homines teſtimonium ſanctitatis.* Aſt in recognitione ac canonizatione Sanctorum illorum incognitorum, accuratam inquiſitionem deficere. Non convenire ergo gravitati eccleſiaſticæ, ut tales pro Sanctis profuſo illo Eccleſiæ cultu habeantur, ſed id unum ſupereſſe, ut publicus ille ſolenniſque cultus iisdem abrogetur.

His ita expeditis, de duabus inſcriptionibus ſupra memoratis, ſententiam ſuam Mabillonius exponit. Nempe, quod primam attinet, ea non dubitat hominem deſignari gentilem, quod iſta affectuum vocabula *Ave* ſeu *Have* & *Vale* vix in aliis quam ethnicorum epitaphiis reperiantur; ſignum vero illud non crucis ſit, ſed inſtrumenti fabrorum lignariorum, quod aſciam vocant.



Quod autem alteram attinet, ea deſignari hominem Chriſtianum fatetur quidem, nec indicia tamen ulla deprehendit, quæ ad ſanctitatem ejus adſtruendam aut excitandam devotionem ſufficiant.

*REMEDIUM CONTRA MORSUM ANIMANTIUM rabidorum, longo uſu comprobatum; excerptum ex litteris Dn. GEORGII DAMPIER, quæ cum annotatione D. Sloane extant in Tranſactis Philoſophicis Anglicanis, menſe Februario, 1698. p. 49. ſeq.*

LIchen einereus terreſtris, deſcriptus a Dn. Rajo in Hiſtoria Plantarum p. 117. exſiccetur & in pulverem ſubtiliſſimum redigatur, eique tantundem piperis ſubtiliſſime contriti admiſceatur, & ad uſum ſervetur. Si cani exhibendum hoc remedium, ex aure ejus ſanguis prius detrahendus eſt, deinde canis probe abluendus, atque a paſtu cohibendus totam noctem, aut maximam diei partem, antequam ei propinetur, mixtum lacti aut juſculo tepido. Si pecus aliquod admorſum fuerit, ſanguis etiam mittendus eſt, idque probe abluendum; doſis autem magnitudini aut viribus ejus eſt attemperanda. Hominibus tandem propinandum eſt remedium poſt ſanguinis miſſionem factam, & ablutionem faciei aut manuum vel partis læſæ. Expedit etiam, ut veſtes, quibus indutus fuit admorſus, laventur. Doſis unica eſt ℈ IV, aſſumenda mane jejunis, duobus, aut tribus diebus ſe conſequentibus.

OB-

## *OBSERVATIONES SINENSES, COMMUNICATÆ A D. J. Cassini Acad. Reg. Par. Socio. Transcriptæ ex Transactis Phil, Angl. mens. Febr. 1698, p. 53. sq.*

*Missum est nuper a Patribus Societatis Jesu, in Regia Pekinensi domicilium habentibus, exemplar nonnullarum observationum ibi habitarum, ad situm illius Urbis determinandum conferentium.*

*Ex altitudine meridiana maxima stellæ polaris, observata die 31 Decembris 1694, correcto instrumento, graduum 42. 16. 50″. Supposita refractione 1′. 17″. et distantia stellæ polaris a polo tunc temporis gr. 2. 19′. 57″. eruitur altitudo poli gr. 39. 54. 56.*

*Ex ejusdem stellæ polaris altitudine meridiana minima observata diebus, 7, 8, 13 Maii, 1695 correcto instrumento, graduum 37. 36. 40″. Supposita Refractione 1′. 28″. & distantia stellæ polaris a polo gr. 2. 19. 50. eruitur altitudo poli gr. 39. 55. 2.*

*Neglecta Refractione altitudo maxima stellæ polaris, deducta ex observatione 31 Decembris præcedentis, fuisset sub initium Maii gr.* 42. 16. 43.

| | |
|---|---|
| *Et altitudo ejusdem minima tunc fuit gr.* | 37. 36. 40. |
| *Quare differentia altitudinum* | 4. 40. 3. |
| *Et distantia stellæ polaris a polo* | 2. 20. 1. |
| *Et altitudo poli apparens* | 39. 56. 41. |
| *Ad hanc altitudinem apparentem refractio ex mea Tabula est* | 1. 10. |
| *Quare altitudo poli in Regia Pekinensi* | 39. 55. 30. |

*Plures aliæ observationes altitudinum meridianarum stellarum fixarum in hunc usum habitæ sunt; sed hæ mihi videntur omnibus præferendæ.*

*Pro longitudine Pekinensis Urbis observatæ sunt plures immersiones primi Jovis satellitis in Jovis Umbram, ex quibus selegi quæ habita est die 18 Januarii, 1695, Thelescopio pedum duodecim.*

*Eo die observata est immersio primi Jovis satellitis in Jovis Umbram, facta correctione horologii, h. 12. 51. 14.*

*Tabulæ nostræ eo die hanc immersionem repræsentant h. 5. 18 49.*

Ob-

*Observationes autem eodem mense habitæ in observatorio Regio Parisiensi ostendunt, Tabula retardasse tunc temporis minutis horariis 2'. 30".*

*Quare fuit illa immersio Parisiis h. 5. 16. 19.*

*Itaque differentia meridianorum*

*Inter Pekinum & Urbem Parisiensem erit h 7. 34. 55.*

*Cum autem ex aliis observationibus olim deducta fuerit eadem meridianorum differentia 7'. 36". sumi poterit h. 7. 35½.*

## *DE MOTU STOMACHI PERISTALTICO OBSERVATIO IN Cane facta a D. Christophoro Pitt. Translata ex Transactis Anglic. Mens. Aug. A. 1698. p. 278. sq.*

QUamvis Anatomici in descriptione corporis humani de motu stomachi nonnunquam mentionem faciant, (v. g. de vomitu agentes, & derivatione ciborum in ventriculo digestorum in intestina) quoniam tamen non exhibent ejus particularem descriptionem ex autopsia petitam, spero mihi vitio versum non iri, si prout mihi comparuit in dissectione canis, mense Julio 1685, eundem hic delineem.

In hoc cane observavi, peristalticum motum intestinorum continuari per stomachum, & pylorum (qui alias in canibus apertis in eadem altitudine cum diaphragmate apparet) in quavis agitatione infra ipsum stomachi fundum descendere. Manifeste quoque observare poteram constrictionem in medio stomachi, quæ in quavis motione deorsum facta illum introrsum cogebat, ut comprimeretur, quod in cavitate hærebat ventriculi. Atque hi motus tam regulares ac ordinati erant, quam illi, quos alias in intestinis observavi, & diu satis continuabantur, ut eo diligentius potuerim observationes meas facere.

Vidi autem præterea hos motus stomachi in duobus aut tribus, quos ab illo tempore secui, canibus, ut satis secure concludi possit, id, quod asserui, in omnibus verum esse.

Rationem autem, cur tam diu & manifeste in primo cane motus ille apparuerit, hanc esse reor, quod stomachi extreme repleti fibræ aliquo modo extendebantur, & (quod solenne est omnibus istis corporibus) conabantur sua motione se in pristinum statum restituere; facileque crediderim, hanc esse unam ex præcipuis causis motus

ſtomachi & inteſtinorum, & raro illa moveri, niſi cum a cibis, quibus repleta, diſtenduntur. Non auſim tamen tales facere deductiones, donec plura tentamina rei veritatem aut falſitatem confirmaverint.

Motus autem ſtomachi hoc modo ſe habens, rationem nobis ſuppeditat celeritatis in diſtributione alimentorum clariorem, quam apud ullum Autorem reperi. Vix enim cibus ſolvitur a ſaliva & liquore hauſto, cum ſtatim liberum habet in inteſtina propter deſcenſum pylori motum, qui ſemper quaſi pleno fit flumine, ob compreſſionem, quæ in medio fit ſtomachi.

*ANNALES VELLEIANI, QUINTILIANEI, STATIANI, conſignati ab HENRICO DODWELLO, A. M. Dublinienſi.*

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1698. in 8. Alphab. 1.

QUæ Chronologorum diligentiam pene hactenus effugit Chronologia Biographica, utiliſſima tamen ea & perquam neceſſaria, ſtatorem nunc atque aſſertorem feliciſſimum experitur in celeberrimo Dodwello, qui, poſteaquam ad Plinii Junioris annales condendos animum applicuit, coævorum ſimul Chronologiam, a qua multum illi cultus accedere arbitratus eſt, excuſſit, &, usquedum illi ad umbilicum perducantur, Quintiliani interim annales atque Statii heic exhibet, eo quod hi in iisdem verſati fuerint temporibus, quibus ipſe Plinius, Quintilianum etiam præceptorem gratus agnoſcens. Adjunxit tamen annales quoque *Vellejanos*, quos alterius quidem ſeculi pariter & argumenti eſſe non diffitetur, concinnatos autem refert in gratiam amici ſui, Domini Charletti, qui eos, cum novam Velleji editionem ornaret, ab ipſo deſideraverit. Et hos ſane jam A. 1695. p. 114. in Actis hiſce noſtris recenſuimus, cum edita tunc Oxonii e theatro Sheldoniano Velleji opera, quibus eos præfixit clariſſimus Charlettus, (iſto quidem tempore, cum nomen ſuum diſſimularit, nobis ignoratus,) commemorarentur. Quemadmodum proinde iſtos hoc in loco repetere ſupervacaneum omnino eſt, ſic, quæ ad vitam Quintiliani & Statii ſpectant, ut diligentia eo majori perluſtremus, merito noſtrarum eſſe partium exiſtimamus.

*Mar-*

*Marcus* ergo *Fabius Quintilianus*, Dodwello noſtro judice, ſub finem anni æræ Chriſtianæ 42 exeuntis natus eſt, ætatisque anno decimo quarto expleto togam ſumſit virilem Romæ; a quo tempore per iſtud ſpatium, quod Oratoribus in foro auſcultandis addici quondam ſolitum fuit, Domitium imprimis Afrum diligenter audivit & Servilium Nonianum, utrumque A. C. 59 defunctum. Opportune autem accidit, ut, Quintiliano annum ætatis decimum nonum agente, quo adoleſcentes a ſtudiis Rhetoricis ad uſum ſe conferre ſolebant, in Hiſpaniam mitteretur a Nerone Galba, qui eo proficiſcens Quintilianum quoque comitem aſſumſit, Hiſpanum quippe, & patria quidem Calagurritanum; unde hic invitationem illam eo lubentius amplexus eſt, quo magis ipſi exoptatum accidit, primam artis Oratoriæ profesſionem facere in patria. Quo autem ibi munere defunctus fuerit, ſcholæ an fori, præceptorisne an advocati, incompertum ſibi eſſe Auctor confitetur. Togæ tamen fuiſſe potius, quam ſagi, munus, inde conjicit, quod e datis in hoc officio ſuo experimentis Galba illum Romæ, jam Imperator, Scholæ Oratoriæ publicæ præfecerit, & ſalario publico e fiſco ſolvendo inſtruxerit. Romam vero, poſt exactum in Hiſpania octennium, A. C. 68 exeunte, ut Dodvvellus porro tradit, reverſus eſt, & hinc per annos viginti Rhetoricam in Schola publica docuit, ac Oratoriam quoque in foro exercuit. Qua occaſione Noſter illos, qui Hieronymum non ſatis dextre interpretati, ſub finem Imperii Domitiani demum Scholam Romæ aperuiſſe Quintilianum contendant, refutat, quandoquidem is & ante Domitiani tempora omnino docuerit. Munus tamen ſuum ultra annum ætatis quadrageſimum ſeptimum haud adminiſtraſſe ipſum, ſed ab iſto, anno exeunte 88, ſe abdicaſſe notat, utpote qui honeſtiſſimum illius finem reputarit, deſinere, cum deſideraretur. Scriptorum dehinc, quæ ediderit, præcipuorum ſeriem examinat, & *cauſam Nævii Arpuniani* actam cenſet A. C. 70, cum juvenis adhuc eſſet Quintilianus; prout eam ex cupiditate quoque gloriæ juvenili emiſerit, minor certe anno ætatis trigeſimo quinto, quem ſupremum juventutis limitem pronunciat, a quo fortaſſe propius abfuerit, cum *pro Regina Beronice* apud ipſam ageret. *Inſtitutiones Oratorias*, ex Dodwelli mente, ſcribere cœpit poſt aliquot a munere annos, nec, poſtquam ad finem perductæ fuiſſent, ſtatim edidit, per annum integrum easdem ad minimum premens, earum ve-

ro initium in A. C. 92 Noster collocat. *Librum de causis corruptæ eloquentiæ* A. 89 ab eo conscriptum ait; *Dialogum* vero *de claris Oratoribus* ipsum autorem habere potuisse negat. Asserere etenim Dialogi illius scriptorem, juvenem admodum fuisse se, cum colloquio illi interesset, quod tamen sexto Vespasiani anno factum supponat. Tunc vero Quintilianum egisse annum vel 32 vel 33, qua sane ætate admodum juvenis nequaquam appellandus fuerit, cum initium juventutis designet illa vox, & quidem juventutis illius, quæ proxime pueritiam togamque prætextam pro Romanis moribus exceperit. Annos natus quadraginta primam uxorem duxit, & ex ea filios suscepit duos, quorum tamen minor A. 89, & major A. 91 iterum defunctus est, matre utriusque paucis ante obitum minoris filii mensibus itidem extincta; quapropter ad secunda vota A. C 94 transiit, & nuptias cum Tutilii vel Rutilii Rhetoris filia, ast patre orba, celebravit, ex qua filiam Plinio Juniori memoratam sustulit, quæ Senatorias post nuptias consecuta est, de quibus peculiarem Plinius epistolam scripsit A. 107, quem vivendo superavit Quintilianus, ac ultra annum adeo climactericum magnum, tot viris maximis pro veterum sententia fatalem, progressus est. Quousque autem postea vixerit, in tanta veterum monumentorum inopia statuere difficile est Autori, qui tamen Plinio illum discipulo fuisse superstitem, imo Hadriani etiam Imperium attigisse, suspicatur; idque ex ornamentis Consularibus, quibus tandem honestatus dicatur ab Ausonio, elicit, & hæc eum consecutum autumat ob institutionem Hadriani Augusti, cui præceptor datus fuerit, quique eum A. 118, cum primum Romam veniret, hac dignitate auxerit, ætatis annum 76 agentem, ultra quem diu postea superstitem fuisse vix verosimile arbitratur. Vitam de cætero illius innocentissimam celebrat, candoremque in agnoscendis & revocandis erroribus, modestiam item & sermonum puritatem, ab omni scurrilitate, maledicentia & obscœnitate alienissimam, quæque insuper colores nullos nisi bonis honestisque de causis admiserit. Unicam modo in ejus moribus maculam agnoscit, quam nec eluere nec tueri cupit, effusam nimirum ejus in Domitianum tyrannum adulationem, tantam certe illam, ut ne hominis quidem nomine dignum divinis laudibus extollere non erubuerit.

Hisce Quintiliani Annalibus obiter nonnihil de *Juvenalis* ætate inspergit, atque hunc ante Plinium scripsisse, receptam, etiam apud Eruditos,

ruditos, sententiam esse testatur, inde nimirum oriundam, quod irati histrionis exulem illum appellet Sidonius Apollinaris; quo nomine notari autument posteriorem illum ob adulterium cum Domitia occisum a Domitiano Paridem, qui Juvenalem propter paucos quosdam Satyræ, quibus illum perstrinxerit, versus in exilium protruserit, ubi intra brevissimum tempus angore atque tædio perierit. Verum hæc non satis cohærere ostendit, & Juvenalem potius octogenarium initio anni 119 in exilium missum conjicit ab Hadriano, (cujus tempore Satyras omnes scripserit, recitarit & ediderit,) quique illa in Paridem histrionem dicteria velut in suum histrionem dicta interpretatus fuerit, & se magis in illo, quam histrionem ipsum, notatum crediderit, ideo, quod honores suos viris literatis interpellante histrione concessisset.

Pergimus ad *P. Papinium Statium*, Poetam, qui natus est, ut calculum Dodvvellus ducit, anno æræ Christianæ 61 inchoato, ante mensem certe Julium, ita ut major anni ejus primi pars in illum ipsum annum inciderit, & minor in sequentem, unde A. 75 ineunte togæ virili maturus fuit. Anno 80 vel 81 uxorem duxit Claudiam, & mox a matrimonio Thebaidem, post annos demum duodecim finitam, scribere cœpit, cujus librum primum publice recitari pater ejus adhuc audivit, inque ludis Neapolitanis primam filio coronam imponi vidit. Ast A. 90 in agone Domitiani Capitolino victus est, utut tribus antea ludis Albanis annorum 87, 88, 89, Quinquatruis Minervæ sacris victor evaserit, ac Domitiani auro propria quoq; Principis manu indutus fulserit. *Primum Sylvarum librum* A. C. 92 edidit, non tamen proinde eodem anno scripsit, sed libri istius primi sylvam *primam*, forte & *secundam* A. 90, quo etiam *Stellæ & Violantillæ epithalamion* composuit. *Manlii Vopisci villam Tiburtinam*, cui Sylva III. Lib. I. consecrata est, laudavit A. 92, quo & Sylvam *quintam* in *balneum Hetrusci* condidit. Sylvam vero *sextam in Calendas Decembres Saturnales* anni 89 composuit. *Sylvarum Librum secundum* A. 93. scripsit & collegit. *Libri tertii Sylvam primam* post Idus Augusti A. 94, eodemque & *secundam* cum *tertia*, *quartam* dehinc & *quintam* A. 95, quin & hujus anni initio *Libri quarti Sylvam primam*, *secundam & tertiam*, mense ejusdem Julio *quartam*, *quintam* vere ineunte, *sextam septimamque* anno affecto, *octavam* paulo ante mensem Decembrem, tandemque *nonam*

ipso Saturnalitio Decembri edidit. *Achilleidem* post mensem Julium anni hujus 95 aggressus est. *Libri quinti Sylvas* A. 96 absolvit, eoque ipso vivere mox desiit, vix ad dimidium ætatis istius adspirans, ad quam pater ejusdem pervenit. *Hujus* etenim vita obiter etiam immista ab Autore est, eique annus natalis æræ Christianæ vigesimus, sed vicissim emortualis octuagesimus quintus assignatur, deque ejus rebus gestis, & aperta imprimis ab ipso A. C. 39 Neapoli Schola Grammatica dissseritur. Sed & aliorum, quos in scriptis suis Statius Poeta nominavit, ætatem subinde Autor examinat, utpote *Hetrusci, Stellæ Poëtæ, Rutilii Gallici, Julii Menecratis, Vettii Bolani, Flavii Earini, &c.*

Subnectitur appendix a tractatibus superioribus haud aliena, duas sistens Dissertationes, quarum altera de *Julii Cæsaris vita per Julium Celsum* A. 1697 a Cl. Grævio (cui ipsi utraque harum Dissertationum inscripta legitur,) novissime edita agit, inque ea autorem istius vitæ pro Celso (a quo Hirtii de bello Africano librum interpolatum autumat,) haberi potuisse maxime miratur Dodvvellus, cum in ista tot habeamus notas ætatis non Julio modo Cæsare, sed Celso ipso, junioris. Seculo sane decimo tertio antiquiorem hunc autorem non fuisse, Grævio adstipulatus, concludit, nixus inter alia nominibus, quæ alleget, locorum urbiumque admodum recentibus, Basileæ puta, Brabantiæ, Constantiæ, Flandriæ, Hanoviæ, & similibus. Italum autem eum esse suspicatur, qui tamen per Galliæ partem maximam peregrinatus fuerit. Altera Dissertatio *de ætate Commodiani a Cl. Rigaltio editi* disquirit, ac, quod vulgo creditum fuerit, Commodianum nempe Silvestri Pontificis temporibus vixisse, tanquam fabulosum explodit, & Rigaltium quoque minus recte suspicatum ait, quod eo tempore is scripserit, quo sese in Soractem montem abdidisse Pontificem nugivenduli comminiscantur. Quin ad Cypriani potius tempora eundem reducit, eo, quod Silvestri Pontificis temporibus nullæ fuerint, quas sua ætate fuisse memoret, Gentilium persecutiones, quodque Commodianus annos a Christo nato ducentos numeret, id quod Cypriani magis ætatem, quam Silvestri, manifeste designet, sicuti & ea, quæ de schismatibus & persecutionibus habeat, temporibus Cypriani quam optime conveniant. Nihil insuper de Silvestro Episcopo habere Commodianum innuit. Equidem ad istum trahi notat verba nonnulla, quæ in editione Rigaltiana Instruct. adv. Paganos XXXIII.

ita

ita fluant: *intrate ſtabiles Silveſtri ad præſepe paſtoris.* Sed nimia licentia uſum eſſe in hoc verſu concinnando Rigaltium reſpondet, atq; ita potius ſcribendum exiſtimat: *intrate ſtabula ſilveſtres ad præſepia tauri;* & Gentiles nondum baptizatos jumentis conferri innuit, latius hanc emendationem æque ac interpretationem defendens. De Commodiano vero ipſo iſthæc commentatur: Ortum eum debuiſſe parentibus Gentilibus, ipſumque ſibi converſionis extitiſſe autorem, dum ſacrarum literarum ſtudio incubuerit. Libertus fuerit, an ingenuus, dubium apparere ait, magis tamen pro ingenuo eundem agnoſcit, ingenuorum ſcilicet filium aut ad ſummum libertorum. Non Romanum, ſed Afrum potius, & ex aliqua civitate Africana civem fuiſſe, exinde ſuſpicatur, quod tot cum Cypriano habeat communia. Utcunque tamen & cujuscunque demum urbis in Imperio Romano civis dicendus ſit, Romanum certe habitum, & Romanæ urbis civem, eo quod hæc pro patria communi tum venditari ſueverit. Mendicum Chriſti ſe ideo vocare ipſum innuit, quod Chriſtianorum ſuſtentaretur eleemoſynis; Gazæum autem, quod e Gazo, ut ipſe nuncupet corbanum Eccleſiæ, ſtipem acceperit.

## *ANTONII BYNÆI DE MORTE JESU CHRISTI Liber tertius.*

Amſtelædami, apud Ger. Borſtium, 1698. in 4. Alph. 3. pl. 2.

Tertium hunc Clariſſimi Auctoris librum, poſt primum ſecundumque, recenſuris occurrit ſtatim capite primo locus Johannis 18, 28. *Judæos non introiiſſe in Prætorium, ne pollucrentur.* Opinionem hanc Judæorum, ac ſi ex contactu Gentilium pollverentur, nulla lege Divina niti, ſed originem ex decreto Sapientum habuiſſe, cum Seldeno ex Maimonide putat. p. 9. Perperam autem monuiſſe cenſet Eraſmum Schmidium, *pollui ingreſſos in locum judiciis politicis deſtinatum.* Paulo p. 10. poſt tamen recitat locum Auguſtini: *metuebant contaminari de ingreſſu prætorii propter diei feſti ſanctitatem, quem celebrare jam cœperant.* p. 22. p. 23. Veſpera ſcilicet præcedenti agnum paſchalem ipſos comediſſe; primo p. 14. autem feſti die, qui decimus quintus menſis iſtius erat, voluiſſe comedere ſacrificia paſchalia, ut hilares in feſto forent. Cerni hoc poſſe

non

p. 18. non obscure ex eo, quod diserte præmittatur, *erat autem mane.* Pilatum porro in verbis v. 31. non usum fuisse sarcasmo, sed hunc sensum illorum esse: *si vos eum deprehendistis κακοποιὸν, mihique non concessum est ipsius causam cognoscere, accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum.* Judaicos enim Proceres etiam tunc supremo
p. 27. supplicio potuisse animadvertere, idque tam diu fere ac urbs superfuerit templumque, in eos scilicet, qui crimen blasphemiæ & alia
p. 30. adversus legem Mosis delicta commisissent. Seditionem autem &
p. 31. læsæ majestatis crimen ad Romani Præsidis tribunal pertinuisse. Hoc sensu igitur dici: *nobis non licet interficere quenquam*, seditionis nempe ac læsæ majestatis reum. Et hinc Judæos, inscios licet, hoc dixisse Pilato, ut Jesu verbis constaret sua veritas, isque affigeretur
p. 36. cruci. Alias neutiquam ex verbis illorum pro certo sequi, Jesum crucifigendum fore, quod tamen in illis contineri dicat Joannes 18, 32; potuisse enim alio mortis genere puniri. Divinam autem providentiam cogitationes eorum sic direxisse, ut Jesum criminis reum fa-
p. 45. cerent, quod Romanis cruciarium erat. Hunc autem, quum e domo Caiphæ ductus esset εἰς τὸ πραιτώριον, neque proceres Judaici id simul introiissent, non habuisse tunc accusatores suos in conspectu, nec audivisse, quo crimine ipsum onerassent. Nullo igitur fundamento Gerhardum nostrum statuisse contrarium, ac serie reclamante narrationis. Hinc a Jesu, ac si ignarus rei totius foret,
p. 46. interrogatum Pilatum vicissim, *num a semet ipso hoc diceret? an vero alii hoc crimine ipsum insimularint?* Cum enim probe nosset, responsurum esse Pilatum de posteriori, viam sibi parare voluisse ad eum eru-
p. 51. diendum de regno suo. Verba Christi, *omnis, qui est ex veritate,* v. 37. exponit ex Rom. 2, 8. ubi iis, qui ex veritate sunt, opponantur, *qui ex*
p. 53. *contentione*, litigiosi & rixarum avidi. Pilatum vero, quum nosset, acriter ea tempestate apud Romanos disputari, an veritas possit cognosci scirique, nec ne, (apud Ciceronem Acad. Qu. Lib. 1. c. 16. 44. 46.) juxta hanc opinionem dixisse videri: *quid est veritas? incerta res & obscura & quæ deprehendi nusquam potest. Jam usq; a Pythagora quæsita hæc diligenter est: hinc tot Philosophorum sectæ sunt; adeo, ut præter dubitationem incertitudinemque relictum nihil sit.* Ergo omnino verba hæc contemnentis esse: neque Pilatum Christi responsum fuisse moratum, sed simul cum hoc dicto ad Judæos egressum pronunci-

esse,

esse, se per examen suum nullum affectati regni crimen, quod ple-
ctendum morte sit, invenisse. Stoicorum effato Sapientes non modo p. 55.
liberos vocari, verum & Reges. Tale itaq; quiddam in animo suo vi-
deri Pilatum concepisse, cum Jesum sibi regnum veritatis audivisset
tribuere; quod tamen neque Cæsaris majestati deroget, nec rebus p. 56.
Judæorum periculum creet. Quod apud Marcum sequitur, *Pontifices*
*maximos accusasse Christum πολλά, & Pilatum rogasse, non audis, πόσα* p. 58.
*σου καταμαρτυροῦσι*, non ita debere accipi, ac si in Jesum ingessis-
sent crimen non unum, eumq; de rebus multis accusassent & diversis,
sed quod caput accusationis suæ, crimen affectati regni, adstruerent
multis argumentis & confirmarent. Hinc apud Lucam, *ἐπίσχυον*,
*instabant vehementer vel urgebant valide*, seditionis nimirum & regni p. 57.
affectati crimen repetitum. Hinc Pilatum, cum e Prætorio suo ite-
rum egressus esset, videri demum Jesum coram ipsius accusatoribus
extra Prætorium stitisse, atque sic eum accusatores suos audivisse, nec
tamen quicquam eis ad hoc crimen respondisse, quod accusatio ista a-
pud judicem peritum religiosumque sua sponte evanesceret. Postea p. 59.
autem Jesum Pilato amplius respondisse, ut ex Johanne 19, 11. con- c. 2. p. 70.
stet. Tetrarcham porro Herodem studuisse cognoscere, an Jesus re-
vera Johannes Baptista foret, & num lineamenta faciei illius responde-
rent vultui Johannis, (quem interfici jusserat) quod veritum eum fuisse,
constare ait Bynæus ex timidis ejus apud Matthæum 14, 1. 2. verbis. Et p. 71.
credibile esse, Herodem interrogasse Christum de potestate, quam sibi
arrogaret, non autem de statu animarum post mortem, quando futu-
rus sit mundi finis &c. quod Joh. Gerhardo nostro visum. Tamet-
si agnoscit Autor ipse, frustra conjici, quid interrogaverit Herodes,
cum Lucas non dignum id judicaverit quod referret. Cum Beza p. 72.
autem verissimum ei videtur, Herodem veste candida induisse Jesum,
quasi candidatum imperii. Nihil notius enim, quam apud Roma- p. 79.
nos togam candidam & fulgorem quendam habentem induisse eos,
qui magistratum & honores peterent. Atque illos petitores, non p. 80.
contentos nativo lanæ colore, etiam cretam addidisse in vestem, ut
candesceret, imo splenderet. Hujus moris Herodem nequaquam
ignarum fuisse: & hanc genuinam esse istius ludibrii rationem; Ger-
hardi contra nostri opinionem ceu figmentum explodendam. Re-
misso itaque Jesu, *convocasse* Pilatum proceres Judaicos & popu- p. 81.
 lum, c. 3. p. 91

lum, i.e. jussisse, ut accederent propius, quo ipsum possent audire
loquentem. Et cum mentionem faceret modi recepti de dimittendo
in hoc Paschatos festo facinoroso aliquo, *acclamasse* turbam, ut facce-
ret, ceu solebat; omnino enim legendum esse *ἀναβοήσας*, non
p. 99. *ἀναβὰς, cum ascendisset.* Sedebat tunc Pilatus in tribunali. At Βῆμα
Græcos dicere tribunal, locum editum, ad quem *βαίνειν ascendere* ne-
cesse sit, ante Prætorium. An consuetudo ipsa a Romanis an a Judæis
manarit, altum apud scriptores rerum Judaicarum silentium esse. Igno-
p. 100. rari etiam, vetus ea, an nova fuerit. Si a Judæis, ceu Joannes innuat, secu-
lis posterioribus introduxisse illos permulta, injusta sane, & legi Mosis
contraria: si a Romanis, varia hos concessisse gentibus devictis, inpri-
mis Judæis, ad seditionem adeo pronis, ut eos in officio continerent fa-
c. 4. p. 134. cilius. Flagellatum deinde Jesum ait, non quæstionis habendæ ergo,
sed ex more apud Romanos trito, quo flagellatio semper præcesserit
p. 138. crucem. Nec tamen bis, sed semel tantum flagris cæsum. Chlamydem,
qua Jesus induebatur, apud Matthæum, fuisse vestem militarem exteri-
orem, cujus superiores anguli circummissi collo, in humero plurimum
p. 139. dextro fibula juncti sunt, ita ut lævam corporis partem amiciret, & bra-
p. 140. chium sinistrum muniret loco scuti; ubi inprimis laudatur Gisbertus
Cuperus, & figura chlamydis ab eo descripta simul exhibetur. Mar-
p. 141. cum & Joannem colorem vestis tantum, non genus vestimenti descri-
bere. Nam *πορφύραν* non vestis, sed coloris nomen esse. Et *τὸ ἱμάτιον*
omnis generis vestes complecti, atque pro pallio perperam accipi. U-
trumque igitur notare voluisse, & illusionem non in forma, sed in re-
p. 149. gio colore vestis fuisse. Sane vestes coccineas non easdem ac pur-
p. 143. pureas esse, sed differre & materia & colore. Quoniam autem color
p. 144. sqq. coccineus ad purpuram prope accedat, hinc purpureum dici. Ver-
bum *προσεκύνουν*, apud Marcum, significare ait Bynæus, *canum in mo-*
p. 148. sqq. *rem adulari*: Græcos enim liberos hoc verbo adorationem Regum
Persicorum, tantopere reprehensam a se vitatamque, per contemptum
ludibriumque appellasse. Eandem adorationem Romanos *adulationem*
p. 153. dixisse: quod *adulari* canum itidem proprium sit. Apud Joannem,
*ἐδίδουν αὐτῷ ῥαπίσματα*, a Beza, Piscatore, & Erasmo Schmidio ma-
le translatum censet, *ceciderunt bacillis*, pro, *dabant ei alapas*. Educto
p. 154. ita Jesu, qui ferebat coronam spineam & purpuream vestem, dixisse Pila-
tum, *videndum eum præbeo vobis, ut cognoscatis, me non deprehendere,*

*quod*

*quod regnum Judæorum serio affectarit.* Et ad ista adjecisse: *Ecce homo!* i. e. intuemini hominem hunc, an is videatur, qui Regem se facere voluerit Judæorum. Hunc sensum dicti hujus esse, quem non viderint, qui hanc sibi finxerint sententiam: *O homo, quisquis es, vide quam misere tractatus ille sit, huc oculos atque animum refer, & si quid in te hominis, huic misero condole.* Certe enim codicem Cantabrigiensem & duos codices Usserii post καὶ λέγει, addere, ὁ Πιλάτος, explicationis ergo scilicet. Unde & versio Coptica expresserit *Pilati* nomen, quod etiam a Beza, Piscatore, & Erasmo Schmidio factum sit. Ut appareat, eos verba hæc, etsi a Johanne videantur referri ad Jesum ipsum, qui animos accusatorum suorum flectere iis voluerit, in hunc sensum noluisse accipere. Subjecisse etiam Pilatum, *si eum omnino vultis crucifigi, ipsi vestro id facite periculo.* Huic opposuisse Judæos, *Legem nostram ignoras*, juxta quam crimen morte dignum est, si quis se faciat filium Dei. Non, quod putarent, Jesum ut blasphemum capitali supplicio a Pilato afficiendum; (sic enim urfisset Pilatus magis illud, *animadversionem in blasphemos pertinere ad judicium Senatus Judaici*, sed hoc sensu: secundum legem Judæorum Jesum reum esse læsæ majestatis, quoniam Dei filium se fecerit aperte, quod Tiberii existimationem imminueret, atque adeo illum e medio tollendum. Tempore Tiberii crimen læsæ majestatis cuivis facillime fuisse impactum, & quodvis dictum etiam innocentissimum, ad caput aliquod de majestate a delatoribus plerumque deflexum. Pilatum autem præterea veritum esse, ne tollendo Jesum, iram Deorum, si quid divini subesset sub hac humana imagine, in se concitaret: ideoque voluisse expiscari ex eo, an originem suam a Diis immortalibus haberet. Jesum autem homini profano, qui non intellexisset, quid sit, Deum manifestari in carne, noluisse ad hoc quæsitum respondere, neque id ei revelare. Respondisse tamen ad quæsitum alterum: *non haberes potestatem ullam in me, nisi tibi datum esset a supernis, & a Deo permissum.* Certam veritatem esse & notam, a Deo habere id munus, qui hominibus imperant, ac præditi sunt alios judicandi potestate. Sed hoc non significare Jesum, utpote in quem Pilatus nullam haberet potestatem datam, sed tantum permissam, judicio Chrysostomi. Appellativum, τὰ λιθόστρωτα, fuisse pavimenta sectis parvulis marmorum crustis strata, & originem suam sumpsisse sub ipso Sylla apud

p. 155. p. 157. p. 158. seq. p. 160. p. 161. p. 162. p. 167.

Romanos, & magno ibi in usu fuisse. Quin Julium Cæsarem ea in ipsis castris circumtulisse, judicio Suetonii & Salmasii. Istiusmodi igitur pavimentum habuisse etiam Pilatum eo in loco, in quo positum ipsius tribunal fuerit.
p. 169. Eundem locum ab iis, quibus vernacula esset lingua Syriaca, dictum fuisse Γαββαθᾶ, diversa tamen appellationis ratione; neque ut exprimatur vocabulum Græcum, sed eminentia loci,
p. 168. a גבה, *altus, excelsus fuit.* Quumque dialectus illa Syriaca Hierosolymis & in reliqua Judæa esset usitata inter eos, qui Hebræi tum dicebantur,
p. 262. Ἑβραϊςὶ ita appellari hunc locum, annotasse Johannem;
p. 170. sqq. quod alibi perinde factum sit, v. g. Γολγοθᾶ, Golgotha. Minime vero hinc inferendum cum If. Casaubono, Jo. Seldeno & Jo. Lightfooto esse, locum tribunalis, in quo Pilatus sedit, quiq; dictus est Λιθόςρωτος, fuisse conclave Gazith, in quo sederit magnus Senatus populi Judaici. Dubio procul sedisse Pilatum in solito suo tribunali; id vero nec positum in conclavi Gazith, neque hoc eo tunc temporis allatum. Solam similitudinem nominis Græci neminem debere movere, eamque Hebraici nominis dissimilitudine iterum everti. Lightfootum non animadvertisse, quod tribunal Pilati fuerit extra & ante Prætorium ejus. In Synedrio nullum locum nec habuisse, nec voluisse habere Præsidem Romanum.
p. 174. sqq. Diem, quo hoc contigit, vocari a Joanne παρασκευὴν τȣ̃ Πάσχα, referri tamen non ad Pascha vel ad agnum paschalem adhuc comedendum, sed ad Sabbatum, quod cum die Paschatos tunc coincidebat, & appellationem istam inde accipiebat. Agnum igitur paschalem jam comedisse & Jesum & universam simul gentem Judæorum, vespera præcedenti, qua dies decimus quintus incipiebat:
p. 178. seqq. contra eundem Lightfootum & alios Horam illius diei, qua
adde p. 299. seqq. Pilatus in tribunali sedens dixerit Judæis, *ecce Rex vester*, Jesumque tradiderit ut crucifigeretur, ait Bynæus fuisse non sextam, sed tertiam, secundum Marcum. Apud Joannem etiam pro ὡσεὶ ἕκτη scribendum ὡσεὶ τρίτη, cum codice Cantabrigiensi, itemque Camerarii, Wecheliano & aliis.
p. 188. Et sextæ horæ ita demum meminisse ipsum Marcum, ut eam expressis verbis ab hora tertia, qua dixerat Jesum crucifixum, distinguat. In Marco igitur non posse mendum esse.
p. 190. Præterea Matthæum, & Marcum, & Lucam constanter asserere, tenebras obortas fuisse hora sexta vel circa eam. Ergo Pilatum concludit circa horam sextam non sedisse pro tribunali; sedisse autem circa

horam

horam tertiam: post tertiam crucifixum esse Jesum, & tot alia contigisse: ac demum circa sextam obortas tenebras. Stricte simul respondetur ad sententias contrarias. Ulterius observat, Pilatum sedentem pro tribunali, non statim sententiam decretoriam pronunciasse, sed dixisse antea ad Judæos, *Ecce Rex vester*; quod parallelum sit ei, quod superius dixerat, *Ecce homo*, adeoque a Jesu non prolatum. Mox manus etiam suas lavasse, ad testandam innocentiam suam, ex isto ritu probabiliter, quem judicibus Deus Deut. 21 præscripserit; quodque visum sit etiam Jo. Christophoro Wagenseilio, insigniter aliquoties laudato apud Bynæum. Fuisse Pilatum Procuratorem Judææ per tot annos, quibus, cum eo tempore latrones forent tam multi, is ritus forsan plus semel adhibitus ab ipsis Judæis fuerit. Voluisse igitur sequi gentis istius morem. Et quum revocasset iis in memoriam consuetudinem aliam de dimittendo aliquo captivo in festo Paschatos Joh. 18, 39, utique eum non ignorasse mores eorum. Minime autem huc trahendam eam manuum lotionem, quæ etiamnum post funeris curationem Judæis in usu est. Nunquam enim eam introductam fuisse, ad testandum, se causam morti non præbuisse, sed ut immunditiem ex sepultura contractam purgarent: contra H. Grotium. Festinata executione supplicii, contra leges Romanas Pilatum non peccasse, censet Bynæus cum Edmundo Meryllio. S. C. enim de decendio damnatorum, per L. 6. §. 9. D. de injust. rupt. & irr. testam. itemque L. 16. D. de appellat. non pertinuisse ad insignes latrones vel seditionum concitores vel duces factionum, quos damnatos statim puniri interest, præveniendi periculi causa: contra Jo. Gerhardum & alios. Crucem ait constitisse tribus partibus, stipite sive palo, ligno transversario, & sedili medio, id est, ligno quod e medio stitite eminebat, in quo requiescebat, qui affigebatur: ubi loca Justini Martyris, Irenæi, Tertulliani, & Senecæ egregie illustrantur, & contra plures vindicantur, adjectis præterea figuris æneis una pluribus. In expositione vocis ἠγγάρευσαν laudatur post alios exercitatio Balthasaris Stolbergii nostri de Angariis veterum. Golgotha existimari montem fuisse, non sine causa: ast Adamum in eo sepultum fuisse, fingi. Hieronymum tamen, cum statueret, Adamum sepultum juxta Hebron & Arbee, deceptum versione Vulgata Josuæ 14, 15. quod a multis ostensum jam dudum. Unde autem appellatio ista montis orta sit, incognitum plane esse; nec tamen improbabilem

p. 194.
p. 196.
p. 201.
c. 5. p. 221.
p. 232. seq.
p. 248.
p. 261.
p. 263.
p. 265.

lem conjecturam, quod in eo loco homines solerent decollari, quo genere supplicii cum ex Talmudicorum sententia nullum fuerit turpius, ideo nomen loci, pœnis capitalibus sepositi, inde potissimum depromptum. Vino myrrhato (quod offerebatur Jesu, quum primum
p. 269. perventum esset ad Golgotha, atque adeo ante crucifixionem,) respici ad eam consuetudinem, qua apud Judæos olim ad supplicium ituri, haustu vini reficiebantur. Huic, ad occasum vergente jam Hebræorum republica, accessisse, ut vino admiscerent quid soporiferi, quo
p. 275. plectendus careret sensu doloris. Marcum designasse, quanam re amara mixtum fuerit illud vinum, myrrha nimirum. Matthæum au-
p. 274. tem tantum indicasse, mixtum id fuisse cum amarore. Nam ὄξος non acetum proprie dictum, sed vinum, cœptum mutari in acetum sive acescens, & χολὴν non verum fel esse, sed amarorem quemvis,
p. 276. & tribui etiam aliis rebus amaris. Jesum vero noluisse bibere, ne videretur animo non forti satis excipere tam triste fatum, ac nemo de verbis, quæ prolaturus in cruce erat, dubitare posset, quin essent veri-
p. 277. tatis ac sanæ mentis verba. Ad vana aliorum commenta refert illud Bartholini, *non bibisse, quia promisisset, non amplius bibiturum se ex*
c. 6. p. 291. *fructu vitis*. Crucem ipsam primo in terram fuisse defixam, antequam in eam tolleretur Jesus, affirmat Bynæus, ex consuetudine recepta, secundum quam hic omnia peracta sint; neque enim apparere usquam, singulare quiddam hic fuisse observatum, neque aliter existimasse anti-
p. 295. quitatem. Similiter affirmat, eum totum nudum fuisse: neque enim aliter actum cum ipso ac cum latronibus, in quorum medio crucifigebatur, qui prorsus nudi in crucem dabantur, nulla habita ratione fœminarum, vel matris, vel puerorum adstantium: contra Gerhar-
p. 296. dum nostrum & alios plures. Nam & illud ab Evangelistis non expresse proditum, quod Jesus palo illi medio impositus, quodque manus ipsius ligatæ prius fuerint ad antemnam, quam clavis transfigerentur in media illarum vola. Quandoquidem tamen solitum id
p. 299. vulgo esset, non obscure intelligi. Ex eodem more recepto asserit, pedes singulos, seorsim, singulis clavis ad stipitem seu palum, citra
p. 303. ullum suppedaneum, affixos. Quod porro Matthæus & Marcus ait, *unus a dextris, & unus a sinistris*, Hebraismum sapere videri, & esse hunc novum voculæ καὶ usum, ex observatione Jo. Vorstii. Lucam con-
p. 304. tra Græco more, ὃν μὲν, ὃν δὲ. Huc pertinet locus alter Matth. 20, 21. qui

qui mox subjungitur. Jam vero concedit, apud Græcos scriptores p. 306.
sacros & passim *impletum* dici vaticinium, si id, quod prædictum est,
eveniat tandem, quale illud Marci, de Messia ante tot secula, *& cum
sceleratis numeratus est*, collato Luc. 22, 37. Titulum, qui causam sup- p. 309.
plicii contineret, scriptum arbitratur apud Joannem etiam, jussu Pi-
lati, non manu; sicut jusserit Jesum apprehendi & flagellari. Mat- p. 310.
thæum enim diserte militibus tribuere, quod imposuerint supra caput
ejus crimen ipsius scriptum. Et infra, *quod scripsi, scripsi*, hunc sen- p. 312.
sum habere, *quod actum est, hoc ratum habeo*. Hebraicum idioma p. 316.
hic Syriacum designare, non ipsam linguam Hebraicam; secundum
ea, quæ superius dicta. Titulum fere similem, ut legi a quocunq; pos-
set, extare apud Julium Capitolinum. De forma autem tituli non su- p. 315.
isse disceptatum inter Pilatum & Pontifices ante eductionem ad locum
supplicii, quod Jo. Gerhardo nostro placuerit; sed post expositum o-
mnium oculis titulum, lectumque in monte Calvariæ, reversos Pon-
tifices maximos Hierosolymam & cum Pilato locutos. Particulam p. 317.
enim ἂν in toto Joannis textu maxime expendendam. Licuisse au-
tem Pilato, etiam per leges Romanas, mutare quidquam in titulo hoc,
etsi non in ipsa sententia, noluisse autem, utpote iracundum & per-
vicacem ingenio, ex sententia Edmundi Meryllii; ex quo & hic & ali-
bi pleraque Notarum suarum in Pass. Christi, Wissenbachium JC. de-
scripsisse, & vitula illius fere ubique aravisse, animadvertit aliquoties
Bynæus. Qualem sortitionis modum circa vestimenta Jesu adhibu- p. 16. 318.
erint milites, frustra inquiri; quod apud Romanos varii admodum 422.
in usu fuerint. Sorte autem ipsa non pallium tantum, sed τὰ ἱμά- p. 322.
τια, h. e. vestimenta Jesu omnia, excepta tunica, divisa statuit, contra p. 324. seq.
Casaubonum, Grotium, Salmasium. More enim vestiendi Judaico p. 326.
habuisse illum præter pallium & tunicam, etiam zonam, & feminalia,
tiaram, calceos, & sub tunicis atque talaribus quoddam vestimenti
genus, ex lino vel gossypio factum, aliave materia molli. Credibile p. 327.
autem esse admodum, ex tota cohorte Romana quatuor solum fuisse
milites, quorum opera Jesus suffixus cruci sit, & quatuor adeo illos fe-
cisse partes. Tunicam vero describi a Johanne, quod fuerit inconsu- p. 308. seq.
tilis, (id quod omnem sartoris operam excludat,) & deinceps, sola
textura confecta. Quomodo hoc fieri potuerit, ingenia doctissimo-
rum hominum ab omni ævo torsisse. Se quidem semper existimasse, p. 338.
tunicam

tunicam Jesu fuisse totam textilem, sine ulla sutura, aut acus sarcinatricis opera. Ac vidisse, puerum admodum, Trajecti ad Rhenum
p. 339. indusium lineum textorii operis sine ullo vestigio τῆς ῥαφίδος, sine ulla sarcinatricis manus suspicione. Legisse etiam tunicas lineas Pontificis maximi Hebræorum & Sacerdotum vulgarium rotundas, undique clausas, & utrinque manicatas, sola textura, absque acus opera contextas. Hinc non placuisse sibi vulgatam illam opinionem, quæ tunicam hanc ex uno filo, binis prælongis acubus nexam asserit cum Casaubono & Jo. Gerhardo. Hoc enim artificium veteribus incognitum fuisse. Multo minus probatam sibi conjecturam Octavii Ferrarii, tunicam hanc saltem sine acu, solis manibus sursum versus contextam. Salmasium autem & Alexandrum Morum hic locum perinde non invenisse apud se: Simulac autem legerit, quæ Jo. Braunius de hac tunica, deque veteri ratione texendi, tam erudite tamque accurate disseruisset, vidisse hanc litem planissime decisam; ac nullum superesse dubium, quin tota fuerit textilis, sine ulla sutura, aut acus sarcinatricis ope. Atque ideo hanc non fuisse scissam: sic enim
p. 341. & artificium perdidissent milites, & usum partium. Hic vero in
p. 344. comma Matthæi 35. cap. 27. irrepsisse agnoscit verba illa, quæ quondam ex Johanne margini adjecta fuerint, *ut impleretur - miserunt sortem*; utpote quæ nec tot codices agnoscant, nec interpretes, nec patres vetusti: nihil tamen temere movendum suo loco existimans. Testimonium Prophetæ ipsum allegasse Joannem ex Psalmo 22, 19.
add. p. 364. (quem de Messia exponendum suadeat ratio non una) & scripturam
& 421. istam hic fuisse impletam, h. e. evenisse id, quod in illa prædictum fuerit longe ante. Quin demonstratum libro quarto sit CL. Auctor,
p. 345. facta hæc a militibus esse, ut huic vaticinio sua constaret fides. His omnibus peractis, milites apud Matthæum dici sedentes *servasse* Jesum illic, i. e. more prisco & usitato ad crucem, ne quis eum detraheret, assedisse, collato Matth. 27, 54. etsi dubitari nequeat, quin τὸ τηρεῖ sumatur aliquando pro παρατηρεῖν, *insidiari*, uti Joh. 15, 20. Luc. 20.
p. 346. 20. atque illam expositionem Salmasio a Sarravio non debuisse pro-
c. 7. p. 366. poni ut novam, neque ulli ante se memoratam. Gerhardum nostrum & nonnullos alios existimasse, acetum illud, quod Lucas oblatum Jesu commemorat 23, 36, esse distinctum ab ea oblatione aceti, quam Matthæus 27, 48. & Marcus 15, 36. recenseant. Lucam enim descri-

bere

bere oblationem, quæ facta sit, antequam Christus de siti conquereretur. Bynæo autem opinio Augustini & aliorum longe probabilior visa, tres illos scriptores locis indicatis egisse de uno eodemque potu qui pendenti in cruce per spongiam oblatus sit. Lucam enim alterius potus, qui postea oblatus sit, non meminisse usquam. Et vicissim Matthæum atque Marcum non facere mentionem ullam aceti, quod pendenti jam e cruce antea oblatum sit. Et quanquam Lucas oblationem aceti cum reliquis illusionum generibus conjungat, inde tamen non posse colligi, acetum hoc oblatum ante esse, quam Jesus de siti conquereretur. Lucam enim sæpius ordinem accuratum temporis non servasse. De aceto ipso infra. Quod porro Matthæus ait p. 371.
cum Marco, etiam *latrones* convitia injecisse Jesu, cum Jo. Drusio ita exponit Noster, *alterutrum* de latronibus. Hebræorum enim more numerum pluralem adhiberi aliquando, cum de duobus, quisnam sit, relinquitur in medio, Jonæ 1, 6. & 1. Sam. 18, 21. per duas te conjunges mecum affinitate, i. e. *per alteram e duabus*. Pluralem itaque hic non p. 383.
poni pro singulari. τὸ σήμερον hic non esse particulam asseverandi, *certo* mecum eris in paradiso; præcedere enim τὸ ἀμὴν particulam affirmandi, & sic manifestam fore tautologiam. Maria ἡ τȣ̃ p. 387.
Κλωπᾶ, *uxor*, non *filia*, Nostro ideo exponitur, quia hæc Maria a Marco vocetur mater Jacobi parvi, filii Alphei, qui cum Clopa unus p. 390.
idemque fuerit. Credibile videtur eidem, Josephum, Mariæ conjugem, mortuum jam fuisse, cum hæc gererentur, opibus vix ullis relictis, atque hinc curam matris suæ, quam in media turba e longinquo conspexerat, commendatam Johanni a Jesu. Per πᾶσαν τὴν γῆν te- c. 8. p. 409.
nebris oppletam intelligendam solam terram Israeliticam seu Judæam universam, ex loco Lucæ 4, 25. putat admodum probabile fieri, *in diebus Eliæ fames fuit magna ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, per omnem terram*, i. e. terram Israeliticam universam. Similiter hic dixisse Lucam, ἐφ᾽ ὅλην τὴν γῆν, vocabula enim πᾶς & ὅλος permutari. Quin & p. 404. seq.
πᾶσαν τὴν Οἰκȣμένην Lucam 2, 1. non intelligere de orbe Romano, p. 410.
sed de tota terra Israelitica. Et quanquam hanc caliginem Phlegon Trallianus atque Thallus annotasse videantur, apud eos tamen nullam mentionem ullius regionis extra Judæam esse, quam hæ tenebræ occuparint. Ex iis igitur non dari intelligi, quam late patuerint. Etiam ex Tertulliani loco de *casu mundi* non constare, habitantes extra Ju-

dæam eundem sensisse. Ac si vel maxime hæ tenebræ patuissent longius, ac regiones alias occupassent quam Judæam; credibile tamen manere, scriptores sacros, dum res describunt in Judæa gestas, loquendi more admodum trito dixisse, fuisse eas ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, ad designandam Judæam universam, & de toto orbe non posse hic cogitari.
p. 419. Sententiam Gerhardi nostri de verbis, *dicebant quidam, Eliam vocat iste*, præfert Bynæus reliquorum opinionibus omnibus; Judæos sci-
p. 422. seq. licet, verba Jesu probe intelligentes, mero sarcasmo ei illusisse. Vas illud, quod plenum aceto erat, non fuisse allatum a militibus, ut ex eo potum Christo darent, sed potius, ut sibi ex eo potum sumerent militarem & consuetum, assentitur laudato sæpius Emundo Meryllio: adjectis præterea locis pluribus profanorum auctorum in eam rem. Milites enim incertos, quamdiu manendum ipsis in illa custodia crucifixorum sit, videri cibum potumque secum habuisse, ut miles ille a-
p. 427. pud Petronium, qui cruces asservabat, cœnulam suam. Potum illum fuisse vilissimum, quem milites, sicut dimensum, communem habuerint cum servis. Hunc præbuisse militem Jesu, ut eum rideret tan-
p. 423. quam vanum regem, cui vini loco bibenda *posca* foret, potio ex aqua
p. 428. acetoque mixta, ut quidam velint. Circa litem de calamo & hysso-
443. po dicit frustra se fatigare homines eruditos, & plana omnia esse, si dicamus cum Origene, hyssopum & calamum unum idemque esse. Scapum sc. sive thyrsum hyssopi recte appellari a Matthæo & Marco κάλαμον, & sumi pro caule cujuslibet plantæ, nec semper significare arundinem. Talis caulis par utique videtur fuisse ferendæ spongiæ
p. 447. levissimæ ad os Jesu, in cruce non adeo excelsa. Vinum myrrhatum
p. 450. non sumpsisse Christum supra: at nunc acetum, in siti præbitum, suxisse e spongia ac imbibisse. Effatum Christi ultimum non fuisse, *consummatum est*, sed eum post aliquod spatium temporis Patri voce
p. 458. magna spiritum suum commendasse. De velo scisso, quo Sanctum Sanctorum obtectum fuerit, cogitari inter alia posse quoque non inconcinne, Deum iram suam hoc miraculo voluisse testari; ipsum enim divini cultus locum brevi per Romanos pandendum fore. *Terram*, quæ tunc mota esse dicitur, signare montem Golgotha, Hierosolymasque ac circumjacentem porro terram Judaicam. Incertum autem esse, quænam terræ partes hoc motu concussæ sint, & quousque pertigerit hic motus, in signum iræ Divinæ. Sic enim terræ motum

Apoc.

Apoc. 16,18,19.20. conjungi cum aliis judiciis gravissimis, atque ita obiter explicat Bynæus, quid sit, quod *omnis insula fugisse* ibidem dicitur. Romæ, quæ sit Babylon magna, aliud fuisse *insulam*, aliud *domum*, & diversa ædificiorum genera. *Insulas* Festo proprie dici illas ædes, quæ non junguntur communibus parietibus cum vicinis, sed circuitu publico aut privato cinguntur, a similitudine earum terrarum, quæ fluminibus aut mari eminent, suntque in salo positæ. Ubi laudatur V. CL. Jo. Georgii Grævii præfatio, Tomo IV Thesauri præfixa. Et sic Romam etiam nunc insulis abundare; facta autem ruina, quærendam eam in ipsa Roma fore, etiam montibus septem illius absumptis. Quinam fuerint sancti, qui circa mortem Christi resurrexerunt, neminem mortalium dicit nosse, in silentio Matthæi. Mutandam autem censet ibi interpunctionem vulgatam, hoc modo: *& egressi ex monumentis, post resurrectionem ejus introierunt in sanctam urbem, & apparuerunt multis*, sublata distinctione post *ejus*. Ita enim distinguere Syrum interpretem. Neque vero credibile esse, sanctos illos in vitam revocatos, post resurrectionem demum Jesu e monumentis suis egressos, & continuos tres dies mansisse in sepulcris suis. Centurionem Romanum, videntem tot prodigia, agnovisse dicit potentiam Dei, atque hoc sensu *glorificasse* eum, collato Luc. 5,26. Existimasse enim, Jesum filium alicujus Dei esse, cum Pilato: neque didicisse Centurionem a Judæis opinionem illorum de Messia, (quam tamen invaluisse tunc, itidem adstrui nequeat) constare posse ulla ratione; rerum utpote Judaicarum nec curiosum forsan nec peritum: cum H. Grotio. Diem illum Sabbati *magnum* dici putat, quod non Sabbatum tantum esset, sed etiam secunda dies Paschæ; secutus Cæsarem Baronium. *Illo enim die oblatus erat manipulus primitialis, & agnus*: secundum Lev. 23,11.12.13. Judæos igitur ad eam legem, quæ post mortem demum jubet ad Solis occasum deponi suspensos, non respicere; sed quod spectaculum tam triste non putarent convenire cum Sabbati solennitate. Probari non posse, quanta sanguinis & aquæ copia ex latere Jesu fluxerit, sed ἐξέρχεσθαι in genere significare *exire*, sive magna sit quantitas sive parva; contra Gerbardum & alios. Sanguinem tamen & aquam sic profluxisse, ut distincte potuerint dignosci. Ac videri sibi separari aquam sive aquæ similem humorem, dum sanguis coagulatur, & corpus interempti violenta mor-

p. 459. p. 461. p. 463. p. 465. p. 468. p. 476. p. 478. p. 482.

morte frigescit. Promiserat CL. Bynæus librum etiam *quartum*, cujus sæpius libro hoc tertio meminisset, p,295.315.344.365.410.421. & 486. Ei adjungere præterea voluit librum singularem *de sepultura* Jesu Christi, ceu monet præfatione libri tertii. Verum præventus fato est, atque spes illa fortasse, quod doleremus, sepulta.

## RELATION SUR LE QUIETISME.

i. e.

*RELATIO DE QUIETISMO AUCTORE DN. JACOBO BENIGNO BOSSUETO, Episcopo Meldensi.*

Bruxellis, apud Lambertum Marchant, 1698. 12. plag. 7.

SUbinde jam a nobis litis, quæ Cameracensi Archi-Episcopo cum Meldensi Præsule aliisque Galliæ Episcopis intercedit, facta est mentio. Sed hactenus doctrinæ solum sacræ capita, super quibus inter eos contenditur, præeuntibus nobis, quos recensuimus, autoribus, delibare licuit: ut adeo quid in Cameracensis Præsulis doctrina redarguatur, quo pacto ipse se tueatur, suamque mentem edisserat, inde intelligi quodammodo queat. Nunc autem originis totius controversiæ factorumque historiam, eundo per summa rerum capita texemus, quam cognoscere accuratius forte non pauci gestient. Primo itaque Bossuetum audiemus rem omnem justa serie exponentem: deinde & Fenelonium eandem narrantem sistemus: tandemque rursus, quæ Bossuetus pro sua narratione reposuerit Cameracensi Præsuli, indicabimus.

Sect. I. Postquam causas, quibus inductus hanc de Quietismo relationem ediderit, edisseruit doctissimus Bossuetus, a prima origine li-
Sect. II. tem hanc repetiturus, jam pridem quidem Fenelonium nonnullis, quod novæ Orationis ac Quietismi fautor esset, suspectum fuisse profitetur. Sibi ergo nihil magis in votis fuisse, quam ut Viri hujus mentem sententiamque perdiscere accuratius liceret. Deo autem sapientissime res ita dispensante, Guyoniam fœminam notissimam & Quietismi maxime suspectam, (quæ haud exiguam hujus historiæ partem facit) volentibus & suadentibus ita ejus amicis, sententiam suam de oratione librosque suo arbitrio & examini A. 1693. submisisse. Vix

se adduci potuisse ait, ut ejus petitis annueret; annuisse tamen tandem tum aliis rationibus commotum, tum maxime quod Fenelonium Abbatem (tum enim nondum Archi-Episcopus erat) hujus consilii auctorem esse intelligeret. Guyonia ergo (ut porro refert) tradidit Episcopo libros suos tum typis exscriptos, tum manu exaratos, commentarium nimirum in libros Mosis, Josuæ, Judicum, & alias Divinæ Scripturæ partes, & inter ceteros eum quoq;, quo vitæ suæ historiam fuerat complexa. In iis, præsertim in vita Guyoniæ, dum omnia accurate perlustraret, multa atro notanda lapillo se invenisse refert. Interque ea & hoc, quod Guyonia tanta gratiæ cœlestis copia se affluere diserte autumet, ut habeat etiam, quod aliis impertiat. Neque enim precibus (ita loquitur apud Nostrum) aut admonitionibus, quibus ceteroquin gratiæ dona communicari cum aliis solent, se hanc gratiam derivare in alios, sed si quis saltem sibi præsto sit, & lecto suo adsideat, eum fore participem gratiæ cœlestis. Affert ipsa Guyoniæ verba, ut iis evincat, hanc ejus fuisse sententiam. Multa in iis de plenitudine gratiæ sibi concessa dicere videtur, quæ tanta sit, ut necessitate quadam urgeatur ad partem gratiæ in alios diffundendam. Miracula quoque, prædictiones, vaticinia, ut Bossuetus memorat, sibi tribuit. Interim certior facta, hæc aliaque Meldensium Præsuli displicere, datis ad eum litteris, tueri ea atque defendere sustinuit, atque quod ad gratiæ communicationem attinet, provocare ad experientiam, qua constet, multis, quod sibi præsentes fuerint, novam gratiæ accessionem obtigisse. Prohibita tandem illi ab Antistite fuit ista gratiæ communicatio: & illa, licet eam non damnaret, obsequium tamen promisit. Addit hinc alia παράδοξα Auctor Illustrissimus, quæ in librorum istorum perlectione se illi obtulerint: quod scilicet dixerit, se electam in hoc seculo ad destruendam rationem humanam, & ad sapientiam Divinam stabiliendam; se esse fœminam istam Apocalypticam, quæ tot infantes in lucem edat, quot homines a gratiæ sibi a Deo concessæ plenitudine instructos a se dimittat: contra quos flumen ex faucibus suis emittat draco, hoc est, vexare, perterrefacere eos conetur, licet a Deo servandi sint; & quæ hujus commatis alia sunt longe plurima. Nec illud prætermittit, quod se sponsam Christi prædicaverit, indeque B. Virgini Θεοτόκῳ non tantum se æquaverit, sed fere prætulerit, & quod preces ad Sanctos ipsamque Virginem Mariam fundere recusaverit, vel ideo

quod ſponſam minime deceat, ab aliis, ut ſuo nomine aliquid a ſponſo petant, impetrare velle. Sed hoc cumprimis animadvertit, eam, ſe extra errandi periculum conſtitutam eſſe, credidiſſe: atque inde quidem argumentum, quod a Deo miſſa ſit, petiiſſe; eam omnem ſui amorem eo uſque a ſe removiſſe, ut ne a Deo quidem aliquid ſui ipſius cauſa petere ſuſtinuerit. Interrogatam enim ab Auctore, annon ſui cauſa a Deo aliquid petere poſſet? diſerte reſpondiſſe, ſe non poſſe. Atque hanc ob cauſam, formulam precationis Dominicam eam mire detorſiſſe. Interrogatam, annon remiſſionem peccatorum a Deo petere poſſet? rurſus exerte reſpondiſſe, ſe non poſſe. Hæc omnia Boſſuetus, uti refert, ſignificavit Fenelonio, qui & faſſus eſt ſuo quoque judicio falli fœminam, & vanis viſionibus decipi; adjecit tamen, probandos eſſe ſpiritus; interim quod multa de ſe ipſa narret, in eo ſanctiſſimos viros ipſosque Apoſtolos illam ſibi habere præeuntes. Ex quibus haud obſcure ſe intellexiſſe ait Noſter, Fenelonium maximum hujus fœminæ eſſe admiratorem, eamque in oculis ferre.

Petiit tum Guyonia (ita rem porro ad ductum Boſſueti enarrabimus) a Rege, & impetravit quoque, ut ſententia ſua Theologis quibusdam accuratius excutienda committeretur. Injunctum iſtud munus fuit Boſſueto, & Epiſcopo Cabillonenſi, qui poſtea ad Archiepiſcopatum Pariſienſem eſt evectus, eidemque hodienum præeſt, ut & Tronſonio, Superiori Generali Congregationis S. Sulpicii. Summam in perlegendis & trutinandis Guyoniæ ſcriptis illi adhibuerunt induſtriam, precibus tamen non minus, quam labore & ſtudio, arduum hoc negotium aggreſſi. Acceſſit mox Fenelonius, partes Guyoniæ agens, ejuſque placita pro viribus emolliens, excuſans, defendens. Quod licet Præſules iſti ægre ferrent, magnoque dolore perfunderentur, Virum, & ingenio, & doctrina, & morum probitate conſpicuum, in hæc præcipitia ferri, ſilentio tamen rem omnem involverunt, ut Fenelonii honori conſulerent. Unde & omnium applauſu & congratulatione Cameracenſis Archiepiſcopatus illi eſt collatus. Exploratum autem eſſe ſibi exiſtimat Noſter, ſi Galliæ Regi, quæ hactenus geſta ſint, innotuiſſent, eum nunquam permiſſurum fuiſſe, ut ad iſtam dignitatem eveheretur Fenelonius. Nec tamen ſe, quod ita ſe geſſerit, reprehendi poſſe ait, eo quod animum ad obſequium & meliora admittenda paratum ſubinde Fenelonius præ ſe tulerit.

Quod

Quod ut evincat, epistolas quasdam nihil nisi obsequium spirantes hic profert. Interim quibus cura in doctrinam Guyoniæ inquirendi demandata fuerat, in hoc labore strenue pergebant, eoque consilia sua dirigenda intelligebant, ut Fenelonius quoque in viam reduceretur. Mitius tamen cum illo agendum esse censebant, ne irritatus magis magisque in transversum ageretur. Ne itaque palinodiam canere aut retractare sententiam videretur, veritas tamen insimul stabiliretur, articulis quibusdam Issiaci, unde a loco Issiacenses dicuntur, ea doctrinæ capita complexi sunt, in quibus & Guyonia & Fenelonius secus, quam par erat, sentire videbantur, eosque subscriptione singulorum firmare consultum duxerunt. Fenelonius, priusquam eos perlegerat, se ad subscribendum paratum esse demonstravit; sed ad perlegendum illi traditi sunt. Mox itaque singulis articulis restrictiones quasdam addidit, quibus vis illorum tollebatur, aut in ejusmodi sensum detorquebantur, qui ab Episcoporum, a quibus concepti erant, mente prorsus erat alienus. Noluerunt tamen isti Præsules disputationi prolixiori rem istam committere; hinc Fenelonius tandem cessit, adeoque die 20 Martii anno 1695 articuli isti subscriptione firmati sunt. Quem autem hic demonstraverat animum ad obsequendum paratum, eum postea quoque non semel prodidit, præsertim cum a Bossueto & Cabillonensi Episcopo solenni ritu inaugurandus esset. Priusquam nimirum ista consecratio peragetur, ad Nostrum accessit sanctissimeque testatus est, se in doctrina cum eo exactissime consentire. Sed ad Guyoniam quod attinet, illi se usum sacramentorum in sua diœcesi concessisse non diffiteturBossuetus, sed postquam meliora & saniora admittere videbatur, subscripseratque & articulis, quibus ejus placita prorsus evertebantur, & censuræ, qua a Bossueto & Cabillonensi Præsule & libri ejus & doctrina condemnabantur. Proinde concludit, quæcunque pro Guyonia scripsisse aut fecisse videri possit, ea se hoc intuitu aut scripsisse aut fecisse, quod crediderit eam serio & ex animi sententia decretis superiorum se submisisse, obsequiumq; promisisse.

Interea ad articulos Issiacenses declarandos & explicandos librum composuerat Bossuetus, eumque a Parisiensi Archiepiscopo & Carnutensi Præsule, ipsoque Archiepiscopo Cameracensi approbari volebat, ut consensus omnium in hisce doctrinæ capitibus elucesceret. Approbarunt eum haud difficulter & Parisiensis & Carnuten-

nutensis Præsules: ast Cameracensis hisce accedere noluit. Et licet Bossuetus illi demonstraret incommoda plura gravissimaque inde secutura, non tamen ut mutaret mentem, ab eo impetrare potuit. Contra enim Cameracensis Præsul contendebat, gravissimas sibi esse rationes, cur approbationem suam libro Bossueti denegaret. Eas hic prolixe ipsius Fenelonii verbis refert Bossuetus, quæ huc fere redeunt: Primo quidem, quod in isto scripto cuncta contra Guyoniam fœminam essent directa: namque licet libros ab ista fœmina scriptos nullatenus comprobet quin fateatur, ex verbis ejus, prout jaceant, talia sequi, quæ nullo modo admitti, aut excusari possint, nihilo secius sibi exploratum esse, fœminam istam nullum fovere errorem, nec male sentire, licet minus accurate loquatur: jam vero Bossuetum errores ejus ita notare, ut non tam libros quam ipsam fœminam condemnare videatur, quod ipse nullo modo facere possit, qui credat, perperam ejusmodi errores ipsi fœminæ imputari. Addit Fenelonius, non potuisse se approbando librum Bossueti condemnare Guyoniam, ut non simul æternum existimationi suæ inureret dedecus, cum quanti semper istam fœminam fecerit, nemini sit ignotum: nec injuria in ea se versatum fuisse opinione, Bossuetum condemnando Guyoniam, contra se quoque tela ista direxisse, ut adeo in se ipsum injurius fuisset, si istum librum suo comprobasset calculo. Hæc Fenelonius. Bossuetus dum ista recenset, subinde quibus ea redarguat, addit. Summa huc fere redit; supponere se, Guyoniam meliora edoctam serio & ex animi sui sententia errores istos retractasse, adeoque potuisse omnino doctrinam eius damnari, ut non ipsa simul damnaretur: nimirum Fenelonii erga hanc fœminam amorem vix excusari posse; non tam turpe illi futurum fuisse, si errorem hunc agnovisset, quam sit, quod defendere istam fœminam pergat: sibi itaque tribui nullo modo posse, quod existimationi ejus detrahere quicquam voluerit.

Sed & alia in scripto, quo Fenelonius causas denegatæ Bossueto approbationis attulerat, occurrunt, quæ Bossuetus nunc accuratius sibi discutienda sumsit. Iis non immorabimur, quod ad caput causæ non adeo spectent. Præcipuum illud est, quod cum Fenelonio expostulat, cur Tronsonio solum, & Parisiensi Archiepiscopo explicationem 34 articulorum Issiacensium exhibuerit, plane ac si ad se istud negotium non pertinuisset? itemque cur consilia de libro, quo Regulas

Sancto-

Sanctorum explicavit Fenelonius, non secum, sed itidem solum cum Parisiensi Præsule & Tronsonio communicaverit, & quæ id genus alia sunt.

Hisce autem ita ordine expositis, de libro a Fenelonio ad explicandas Sententias & Regulas Sanctorum edito, differit. Eum mense Februario anno 1697 sine ulla approbatione prodiisse in lucem autumat. Certe Archiepiscopum Parisiensem librum suo calculo non comprobasse, vel ex ejus scripto, quo id se fecisse abnuat, apparere. Parum autem proficere Fenelonium excipiendo, approbasse quidem Parisiensem Præsulem librum, ast scripto hanc approbationem non consignasse; namque non positum huic Præsuli in more esse, publicam approbationem denegare ei, in cujus scriptis, quod culpet, non inveniat. Refert porro, quanti exorti sint animorum motus, cum Fenelonii liber lucem adspexisset: urbem, aulam, Sorbonam, collegia, omnes denique cujuscunque conditionis & sexus homines maximam animo contra illum concepisse indignationem, ut fama hujus rei ad aures Regis quoque perveniret. Atque hæc omnia contigisse, priusquam ipse (Bossuetus) suum librum illi opponeret. Unde miratur, qui Fenelonius sibi imputare audeat, ac si omnes in eum armasset? De libro ipso autem ita censet, ad excusandos & defendendos Mysticos illos nuper exortos eum unice esse comparatum. Guyoniæ errores cumprimis in eo fuisse emollitos, & in ejus gratiam Molinosium quoque leniter habitum, quod illa plurima cum hoc haberet communia. Et etiamsi Molinosium rejicere & condemnare videatur, callide tamen eum solum loqui de LXVIII propositionibus a Sede Romana damnatis, non autem de Manuductione Molinosii hoc eum intelligere, ex qua pleraque tamen hauserit Guyonia, & quæ non minus a Romano Pontifice rejecta sit, quam propositiones istæ antea memoratæ. Quod autem Fenelonius præ se tulerat, hunc librum ad sententiam solum Bossueti dilucidius proponendam spectare, id nullo modo admittit, exemplumque profert, quo sententiam suam impugnet potius Fenelonius atque refellat, tantum abesst ut explicet. Sect. VI.

Sed hæc ipsa explicatio articulorum Issiacorum Bossueto adeo se non probavit, ut ex instituto de ea sibi aliquid adhuc monendum duxerit. Nimirum eorum quicquam, quæ explicare se profiteatur Fenelonius, in articulis Issiacis contineri, Noster diserte negat. Sect. VII.

Amoris iſtius naturalis, de quo tam multa verba faciat Fenelonius, nullam ibi injectam fuiſſe mentionem. Caput autem diſceptationis in eo poſitum fuiſſe, an quis juſtæ condemnationi, qua a Deo ſe condemnatum cenſet, acquieſcere poſſit? Nec conſtare ſibi ſatis Fenelonium, ſed mutare ſubinde aliquid in hac Explicatione, corrigere aut adjicere, ut, quid demum ſentiat, nunquam certo conſtet. Quo ipſo tamen errorem, qui menti ejus ſemel ſederit, adeo non tollat, ut novis potius & gravioribus ſe induat. Quæ ne fruſtra Fenelonio objeciſſe videatur, Auctor omnem movet lapidem. Patere hinc autem putat, ſe in hoc negotio aliter ſe gerere non potuiſſe, quam ut edita Declaratione laboranti ſuccurreret veritati, cum judice Hormiſda Pontifice ipſe impellat in errorem, qui non inſtruit ignorantes. Idque munus eo minus ſe ſubterfugere potuiſſe, quod Fenelonius præ ſe tulerit, ac ſi ſuam (Boſſueti) explicaret ſaltem ſententiam; a qua tamen eum alienum maxime eſſe, ut omnibus innoteſceret, ſua magnopere interfuiſſe. Romam autem quod miſerit hanc Declarationem, nemini mirum videri poſſe, qui ſecum expenderit, ipſum Fenelonium prius ſuum librum Pontifici obtuliſſe.

Sect. VIII. Sed ut demonſtret porro, pace & concordia nihil ſibi prius aut antiquius eſſe, probare annititur, per ſe non ſtetiſſe, quo minus per colloquia, aut alia ratione concordiæ alendæ accommodata, lis iſta fuerit finita. Quin obtuliſſe ſe Fenelonio colloquium ad controverſias iſtas tollendas, legibus æquiſſimis inſtituendum, ſed non potuiſſe eum ulla ratione adduci, ut conſentiret. Cum ergo non alia

Sect. IX. ratio ſuperfuerit, in viam eum reducendi, editam tandem fuiſſe Declarationem iſtam notiſſimam. De qua licet multum conqueratur Fenelonius, recte tamen dixiſſe Archi-epiſcopum Pariſienſem, quod in eo mitiſſime cum illo fuerit actum. Multa enim adhuc objici Fenelonio & in ejus doctrina redargui potuiſſe, quæ lubentes, ut exiſtimationi ejus conſulerent, prætermiſerint. Conqueri porro Fenelonium, quod correctionum & emendationum ſuarum in hac Declaratione nulla habita fuerit ratio: aſt non optimi commatis eum librum eſſe, cui tot correctionibus & emendationibus ſuccurrendum ſit: eas inſuper rem non conficere, ſed involvere potius magis magisq;, & caliginem lectoribus objicere. Articulos autem, quibus falſos Myſticos condemnare videatur Fenelonius, dicis gratia adjectos ſolum eſſe, nec in ipſos errorum fontes penetrare. Ultimo

Ultimo loco aliquid addit de variis ſcriptis, Italico & Latino ſermone Romam miſſis, quibus ſibi objiciatur, quod cum Janſeniſtis contra Cameracenſem Præſulem conſpiret, & ceu hoſtis Monachorum traducatur, quorum protector contra ſalutetur Fenelonius, qui ſolus etiam aptus prædicetur, ad autoritatem Pontificis contra Epiſcoporum inſultus defendendam. Quæ licet ſe conſentiente ſcripta eſſe abnuat Fenelonius, ex veritatis tamen & juſtitiæ lege eum obſtringi, ut publica declaratione illud teſtetur atque demonſtret. Accuſat quoque Fenelonium, quod Pontifici non ſincere, ut deceat eum, ſe ſubmiſerit. Quod enim ab eo petierit, ut accurate unamquamque propoſitionem erroneam deſignet, ſenſumque cenſura notandum exacte definiat, id ad cenſuram Pontificis eludendam unice eſſe comparatum. Sect. X.

Concludit librum, paucis ſummam ejus repetendo, oculisque Lectorum ſubjiciendo. Sect. XI.

## REPONSE DE M. L' ARCHEVEQUE DE CAMBRAY &c.

i. e.

## *RESPONSIO DNI. ARCHIEPISCOPI CAMERACENſis ad librum Dn. Epiſcopi Meldenſis, cui titulus:* Relatio de Quietismo.

Bruxellis, apud Lamb. Marchant, 1698. 12, Pl. 11.

QUæ Boſſuetus retulit, ea Cameracenſi Archiepiſcopo in omnibus non probari, quilibet conjectura facile aſſequi poterit. Proinde eum nonnulla repoſuiſſe, nemo mirabitur. Et ea quidem ſunt, quæ paucis perluſtrabimus. Repetit initio, quæ hactenus circa dogmata inter eos ſint diſputata. Hanc telam tam ſubito abruptam fuiſſe, ut Boſſuetus, miſſis dogmatibus, ad facta proſilierit, conqueritur. Subinnuit tamen, ita ſe geſſiſſe Præſulem Meldenſem, quod quoad dogmata eo res deducta eſſet, ut, quod reponeret, vix inveniret. Ipſam etiam in graviſſimi momenti capitibus diſſenſionem Boſſueti ejusque Sociorum, cum tamen amice in omnibus conſpirare velint videri, eum induxiſſe autumat, ut, relicta priori, novam hanc ingrederetur viam. Ne tamen & hic Fenelonius ſibi ipſi deſit, diſceptationis,

 tionis,

tionis, quæ circa facta est, septem capita constituit. Primo, an recte Guyoniam tanti fecerit, disputat; tum, quo jure patronus & defensor ejus audiat, disquirit: porro de articulis Issiacis; de sua inauguratione; de approbatione libro Bossueti denegata; de libri sui promulgatione; & iis, quæ illam insecuta sint, ita disputat, ut sibi objecta diligenter diluat.

Cap. I. Guyoniam maximi se, ob singularem pietatem & excellentes in exercitationibus profectus, facere non diffitetur. Et vitio quidem hoc sibi verti non posse, cum ipse Bossuetus eam errorum, quos in scriptis ejus deprehendere sibi visus sit, immunem declaraverit. Namque cum die 15. Aprilis anno 1695. formulam illi præiret, qua obsequium suum Guyonia declarare debebat, inter alia his verbis eum fuisse usum: *Sancte testor nunquam mihi constitutum fuisse quicquam docere, quod sit sententiæ Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ contrarium &c.* Hæc præeunte & verba concipiente Bossueto, profiteri debebat Guyonia. Sic & cum censuræ librorum suorum subscribere deberet, Bossuetus, ut Noster refert, ita verba ei præivit: *immunis sum omnium errorum in litteris pastoralibus explicatorum, semperque mihi constitutum fuit, ea scribere, quæ a doctrina catholica non abirent &c.* Si ergo, ipso Bossueto fatente, errores in doctrina nullos fovit, & hanc ob causam societate fidelium & usu sacramentorum non indigna judicata fuit, sibi, quod magni eam fecerit, turpe esse non posse, inde concludit. Idque eo minus, quod libros fœminæ hujus manuscriptos nunquam legerit, impressos vero non nisi levi brachio attigerit; cum Bossuetus contra utrosque diligenter evolverit, & nihilo secius ab erroribus eam absolverit. Sed cum dubitare hac de re nonnulli possint, pluribus hoc confirmat, multisque rationibus hoc demonstrat, manuscriptos Guyoniæ libros nunquam sibi lectos esse. Interim non negat, cum Bossuetus sibi *παράδοξα* ex scriptis Guyoniæ retulisset, se ea condemnasse, supponendo hæc ita se habere, prout a Bossueto essent prolata. Quo ipso nihil fecerit, quod non exemplis virorum sanctorum fuerit comprobatum.

Cap. II. Atque hinc colligi quoque posse ait, quo jure tituloque scripta Guyoniæ defendisse dicatur. Nunquam hoc sibi venisse in mentem. Cum doctrina fœminæ hujus a Bossueto & Sociis sub examen revocaretur, scriptum aliquod se illis obtulisse non abnuit. Ast defen-

defendendæ Guyoniæ caufa hoc factum negat. Petiiſſe ſcilicet a ſe Boſſuetum, ut de argumento Myſtico ſuam ſententiam exponeret. Namque cum ad hoc negotium primum accederet Boſſuetus, eum nec Franciſcum Saleſium, nec Johannem de Cruce, nec Rusbrokium, nec Taulerum, legiſſe. Se ergo paruiſſe & ex myſticis ſcriptoribus multa collegiſſe, unde poſtea libellus iſte Regulas ſanctorum continens, enatus ſit. Boſſuetus autem qua mente hoc ſcriptum perlegerit, nunc conſtare, poſtquam animum præjudicatis opinionibus obſeptum ſatis prodiderit. Ad alterum argumentum, quo probare contendat Boſſuetus, Guyoniæ doctrinam Fenelonium defendiſſe, quod ſcilicet ipſius ſe ſubmiſerit judicio, ita reſpondet, ut ſe ſubmiſiſſe non neget; aſt ita ſe ſubmiſiſſe, ut corrigere, emendare ſententiam, eamque retractare, & ab erroribus liberari vellet, rurſus inficiatur. Neque enim ex eo, quod quis ſibi ipſi non nimium fidat, quod paratus ſit, ſi rectiora a ſuperioribus edoceatur, ea admittere, recte colligi, eum minus recte ſentire, aut in errore verſari. Nec præſidium ullum Boſſueto afferre ſcriptum iſtud, quo Guyoniam damnare renuerit Fenelonius. Namque omnino diſtinguendum eſſe inter ſenſum libri, & mentem ſententiamque Auctoris; quæ tamen diſtinctio multum differat ab ea, qua a jure diſcernitur factum. Atque cum ipſe Boſſuetus eam approbet, ſibi non eſſe nefas eadem uti. Patuiſſe ergo, ſe ſententiam Guyoniæ ſibi ſatis perſpectam defendere, ut tamen non approbaret ea, quæ ex ſcriptis ejus colligebantur. Ex verbis enim per impetitiam minus recte uſurpatis, fluere poſſe ſenſum a mente ejus alieniſſimum. Nec tamen hoc eo valere, ac ſi ideo ſubſcriberet Boſſueto, doctrinam, non ipſam Guyoniam, condemnare videri volenti. Errores enim Guyoniæ ita deſcribi a Boſſueto, ut non poſſint non ipſi imputari; ut adeo, ſi vera eſſet ſententia Boſſueti, pro fœmina callidiſſima & turpiſſimarum hæreſium inventrice, merito ſit habenda. Cui, quod errorum ſit immunis, quo pacto teſtimonium perhibere potuerit Boſſuetus, iterum miratur. Quod enim dicat, eam condemnaſſe, & retractaſſe errores iſtos, eo ipſo illum novis induere ſe difficultatibus. Namque condemnare, inquit, non potuit, niſi & retractarit, aſt retractare qui potuit errores, quos nunquam habuit? Diverſiſſima eſſe condemnare errorem, & retractare, quæ confuderit Boſſuetus. Paucis cuncta tandem complectitur, profitendo,

tendo, se scripta Guyoniæ nec defendisse unquam, nec excusasse, non tamen eo modo ea condemnare voluisse, quo condemnaverit Bossuetus. Mentem vero Guyoniæ aliunde quam ex scriptis sibi fuisse perspectam, ut adeo eam immunem errorum merito judicaverit, licet ex scriptis ejus, ob formulas minus caute usurpatas, errores quidam fluant. Progreditur hinc ad librum suum de Sententiis Sanctorum editum, eumque ad Guyoniæ placita defendenda comparatum esse, quod illi objecerat Bossuetus, diserte negat. Ad loca, quæ, ut id evinceret, protulerat Bossuetus, ita respondet, ut unum quidem Francisci Salesii diserte injicere mentionem doceat, unde ad Guyoniam pertinere nequeat; alterum autem nihil aliud sibi velle ostendat, quam quod per experientiam Sanctorum, & effata Pauli, Jobi, S. Gregorii, S. Theresiæ certum sit & exploratum.

Cap. III. De articulis Issiacis suam sententiam ita exponit. Fatetur, eos se absente fuisse conceptos. Exhibitos autem sibi fuisse tantum triginta. Respondisse se, si quædam declarationis causa adjicerentur, se paratum esse & sanguine suo iis subscribere. Additos hinc esse quatuor articulos, quo ipso cum obtinuisset, quæ voluerat, prompte & sine mora articulis istis se subscripsisse. Judicari hinc posse ait, quo jure Bossuetus asseruerit, articulos istos eo comparatos fuisse, ut honestiori saltem modo errores suos retractaret Fenelonius. Sed & cetera in hoc negotio sibi objecta diluit, ac breviter perstringit.

Cap. IV. Sed & inaugurationis sive consecrationis suæ sibi injiciendam esse mentionem duxit. Negat autem diserte, se unquam a Bossueto petiisse, ut se consecraret; quin Bossuetum ad se accessisse, atque non tantum se ipsum obtulisse, sed, cum deinde difficultates quædam oborirentur, Carnutensi Episcopo hoc munus sibi vendicante, strenue hoc egisse Bossuetum, ut istæ partes sibi obtingerent. Idque postquam pluribus comprobavit, Bossueto exprobrat, cur sibi non duxerit religioni novum quendam Montanum, Priscillæ cujusdam novum defensorem (ita enim, quod ὡς ἐν παρόδῳ monemus, Fenelonium appellitaverat Bossuetus) consecrare, & gregi Domini pascendo præficere? Namque quod obtendat forte Bossuetus, sperasse se, fore, ut aliquando rectius saperet Fenelonius, id ejusmodi esse probat, quod cum suspicione, quam de Fenelonio animo suo jam pridem insedisse Bossuetus demonstraverat, consistere nullo modo possit.

Postquam itaque Fenelonius jam Archi-episcopali dignitate fulgeret, librum supra memoratum edere secum constituerat Bossuetus, eumque & a Fenelonio volebat approbari. Noluit autem Noster, idque gravissimis rationibus adductum se fecisse denuo asserit; easdemque, quas ex Bossueto retulimus, repetit, pluribusque confirmat. Nimirum contendit, doctrinam Guyoniæ in hoc libro ita refutasse Bossuetum, ut ipsam Guyoniam non potuerit non condemnare; quod ut & ipse faceret, se adduci non potuisse, idque jure optimo. Sed ponderatis sedulo negotii hujus circumstantiis, multa inde colligit, quæ arguant, parum prudenter se gessisse Bossuetum exigendo approbationem libri, in quo fœdissimo modo lacerabatur Guyonia, a Fenelonio, quem illi favere nimiopere, ipse credebat. Cap. V.

Ut autem jure se approbationem suam Bossueto denegasse putat: ita, cum suum librum promulgaret, nihil omnino se commisisse contendit, quod a Bossueto reprehendi possit. Fatetur, se eum Bossueto, ut ab illo comprobaretur, non obtulisse: sed non potuisse se approbationem Bossueti sibi polliceri ait, postquam ab illo eo redactus esset, ut suam prius approbationem illi denegare sibi necesse fuerit. Ad Archiepiscopum autem Parisiensem quod attinet, non diffitetur eum sibi objecisse, audax esse, quod susciperet, facinus, librum tamen ipsum bonum & utilem judicasse. Fatetur denuo, Præsulem istum noluisse hunc librum suum publica approbatione cohonestare, quod per Meldensem Episcopum, cujus librum tali testimonio se ornaturum promisisset, hoc illi non liceret: nihilo secius postquam ab hoc Præsule notata emendasset Fenelonius, professum eum esse, se, quod in libro ipso desideret, non habere. Addidisse eum, sibi non videri, quod Fenelonius contradicat Bossueto. Et recte quidem, inquit Noster; hoc enim sibi plane non fuisse constitutum. Non abnuit, adjecisse Parisiensem Præsulem, nolle se, ut Fenelonii liber prius prodiret quam Bossueti: nec se ullo modo repugnasse ait; ast penes ipsum Archiepiscopum Parisiensem hoc stetisse, quo minus hoc factum fuerit: saltem sibi hoc imputari non posse, cum se absente, permittente autem Archiepiscopo Parisiensi, liber iste fuerit publicæ luci expositus. Ostendisse quoque se librum istum, jussu Archiepiscopi Parisiensis, Piroto, censori acerrimo, & una cum eo librum perlegisse; hunc autem itidem calculo suo omnia approbasse. Cap. VI.

Hæc

Hæc omnia postquam prolixius deduxit, concludit, inde, ab omni veritatis specie abhorrere ἔγκλημα Bossueti asserentis, librum hunc ad Guyoniæ defensionem unice fuisse comparatum. Namque si tale quid sibi constitutum fuisset, sine summa imprudentiæ nota, aut Archiepiscopi Parisiensis, aut Piroti censuræ hunc librum se subjecturum non fuisse: cum uterque doctrinam Guyoniæ probe habuerit perspectam, neuter quoque illorum favere huic fœminæ dici possit.

Cap. VII. Reliqua nunc unico fasce complectitur Auctor Illustrissimus. Per Bossuetum scilicet stetisse docet, ut in bellum aliquod lis ista eruperit: Bossuetum ad Regem accessisse refert, veniamque ab eo vultu ad tristitiam composito pœnitentiamque præferente petiisse, quod hucusque Fenelonii fanaticismum non detexerit, & ita Regem in se concitare voluisse: Bossuetum in culpa fuisse, quod in ipsa herba, quod ajunt, lis ista non fuerit oppressa. Fatetur, se litteras hac de re ad Papam dedisse, sed fecisse se id jussu Regis, adeoque id sibi vitio verti non posse. Ut vero colloquium detrectaret, justas omnino sibi fuisse causas. Palam enim professum esse Bossuetum, in hocce colloquio nullo modo de doctrina disputandum esse; errores enim Fenelonii jam esse manifestos, ut nulla disputatione opus sit. Iniquum ergo fuisse Bossuetum, inde concludit, qui tale colloquium obtulerit, in quo Fenelonius convictus jam, priusquam explicare aut defendere sententiam posset, retractare solum placita sua & palinodiam canere deberet. Et nihilo secius tamen se non plane respuisse colloquium, sed certis legibus descendere in istud voluisse, modo doctrinæ examen ab Archiepiscopo Parisiensi, Tronsonio, & Piroto, prout inter illos convenisset, susciperetur. Addit se & aliam viam proposuisse, scriptis scilicet privatis per succinctas quæstiones & responsiones litem componendi; & acceptasse quoque eam initio Bossuetum, ast mox eum mutasse sententiam, &, ut in colloquio res tractaretur, voluisse. Per se itaque nullo modo stetisse, inde colligit, quo minus lis hunc in modum composita fuerit, culpamque omnem scandalumque in Bossuetum recidere. Sed mittimus cetera, quæ cujusmodi sint, ex allatis facile intelligitur. Finit, reponendo nonnulla ad ea, quæ de motibus variis animorum, post libri a Fenelonio editi publicationem, ortis narraverat, &, quæ Bossuetus ei objecerat, in illum retorquet.

* * * * * * * * *

N. IV.

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipsiæ*
*Calendis Aprilis, Anno* M *DC XCIX.*

---

## REMARQUES SUR LA REPONSE A LA RELATION SUR LE QUIETISME &c.

i. e.

*DN. JACOBI BENIGNI BOSSUETI ANIMADVERSIONES in Responsum Dn. Archiepiscpi Cameracensis ad Relationem de Quietismo.*

Bruxellis, apud L. Marchant, 1698. 12. pl. 12.

Est hæc contentionum & controversiarum, quæ a viris eruditis agitantur, indoles, ut vehementius incitati a doctrinæ capitibus mox dilabantur ad facta, & quæ ad invidiam alteri faciendam pertinent, sedulo congerant atque convectent. Quo cum ventum est, in infinitum contentio abit, nec ullus ejus finis, aut exitus apparet. Ejusdem rei exemplum nunc præbent illustrissimi doctissimique Præsules, qui in bellum hoc sacrum exarserunt, cujus originem tum ex Bossueti Relatione de Quietismo, tum ex Fenelonii ad eam Responso prolixe satis mense nupero Martio exposuimus. Superest itaque, ut nunc, promissi memores, quid Fenelonio Bossuetus reposuerit, paucis indicemus. Fenelonii enim vestigia in præsentibus, quas exhibemus, Animadversionibus relegere, & summo studio cuncta sibi aut objecta, aut exprobrata, discutere non dubitavit Bossuetus: dubiumque nullum est, quin multa reponere iterum Fenelonius possit, ad quæ rursus quæ regerat, Bossueto non sunt defutura, Nobis, si multa iterum hac de re commemorare vellemus, verendum esset, ne Lectorum abuti patientia videremur. Namque ad alios ex ejusmodi disceptatione parum redundat emolu-

 menti:

menti: contra tædium facile omnibus afferre poteſt, præſertim iis, qui odii & amoris vacui ſua non adeo referre credunt, quis ex hoc certamine ſuperior evadat. Atque hæc ſola ratio eſt, cur hunc librum indicaſſe ſolum nobis ſufficiat. Nec enim ambigimus, quin ex præcedentibus, quodnam & hujus argumentum ſit, & quænam contentionis hujus ſint capita, cognoſci affatim poſſit. Eo, quod præcipuum eſt, redit: Boſſuetus denuo affirmat atque inculcat, Fenelonium Guyoniæ eſſe defenſorem: diſtinctionem vero, qua a ſenſu libri diſcernitur ſenſus Auctoris, eſſe inauditam, & ita comparatam, ut quævis, quantumvis abſurda, hoc modo aut defendi aut excuſari queant, aut ſaltem caligo imperitioribus affundi poſſit. Fenelonius autem, cum ſe Guyoniæ defenſorem eſſe neget, ſaltem eo ſenſu, quo hoc intelligit Boſſuetus, hanc autem diſtinctionem approbet, palam eſt, ab utroque eadem ſæpius neceſſario eſſe repetenda. Atque in cæteris eodem modo ſe res habet, quæ eo libentius prætermittimus, quo difficilius eſt, in ejusmodi quæſtionibus, a cujus partibus ſtet veritas, dijudicare.

* * *

Vixdum hæc ſcripſeramus, Lector Benevole, quando Romani Pontificis Bulla, qua Archiepiſcopi Cameracenſis de Sententiis Sanctorum circa vitam interiorem liber, qui tantis in Eccleſia Romana contentionibus occaſionem præbuit, damnatur ac proſcribitur, ad manus noſtras pervenit. Equidem num lis omnis ſublata nunc ac ſepulta cenſeri debeat, noſtrum non eſt arbitrari. Dubitandum enim fortaſſe, num propoſitiones illas XXIII, quæ in Bulla Pontificia damnantur ac reprobantur, omnes atque univerſas pro ſuis agniturus ſit Cameracenſis Præſul. Certe, ut obiter hoc unum moneamus, propoſitionem duodecimam, quam & nos iisdem fere, imo mollioribus, verbis (pro *ſimpliciter* enim, ut in Bulla legitur, poſuimus *tantiſper*) in Actis noſtris menſe Junio anni ſuperioris pag. 272, lin. 28 ſqq. ex libro Archiepiſcopi excerptam exhibueramus, a mente Autoris eſſe alieniſſimam, dudum in Scheda admonitoria, quam nupero menſe Januario pag. 28 ſq. cum Benevolo Lectore communicavimus, Illuſtriſſimus Præſul, aut quicunque alius, certe aſſecla ejus, ſchedæ autor fuit, diſerte profeſſus eſt Verum quicquid ejus ſit, cum inſtitutum utique Pontifici Romano fuerit, controverſias tanto fervore agitatas ſupre-

prema auctoritate decidere, nos saltem, Bullam ipsam Actis nostris inseruisse contenti, tot libellis, qui (præter illos, quos in Actis nostris anno superiore pag. 268. 278. 281. 476, & hoc anno pag. 20. 22. 24. 132. 139. 145 memoravimus) in utramque partem editi hactenus fuerunt, consueto studio recensendis videmur nobis posse supersedere. Nec rem ingratam tamen Lectori facturos nos arbitramur, si istorum, quorum quidem ad nos pervenit notitia, nec recensus tamen in Actis his comparet, indiculum qualemcunque hic exhibeamus; quem Bulla supra dicta, eaque integra, nec ulla parte mutilata, immediate sequetur.

*Instruction Pastorale de Monseigneur l'Archevêque du Paris sur la perfection Chrêtienne, & sur la vie interieure, contre les illusions des faux Mistiques. A Paris, chez Louis Josse, 1697. 4.* Conferatur Diarium Eruditorum (*Le Journal des Scavans*) Parisiense, *1698.* p. 57. 344.

*Illust. D. Archiepiscopi Ducis Cameracensis Epistolæ quatuor ad Illust. D. Archiepiscopum Parisiensem Ducem ac Parem Franciæ, circa hujus de vita interiore Instructionem Pastoralem. in 8.*

*Reponse de Mons. L' Archevesque de Paris aux quatre Lettres de Mons. L' Archevesque de Cambray. A Paris, chez Francois Muguet, 1698. 4.* Conf. Diarium Paris. 1698. p. 255.

*Divers Ecrits ou Memoires sur le livre intitulé :* Explication des Maximes des Saints &c. *Par M. Bossuet Evesque de Meaux &c. A Paris, chez Jean Anisson, 1698. 8.* Conf. Diurium Paris. 1698. p. 155.

*Observations d' un Theologien sur un Livre de M. De Meaux, intitulé* Divers Ecrits ou Memoires. *in 12.*

*Reponses de M. L' Archeveque de Cambray à la Declaration de M. L' Archeveque de Paris, de M. L' Eveque de Meaux, & de M. L' Eveque de Chartres. 1698. 12.* Conferantur Acta nostra, 1698. pag. 278.

*Lettres de M. L' Arch. Duc de Cambray a M. L' Eveque de Meaux. in 8.*

*Redonse de M. L' Evesque de Meaux à quatre Lettres de M. L' Archevesque Duc de Cambray. A Paris chez Jean Anisson, 1698. 8.* Conf. Diarium Paris. 1698. p. 274.

*Lettres de M. L' Arch. D. de Cambray, pour servir de Reponse à celle de M. L' Ev, de Meaux. in 8.*

*Lettre Pastorale de Monseigneur l'Evesque de Chartres au Clergé de son Diocese, sur le Livre intitulé:* Explication des Maximes des Saints, *& sur les explications differentes que M. l'Archevesque de Cambray en a donné. A Paris, chez Antoine Dezallier,* 1698. 4. Conf. Diar. Parif. 1698. p. 344.

*De Nova Quæstione Tractatus tres. I. Mystici in tuto. II. Schola in tuto. III. Quietismus redivivus. Auctore Jac. Ben. Bossuet, Episcopo Meldensi, Comite Consistoriano &c. A Paris, chez Jean Anisson,* 1698. 8. Confer. Diar. Parif. 1698. p. 433.

*Lettre de M. L'Archev. de Cambray à M. L' Ev. de Meaux, pour repondre à son traité Latin intitulé* Mystici in tuto. *Sur l'Oraison passive. in* 8.

*Lettre du même à le même, pour repondre à son traité Latin intitulé* Scholastici in tuto. *Sur la Charité. in* 8.

*Reponse de M. L'Archv. D. de Cambray à l'Ecrit de M. L' Ev. de Meaux, intitulé* Quæstiuncula. *in* 8.

*SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI INNOCENTII DIVINA Providentia Papæ XII Damnatio & Prohibitio Libri Parisiis anno MDCXCVII impressi, cui titulus:* Explication des Maximes des Saints sur la vie interieure.

Romæ, ex typographia Rev. Cameræ Apostolicæ. A. 1699.

*INNOCENTIUS PAPA XII*
*ad perpetuam rei memoriam.*

CUm alias ad Apostolatus nostri notitiam pervenerit, in lucem prodiisse Librum quemdam Gallico idiomate editum, cui titulus: *Explication des Maximes des Saints sur la Vie interieure, par Messire Fran ois de Salignac Fenelon, Archevéque Duc de Cambray, Precepteur de Messeigneurs les Ducs de Bourgogne, d' Anjou, & de Berry. à Paris chez Pierre Aubuin, Pierre Emery, Charles Clousier, 1697*; ingens vero subinde de non sana libri hujusmodi doctrina excitatus in Galliis rumor adeo percrebuerit, ut opportunam Pastoralis vigilantiæ nostræ opem efflagitaverit; Nos eumdem Librum nonnullis ex venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, aliisque in sacra Theologia Magistris, mature, ut rei gravitas postulare videbatur, examinandum com-

commiſimus. Porro hi mandatis noſtris obſequentes, poſtquam in quamplurimis Congregationibus varias propoſitiones ex eodem libro excerptas diuturno accuratoque examine diſcuſſerant, quid ſuper earum ſingulis ſibi videretur, tam voce quam ſcripto nobis expoſuerunt. Auditis igitur, in pluribus itidem coram Nobis deſuper actis Congregationibus, memoratorum Cardinalium, & in ſacra Theologia Magiſtrorum, ſententiis; Dominici gregis Nobis ab æterno Paſtore crediti periculis, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Librum prædictum, ubicumque & quocumque alio idiomate, ſeu quavis editione, aut verſione, hucusque impreſſum, aut in poſterum imprimendum; quippe ex cujus lectione & uſu fideles ſenſim in errores ab Eccleſia Catholica jam damnatos induci poſſent, ac inſuper tanquam continentem Propoſitiones, ſive in obvio earum verborum ſenſu, ſive attenta ſententiarum connexione, temerarias, ſcandaloſas, male ſonantes, piarum aurium offenſivas, in praxi pernicioſas, ac etiam erroneas reſpective; tenore præſentium damnamus, & reprobamus, ipſiusque Libri impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem, & uſum, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, etiam ſpecifica & individua mentione & expreſſione dignis, ſub pœna excommunicationis per contrafacientes ipſo facto absque alia declaratione incurrenda, interdicimus & prohibemus. Volentes, & Apoſtolica auctoritate mandantes, ut quicumque ſupra dictum Librum penes ſe habuerint, illum ſtatim atque præſentes literæ ei innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, tradere ac conſignare omnino teneantur. In contrarium facientibus, non obſtantibus quibuscumque &c.

Cæterum Propoſitiones in dicto libro contentæ, quas Apoſtolici cenſura Judicii, ſicut præmittitur, configendas duximus, ex Gallico idiomate in Latinum verſæ, ſunt tenoris, qui ſequitur; videlicet

*I. Datur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt Charitas pura & ſine ulla admixtione motivi proprii intereſſe. Neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum, habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.*

II. *In statu Vitæ contemplativæ, seu unitivæ, amittitur omne motivum interessatum timoris & spei.*

III. *Id quod est essentiale in directione Animæ, est non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam, cum infinita patientia, præcautione & subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, & nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, & adeo potest illas scandalizare, aut in perturbationem conjicere.*

IV. *In statu sanctæ indifferentiæ Anima non habet amplius desideria voluntaria & deliberata propter suum interesse; exceptis iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur,*

V. *In eodem statu sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo, volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti & beati propter interesse proprium; sed omnem perfectionem ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas, impressione suæ gratiæ.*

VI. *In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum; sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipse vult, & quam nos vult velle propter ipsum.*

VII. *Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renunciatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quoad interesse proprium. Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, seu sui ipsius derelictio, exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam æternum.*

VIII. *Omnia sacrificia, quæ fieri solent ab Animabus quam maxime desinteressatis, circa earum æternam beatitudinem, sunt conditionalia. Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum, in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum.*

IX. *In extremis probationibus potest Animæ invincibiliter persuasum esse, pirsuasione reflexa, & qua non est intimus conscientiæ fundus, se juste reprobatam esse a Deo.*

X.

X. *Tunc Anima, divisa à semetipsa, exspirat cum Christo in cruce, dicens:* Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me! *In hac involuntaria impressione desperationis, conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii, quoad æternitatem.*

XI. *In hoc statu Anima amittit omnem spem sui proprii interesse: sed nunquam amittit in parte superiori, id est, in suis actibus directis & intimis, spem perfectam, quæ est desiderium desinteressatum promissionum.*

XII. *Director tunc potest huic Animæ permittere,, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse, & justæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam credit.*

XIII. *Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.*

XIV. *In extremis probationibus, pro purificatione amoris, fit quædam separatio partis superioris Animæ ab inferiori. In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca & involuntaria perturbatione: nam totum, quod est voluntarium & intellectuale, est partis superioris.*

XV. *Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur. Ista compositio actuum discursivorum & reflexorum est propria exercitio amoris interessati.*

XVI. *Datur status Contemplationis adeo sublimis, adeoque perfectæ, ut fiat habitualis; ita ut quoties Anima actu orat, sua Oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejusque actus methodicos.*

XVII. *Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili & reflexo Jesu Christi, duobus temporibus diversis: primo, in fervore nascente earum contemplationis; secundo, Anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus.*

XVIII. *In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctæ, non cogitando, quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult: & amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit; nec unquam sit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non est.*

XIX. *Potest dici in hoc sensu, quod Anima passiva & desinteressata nec ipsum amorem velit amplius, quatenus est sua perfectio & sua feli-*

*felicitas; sed solum quatenus est id, quod Deus a nobis vult.*

XX. *In confitendo debent Animæ transformatæ sua peccata detestari, & condemnare se, & desiderare remissionem suorum peccatorum; non ut propriam purificationem, & liberationem, sed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propter suam gloriam.*

XXI. *Sancti Mystici excluserunt a statu Animarum transformatarum exercitationes virtutum.*

XXII. *Quamvis hæc doctrina* (de puro Amore) *esset pura & simplex perfectio Evangelica, in universa traditione designata; antiqui Pastores non proponebant passim multitudini justorum, nisi exercitia amoris interessati eorum gratiæ proportionata.*

XXIII. *Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati & meritorii sunt.*

Non intendimus tamen per expressam Propositionum hujusmodi reprobationem alia in eodem libro contenta ullatenus approbare. Ut autem eædem præsentes litteræ omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam valeat allegare; volumus pariter, & auctoritate præfata decernimus, ut illæ ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, nec non Curiæ generalis in Monte Citorio, & in acie Campi Floræ de Urbe, per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur; ita ut sic publicatæ omnes & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ & intimatæ fuissent: utque ipsarum præsentium litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die XII Martii, anno Christi MDCXCIX, Pontificatus nostri octavo.

J. F. Card. Albanus.

*Anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi 1699, Indictione septima, die vero 13 mensis Martii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Innocentii Divinæ provi-*

*tia Papæ XII, anno ejus octavo, supra dictum Breve affixum & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Magnæ Curiæ Innocentianæ, in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis & consuetis verbis, per me Franciscum Perinum, ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem.*

Sebastianus Vasellus
Mag. Curs.

SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM HISTORIA LITERARIA, Pars altera, &c. Autore GUILIELMO CAVE SS. Th. Prof. Canonico Windesoriensi.

*APPENDIX AD HISTORIÆ LITTERARIÆ PARTEM SEcundam, Auctore R. G.*

*Accedunt ad calcem operis Dissertationes tres. 1 de Scriptoribus Ecclesiasticis incertæ ætatis, 2 de Libris & officiis Ecclesiasticis Græcorum. 3 de Eusebii Cæsariensis Arianismo adversus* JO. CLERICUM.

Londini, apud R. Chiswell, 1698. fol. Alph. 8. pl. 13.

INsignes, quos in rei literariæ, & ecclesiasticæ potissimum emolumentum, Max. Rev. Caveus exantlavit, labores, prolixius a nobis, cum priorem Historiæ ejus litterariæ partem recenseremus (*in Actis anni XC. p. 76*) celebrati, dudum ipsi missionem impetrasse videbantur, post partas tot præclaras adoreas isti militiæ generi non amplius, adstringendo. At summa animi ad juvandas ornandasque litteras hasce propensio & assiduæ amicorum, secundas curas ad perpoliendam Historiam litterariam exigentium, preces, nequicquam obsistente sive senio, sive infirma corporis valetudine, Viro doctissimo persuaserunt, ut vastum istud pelagus denuo ingressus, omnia studiosissime conquireret, quæ ad semel a se instrui cœptum gazophylacium illustrandum perficiendumque, aliquid adjumenti polliceri videbantur. Hinc altera Historiæ Litterariæ pars, quam præ manibus nunc habemus, enata illi fuit; in qua eadem, qua olim, methodo, ab ipsis Christi Apostolorumque temporibus exorsus, & scriptores antea prætermissos, quorum partem longe maximam Anonymi constituunt, in

priore parte penitus neglecti, recensuit: & illa largissime supplevit, quæ de cognitis antea sibi Scriptoribus in parte priori attulerat, quorum inedita scripta diligenter imprimis ex catalogis celebrium in Europa Bibliothecarum, quales Bodlejana, Cottoniana, Lugduno-Batava, Regia Parisiensis, Cæsarea Vindobonensis & aliæ, enumeravit. Ne autem exiguum esse putes, quod novus hic Viri, laudibus nostris majoris, labor tibi præstitit, sexcentis minimum scriptoribus novis, eisque maximam partem satis hac nostra ætate obscuris, lucem eum restituisse scias; novarum vero de antea ab eo commemoratis observationum quis numerum valeat inire? Nec tamen hic indefessa ejus substitit industria, sed cuivis seculo historica Conciliorum omnium tam generalium quam particularium notitia accessit: in qua concinnanda non Labbeo-Cossartianos tantum Conciliorum tomos, quos & in tempore cujusvis concilii semper, nisi ubi manifesta ratio aliud suaderet, secutus fuit, consuluit; sed Collectanea quoque cujusvis gentis synodica, Armenica nimirum a Clemente Galano, Britannica ab H. Spelmanno, Gallica a Sirmondo, Hispanica a Loaisa & Ferdinando Mendoza publici juris facta: ea quoque curatius in tabulas redacturus, quæ ab Illustrissimo Cardinali de Aguirre publicæ luci nuper exposita fuerunt, si in tempore copia eorum fieri ipsi potuisset. Quamvis ne sic quidem pati potuerit, ut nullum plane ex vastissimo opere isto ad Historiam suam litterariam redundaret emolumentum: ea enim, quæ ad scriptores Hispanos pertinentia, in magnis istis Conciliorum Hispaniæ voluminibus pariter ac in Nic. Antonii Bibliotheca Hispana Vetere, ejusdem Ill. Cardinalis auspiciis haud ita pridem edita, occurrunt, sub addendorum titulo huic operi suo Caveus subtexuit.

Et ista quidem libri generatim spectati ratio; per singula autem ire nec genius ejus, nec institutum nostrum pati videtur. Ne nimis tamen breves in præstantissimo opere nos esse aliquis conqueratur, quid passim doctissimus Autor, contra alios viros doctos, qui subinde ipsum vellicarunt, vel alia ratione a veritate aberrarunt, monuerit, exponere, selectasque quasdam ejus observationes speciminis loco adducere, placet. Inter adversarios ejus Casimirus Oudinus est, cui tamen ultra minas hactenus progredi datum non fuit, nec forsan in iis spargendis liberalis adeo fuisset, nisi leoni mortuo insultari sine periculo posse credidisset. Cum enim in Epistola de ratione studiorum suo-

suorum scriberet *se, ceteros inter* Cavum, *pluribus in locis contra se in Historia Scriptorum Ecclesiasticorum insurgentem, ea ratione correxisse, si viveret nunc, sententiis suis minus iniquus futurus, nec temere, quæ nescivit, condemnaturus esset:* eundemque de *Bonaventura & Thoma Aquinate jejune & aride egisse* quereretur; fatis suis Caveum nostrum jam concessisse existimabat. At vivit per Dei gratiam insigni Reipublicæ litterariæ emolumento Vir doctissimus, atque Oudino, melioribus Ecclesiæ temporibus intentus, quæsitam in Bonaventuris Thomisque & aliis sequiorum seculorum recrementis gloriam non invidens, causas tamen indicat, quæ sævas Oudini iras provocarunt. Nimirum plagii litterarii reum se peragi passim a Caveo, Vir ille bonus ægre tulerat: licet paucula fuerint ex infinitis, quæ ab illo ex Miræo, Vossio, Labbeo, aliisq; per integras quandoque paginas in Supplementum suum Bellarminianum translata esse, ne levissima quidem eorum, quorum plumis se ornaverat, facta mentione, Caveus ostendit. Danielem Larroquanum, in Præf. ad Parentis sui Adversaria, vitio sibi vertisse miratur, omissum, inter cetera antiquorum loca, Lactantii de Romano Petri Episcopatu testimonium, quod insigne plane in libro ejus de mortibus Persecutorum extat. In appendice enim ad vitam S. Petri, ubi ex instituto veterum suffragiis illum Petri Episcopatum fulsit, diserte se monuisse ait, se hujus rei testes Origene juniores allegare nolle, ac proinde Cypriani, Arnobii, Lactantii, Eusebii, Athanasii, Epiphanii, Ambrosii, Optati, Hieronymi, Augustini aliorumque loca a sciente volenteque prætermissa fuisse. Temere autem etiam Pearsono hanc dicam a Larroquano scribi ostendit, utpote qui in Dissert. de serie Romanorum Pontificum c.7 num.4 testimonium Lactantii diserte allegaverit. Autorem Gallum, qui in dissert. de legione Thebæa doctiss. Virum erroris redarguerat, quod apud Concilium Valentinum seculo VII celebratum, Cæsarium, Arelatensem Episcopum, in pelagianismi suspicionem adductum fuisse scripserat, erroris convincit ipse. Cypriani, qui Cæsarii fuit Diaconus, vitamq; ejus consignavit, autoritate id affirmaverat Caveus, at nullam eam esse statuit Autor Gallus, nullumq; esse Concilium istud, cum nulla ejus in editis conciliorum tomis tria tantum Concilia Valentina, anno 374, 684 & 855 celebrata memorantium, mentio habeatur, existimat. Verum monet doctissimus Caveus, multa a Scriptoribus Ecclesiasticis memorari Concilia, quorum in

editis Conciliorum tomis nec vola superfit nec vestigium. Imo habere etiam Concilium Valentinum anni 530, de quo controversia ipsi mota fuit, locum in editione Conciliorum Labbeana T. IV Col. 1678, miratur non observasse adversarium, qui oculatus adeo videri cupiat. Quem sine omni etiam causa Cypriani rejicere autoritatem, scriptoris, cui prudentiæ pariter ac elegantiæ laudem ipsemet derogare non audeat, observat. Quod enim impostorem forsan Cypriani personam induisse ait, id suspicionem esse nullo tibicine subnixam, simpliciterque adeo rejiciendam, Caveus noster censet. At illum vix condonandum Critico Gallo errorem esse arbitratur, quod Cyprianum Cæsarii Diaconum cum Cypriano Episcopo Tholonensi confundit, qui Concilio II. Arausicano subscripsit, quemque Cæsarius ad Synodum istam Valentinam, de qua sermo hactenus fuit, ablegavit. Diversos enim fuisse eos, ex ipsa Cæsarii Vita liquido constare, & pluribus docere Carolum Cointum T. I. p. 620, monet. A doctissimo Whartono frustra etiam se (*in Auct. ad Hist. Dogm. Usser. p. 377*) peti, eo quod in recensendis Ælfrici scriptis, Grammaticam ejus & Lexicon Latino Saxonicum operibus illius ineditis accensuisset, quæ dudum a Somnero evulgata esse Whartonus existimat, docet. Edidisse enim quidem Somnerum Ælfrici Grammaticam & Glossarium ad finem Glossarii sui Oxonii anno 1659, at plane diversum ab edito Ælfrici Glossarium extare MS. in Bibliotheca Cottoniana & D. Joannis Oxon. quod norint omnes, qui in studiis istis hospites non sunt, & diserte moneat Hickesius in Catalogo librorum septentrionalium Grammaticæ suæ Anglo Saxonicæ subjuncto.

Jam non prolixi erimus in recensendis iis, quæ ad castigandum Schelstratium, XXV annorum Episcopatum Petrum Romæ obiisse defendentem: Dodwellum, ab Eusebio profecta esse, quæ in Hieronymiano Chronico de illo Petri Episcopatu habentur, existimantem: Dallæum & Larroquanum, autoritatem epistolæ Polycarpi impugnantes: Tenzelium, cujus, communem ei cum Dallæo, sententiam, de epistola illa ab interpolatore Ignatiano interpolata, nuper quoque pro more suo eruditissime denuo refutavit Max. Reverendus Ittigius noster, in Cap. X Appendicis Dissertationis de Hæresiarchis, attulit. Nec ea fusius persequemur, quæ contra Mastrichtium, Canones antiquitus in Diptycha relatos esse statuentem: contra Guido-

nem

nem Fabricium Boderianum, Severi Antiocheni librum de ritibus Baptiſmi & S. Syntaxeos, apud Cyros Chriſtianos receptis, Severo Alexandrino tribuentem: contra Baronium & Binium, œcumenicam Concilii Conſtantinopolitani IV, quod Trullanum etiam & Quini-ſextum appellatur, autoritatem negantes: contra Lambecium, duos nobis Athanaſios, quorum juniori nonnulla ſubleſtæ fidei, in Synodo Nicæna II allegata, tribuat, perperam cudentem: contra Cangium, apud Cedrenum in numero Epiſcoporum, qui Concilio Conſtantinopolitano V interfuerunt, vitium eſſe, & λή pro τλή legi jubentem: contra Tollium περίβλεπτον μονήν, *cœnobium illuſtre* vertentem, cum Περίβλεπτος nomen proprium cœnobii, in quo Euthymius Zigabenus quondam floruit, fuerit; & ejusdem Euthymii Damnationem Meſſalianorum, a ſe inter Inſignia Itineris Italici editam, pro appendice Panopliæ ejus habentem; quam oratiunculam potius in ſolenni quadam panegyri recitatam eſſe, ex Præfatione & peroratione Caveus colligit, eaque occaſione datam a nobis in Actis Er. anni 1696 p. 299 fidem de edendis Capitibus hæreſeos Maſſalianorum urget, quam dudum liberaſſemus, niſi aliis omnibus potius obſtetricantes manus porrigerent Bibliopolæ; quæ cauſa etiam eſt, cur Procopii Gazæi Commentarius in Heptateuchum & Canticum, quem Græce ac Latine cum notis a Clariſſimo Oleario noſtro publicæ luci expoſitum propediem iri Caveus ſuo loco memorat, prælo licet paratus adhucdum prematur) aliosque diſputat. Ea vero paulo diſtinƈte magis repetere nobis liceat, quæ contra doƈtiſſimos Viros Humphredum Hodium, & Chr. Wagnerum quondam eheu! noſtrum de Malala & Geneſio Chronographis accuratiſſime obſervavit. Seculi IX Scriptorem Malalam eſſe Hodius defenderat, at Juſtiniano Seniore imperante & paulo poſt eum floruiſſe Caveus exiſtimat, eamque ſententiam olim etiam Chilmeadus, qui primus de Malala edendo cogitavit, amplexus fuerat. Argumenta illius rei ipſi ſequentia ſunt. Primum quod in MS. codice Barocciano, unde deſcriptum Malalæ Chronicon fuit, paucæ tantummodo in fine plagulæ deſint: unde merito colligatur, autorem ultra Juſtiniani obitum hiſtoriam ſuam non multum produxiſſe. Quod enim dicitur, potuiſſe alteram hujus hiſtoriæ partem extare, quæ invido fato perierit, id gratis & ſine ullo idoneo argumento affirmari. Deinde in deſcribendis Imperatoris

Justitiani temporibus Malalam, in ceterorum Imperatorum rebus exponendis brevissimum, copiosum adeo esse, & tam solicite singulas rerum circumstantias persequi, ut dubium non sit, eum illis, præcipue quantum ad ultima Justiniani tempora, quæ prolixissime describit, interfuisse. Nec obstare, quod nunquam Malala de rebus istis tanquam a se visis loquatur, aut sui familiæque suæ mentionem injiciat; fieri enim hoc aliorum summorum Historicorum exemplo: multo minus, quod ad acta civitatis publica aliquando provocet; id enim facere etiam eum, qui rebus interfuit, ad majorem dictis suis conciliandam fidem posse. Tertio nunquam Malalam, in Justiniani rebus versantem, autores rerum a se traditarum allegare, quod semper faciat tamen in decessorum ejus historia; cujus rei nulla alia ratio reddi possit, quam quod res illas vel ipse viderit, vel ex recenti memoria acceptas tradiderit posteris. Quarto a Joanne Damasceno, qui circa annum DCCXXX claruit, diserte citari Chronographiam Malalianam in Orat. III de Imagin. p. 776. Sed maxime obstat illi, quam Malalæ Caveus tribuit, ætati, quod Clementem & Theophilum, hunc seculi octavi, illum septimi scriptorem allegaverit. At unde, inquit Noster, de illa duorum istorum Chronographorum tam sera ætate constat? Clementem octavo seculo scripsisse, nullo alio fundamento nititur, quam quod Anonymus demonstrationum Chronographicarum autor, quem in Originum Constantinopolitanarum manipulo edidit Combefisius, de statua quadam Theodosii M. agens, Clementem alleget dicentem, *similes variæque formæ marmoreas statuas Constantini Constantii filii esse.* Ubi tamen, si Caveus audiendus est, per Constantinum Constantii filium non necessario, quod Combefisius in notis vult, Constantinus Pogonatus, qui seculo VII imperavit, intelligatur, cum Magnum quoq; Constantinum, Κωνςαντῖνον υἱὸν τοῦ Κωνςάντιου appellent Theophanes p. 6. & ipse Malala p. 1. quod omnem argumenti illius vim penitus evertit. Quantum ad Theophilum a Malala citatum, verum quidem est, Abulpharajum Theophili cujusdam Chronographi meminisse, qui Seculo VIII exeunte floruit, at illum eundem esse cum Theophilo a Malala allegato, evinci nullo argumento potest. Atque observatione dignum Caveo videtur, quod Theophilum post Neronis tempora nunquam de rebus historicis Malala alleget. Cujus rei rationem nullam reddi posse putat, si paulo ante VIII seculum absolutum ille vixisset,

xiſſet, hiſtoriamque ſuam ad Irenes Imperatricis tempora usque perduxiſſet. Probabilis itaque illi videtur Jo. Felli conjectura, qui ſtatuit, Theophilum illum eundem cum Antiocheno Theophilo fuiſſe, librorum ad Autolycum autore. Quemadmodum & Clementem putat eundem eſſe cum Clemente Hiſtorico apud Suidam memorato, hiſtoriæ Romanorum Regum & Imperatorum autore, quem ſeculo IV ſcripſiſſe inde colligit, quod Hieronymo cuidam, teſte Suida, opus ſuum dedicaverit. Hieronymum enim illum eundem eſſe cum Presbytero Dalmata, qui ſcripſit Hiſtoriam SS. Patrum Ægypti,& circa annum 386 potiſſimum effloruit, perſuaſum habet. Fabulas denique & errores, in Malalæ opere obvios, argumentum contra ætatem ei a ſe aſſignatam ſuppeditare non poſſe,inde evincit,quod idem morbus alios quoque iſtorum, imo antiquiorum etiam, temporum ſcriptores invaſiſſe deprehendatur. Sed ut ad Geneſium perveniamus,cujus Hiſtoriam Imperatorum Byzantinorum, Leonis Armeni,Michaelis Balbi, Theophili, Michaelis & Baſilii Macedonis, neſcio quod invidum fatum ex Bibliothecæ noſtræ Paulinæ forulis in publicam lucem protrahere, & celeberrimum Boſium & doctiſſimum Wagnerum noſtrum prohibuit; abjudicaverat ei Wagnerus Hiſtoriam illam manuſcriptam, veros autores Georgium & Theophanem eſſe exiſtimans. In hanc eum ſententiam induxerant Jambi Olympii cujusdam, qui codicem hunc manu ſua deſcripſerat, calci operis ſubnexi. Illos ſatis corrupte ſcriptos, prout in codice repræſentantur, hic exhibebimus:

*Λȣῖσθος ἀνὴρ ἄρισος ὡς ἐγὼ κρίνω*
*Γεωργίȣ τέ φημὶ καὶ Θεοφάνȣς*
*Τῶν χρονογράφων τῆσ δε τῆς βίβλȣ πάτερ*
*Ἰωάννη σοὶ λάβε* (vel *ταύτης*) *φίλε Δαιμόνων*
*Δῆιοκαισαρείας τῆς Ἀναζάρβης.*
*Ὀλύμπιος Ὀλύμπιος*

Corruptiſſimos Jambos hoſce eſſe vidit B. Wagnerus, eſſeque in iis nonnulla, quæ non ſatis intelligat, ingenue faſſus eſt. Id tamen dubio carere exiſtimavit, quod Georgium & Theophanem illi, Joannis *τȣ͂ τῶν προέδρων πρώτȣ καὶ θύτȣ Δικαιοσαρείας* filios, hiſtoriæ illius autores prodant. Indeque ſuſpicio ipſi ſubnata fuit,codici MS. Paulino ΓΕΩΡΤΙΟΥ nomen primum adſcriptum fuiſſe, poſtea vero cum litteræ quædam hujus nominis evanuiſſent, nonneminem lacunas ex-

pletu-

pleturum ΓΕΝΕΣΙΟΥ nomen efformasse. Verum quemadmodum nullæ diversæ manus vestigia conjecturam hanc probabilem reddunt, ita non dubitamus, veram esse Doctiss. Cavei sententiam, qui omnino Genesio opus istud vindicandum censet. Ejus rei ille argumentum habet fidem Joannis Scylitzæ Curopalatæ, qui in præfatione operis sui, in editione Græco-Latina Parisiensi male omissa, sed in versione Latina, quæ Venetiis A. 1570 ab Jo. Bapt. Gautoreio prodiit, repræsentata, diserte Genesium inter Historicos Byzantinos recenset. Jambos vero, qui B. Wagnerum nostrum seduxerunt, advovato ad consilium ferendum Eduardo Bernardo, ita restituendos & explicandos esse Caveus existimat;

Λόισθων ἀνὴρ ἄριςος ὡς ἐγὼ κρίνω,
Γεωργίȣ τε φημὶ καὶ Θεωφάνȣς
Τῶν χρονογράφων, ὁ τῆσδε τῆς βίβλȣ πατὴρ,
Ἰωάννη σοὶ λάβε, φίλε δαιμόνων,
Ὁ τῶν προέδρων πρῶτος, ἀλλὰ καὶ θύτης
Διοκαισαρείας τῆς Ἀναζάρβης. i. e.

*Inter recentes scriptores optimus, quantum ego arbitror, Georgium, inquam* (Syncellum) *& Theophanem, chronologos, est hujus libri autor* (Josephus Genesius.) *Sume ergo tibi, Joannes, hoc opus, vir dilecte Deo, Præsulum primus atque etiam Episcopus, sive Sacerdos Diocæsareæ, quæ est Anazarba.*

Superest nobis ingens egregiarum observationum numerus, quarum mentionem hic facere volebamus, quales sunt, quas ad illustrandam Dodwelli sententiam, de posteriore epistolæ Barnabæ parte, quam (*in Diss. ad Iren. p. 56.* διδαχὴν ejus esse opinatur, attulit: item quæ de Fl. Josephi testimonio, quo Christum ornavit, contra Tan. Fabrum: de laterculo catalogum operum Hippolyti exhibente, ex recentissimis Eduardi Bernardi, & Thomæ Gale, Decani hodie Eboracensis, conjecturis: de Palladio Historiæ Lausiacæ autore, quem eundem cum autore libri de gentibus Indiæ & de Brachmanibus esse, ex codice Galeano, & loco quodam in Vita Chrysostomi pariter, ac libro illo de gentibus Indiæ obvio, conjicit; de Josepho Hypomnestici autore, quem librum accurate simul describit: de œcumenica Concilii Nicæni II autoritate, & allegatis in iis, pro cultu imaginum, Patrum testimoniis: De Manichæis & Manetis scriptis, formulaque abjuratio-

nis

nis Manichaiſmi a Goaro (p. 885) peſſime explicata, aliisque præclariſsimis rebus monuit. Verum jam prolixiores fuimus, quam fert inſtituti noſtri ratio; proinde inviti licet a jucundiſſimo opere diſcedere tandem aliquando cogimur. Cum tamen noſtra culpa factum ſit, ut, ubi de Photio Vir doctiſſimus agit, dubitet, an, quod fama publica tulit, in Gudiana Bibliotheca Lexicon ejus inveniatur, non poſſumus non, antequam id faciamus, certiora ea de re edocti, monere, omnino præſtantiſſimum illum theſaurum, quem duo ſatis ſpiſſa volumina membranacea in fol. complectuntur, in Bibliotheca iſta aſſervari.

At de Appendice pauca adhuc erunt dicenda. In illa ſupplentur ea, quæ de ſeculo Wicleviano & Synodali in priori Hiſtoriæ Litterariæ parte doctiſſimus Whartonus commentatus fuerat. Atque eam quidem operam ipſemet Reipublicæ litterariæ ſe navaturum jam ſpem fecerat, cum præmaturum fatum hoc pariter, ac alia ejus præclara molimina, anteverteret. Succeſſit itaque ei in iſto labore Robertus Gerius, Cavei noſtri gener doctiſſimus, qui præterquam quod Scriptores aliquammultos a Whartono prætermiſſos obſervavit, in eo præcipue aſſiduum ſe præſtitit, ut deliteſcentes paſſim in Bibliothecarum forulis ineditos ſcriptorum illius ætatis fœtus indicaret, atque conciliorum Synopſin utriusque ſeculi ſcriptoribus ſubtexeret.

Jam ad Diſſertationes præclariſſimo huic operi ſubjunctas deveniendum tandem, quarum prima de Scriptoribus Eccleſiaſticis incertæ ætatis agit, quos non omnes quidem, ſed ſelectos, nec ita facile obvios, alphabetico ordine digeſtos exhibuit, iis quoque omiſſis, quos primæ Hiſtoriæ Litterariæ parti, poſt ſeculum VI imprimis, olim Autor inſeruerat. Obſcuri adeo illi quoad partem longe maximam ſunt, ut vix quidquam, præter nomina & ſcripta eorum, annotare licuerit. De nonnullorum tamen ætate etiam, & dignitate, quam in Eccleſia ſuſtinuere, conjecturas ſuas proponere auſus fuit. Sic enim v. g. Philonem Rhetorem & Philoſophum, cujus Hiſtoriam Eccleſiaſticam Anaſtaſius Sinaita laudat, eundem eſſe credit cum Philone Carpaſii in Cypro Epiſcopo, de quo ad annum CCCCI prolixius egit. Hanc vero conjecturam ſuam egregie confirmari putat eo, quod Polybius Rhinocurorum Epiſcopus, poſterioris partis Vitæ Epiphanianæ ſcriptor, cap. 49 diſerte tradat, Philonem Carpaſioten fuiſſe

κληρικὸν ἀπὸ ῥητόρων, cujus muneris, pariter ac Philoſophi, in Ecclesia rationem luculente ſimul explicatam dedit.

Diſſertationem ſecundam de libris & officiis eccleſiaſticis Græcorum, non in doctorum, ſed in juniorum φιλαρχαίων gratiam ſe ſcripſiſſe Autor monet. Scopum ſibi in ea illum præfixum fuiſſe ait, ut cum Leo Allatius in gemina Diſſ. ſua de Libris Eccleſiaſticis Græcorum, potiores ſolummodo & uſitatiores divinorum officiorum libros uberiore vena perſecutus fuerit, ipſe minutiores etiam libellos, & particulares magni alicujus operis vel officii formulas & διατάξεις, ſed ſumma brevitate percenſeat. Quamvis autem Lectores facile iſta, & longe plura, ex Lexicographis Eccleſiaſticis, aliisque, qui de his fuſius ſcripſerunt, petere queant, prodeſſe tamen hancce operam ſuam poſſe iis, qui libris ad hunc uſum commodis deſtituti ſunt, confidit. Quibus ut uſum diſſertationis hujus eo faciliorem redderet, alphabetico ordine uti voluit.

Diſſertatio tertia eruditionem eccleſiaſticam ſummam undique ſpirans, Joanni Clerico eſt oppoſita. Ille enim in vita Euſebii Cæſarienſis Tomo X Bibliothecæ Univerſalis p. 474 inſerta, & nuper cum aliis quibusdam Patrum vitis, ab eodem Clerico, ſi Caveus audiendus eſt, peſſimo fine concinnatis, Anglico idiomate Unitariis curantibus edita, acerbe ſatis Caveum vellicaverat, quod in Vitis Patrum pariter, ac in Hiſtoria Litteraria, Euſebium ab Arianiſmi hæreſi immunem pronunciaſſet. Cumque inde occaſionem nactus fuerit Clericus, fidem Cavei hiſtoricam in ſuſpicicionem adducendi, quod charitatis Chriſtianæ parum obſervantes eſſe dixiſſet, qui dicam iſtam Euſebio ſcripſerunt: & Euſebii, & ſuam cauſam agendam Vir doctiſſimus ſuſcepit, prolixius quidem illam, hanc pauciſſimis. Sed de ſingulis accuratius diſpiciendum.

Antiquam igitur eſſe de Euſebii Cæſarienſis Arianiſmo ſuſpicionem agnoſcit, utpote quæ jam olim Athanaſii, Euſtathii Antiocheni, Marcelli Ancyrani, Epiphanii, Hilarii, Hieronymi, Antipatri Boſtrenſis, Patrum Concilii II Nicæni & poſt illos Græcorum pene univerſorum ſederit animis. Et quamvis recentioribus temporibus iſtam ſuſpicionem mirum in modum augere conati fuerint Baronius, Euſebio ob ſuppeditata contra donationem Conſtantini tela iniquus, & Dionyſius Petavius; operam tamen eos & oleum pariter ac Clericum

cum perdidisse existimat. Quod ut evidentissimum faciat, universæ huic disceptationi suæ fundamenti quasi loco substernit receptissimas duas inter Theologos veteres æque ac recentiores regulas, ad mysteria ista explicanda prorsus necessarias. Prima earum est: *in Personis SS.& individuæ Trinitatis Pater tanquam fons & principium Deitatis considerandus est.* Altera: *si qua in scriptis Sanctorum Patrum occurrant dicta, quæ Filium Patre minorem vel inferiorem facere videantur, vel ad subordinationem Filii ad Patrem, vel ad progressum ejus ex Patre ad condenda universa, vel denique ad τὴν κατὰ σάρκα οἰκονομίαν referenda sunt.* Primam harum regularum multis Patrum locis illustrat; posteriorem a Bullo & ipso Petavio orthodoxorum Patrum suffragiis abunde firmatam jam esse dicit. Ut tamen rem in tanto majori luce collocet, Patrum etiam, qui post Concilium Nicænum floruere, orthodoxorum loca allegavit, quibus Patrem μείζονα τȣ̃ ὑιȣ̃ esse agnovere διὰ τὴν ἐξ ἀυτȣ̃ γέννησιν, & reliquas causas in regula allegatas. His factis, quinque theses Vir doctissimus proponit, ad istud negotium pertinentes, de quibus orthodoxam primum, dein Arianam, & denique Eusebianam sententiam exponit, ut pateat, utrum ad Arianos, an vero ad orthodoxos Eusebius propius accesserit. Prima thesis est: *D.N. Jesus Christus præter humanam, qua carne indutus, naturam, habet ut Dei filius revera divinam.* Luculenta sunt, quibus thesin hanc Eusebium amplexum esse probat, loca. Quem, si alicubi Patrem solum Deum esse pronunciet, non de essentia divina, sed de ingenito principio intelligendum esse, ex innumeris ipsius locis constare ostendit. Ad locum vero Eusebii ex epistola ejus ad Euphrationem ab Athanasio (*de Synodo Arimin. p. 683*) & in Actis Concilii Nicæni II. (*Act. VI. Col. 497*) citatum, quo Filium quidem Θεὸν, ἀλλ᾽ ȣ̓κ ἀληθινὸν Θεὸν esse dicit, respondet Noster, mutilatum eum esse. Suspicionem tamen esse, respexisse Eusebium ad verba Christi Joan. XVII, 3. quam conjecturam plane confirment ea, quæ leguntur apud Eusebium contra Marcell. L. I. p. 27. Optime autem, quid sibi hujusmodi verbis voluerit, explicare ipsum Eusebium de Eccl. Th. l. 2. c. 23, Patrem nempe esse solum verum Filii fontem & originem, Filium Patris imaginem, hocque ipsum innuisse Servatorem loco Joannis allegato: similiterque istum locum etiam eum interpretari in Dem. Evang. L. V. c. 17. Secunda thesis est: *Divinam hanc naturam Pater ingenitus suo*

 *Filio*

*Filio dedit & communicavit*; de qua pariter ac de tertia: *Quod nimirum hæc essentiæ divinæ communicatio in sacra Scriptura, & a sanctis Patribus Filii generatio dicatur*, Eusebium orthodoxe sensisse, minori negotio probat. At paulo majore cum apparatu Eusebii ὀρθοδοξίαν circa thesin quartam defendit. Dicit illa: *Essentiam divinam, quam Pater cum Filio communicat, ejusdem esse naturæ cum substantia Patris.* Eam vero ex animi sententia Eusebium amplexum non esse, multis eo persuasum fuit, quod ὁμουσίυ vocem tam diu impugnaverit. At istud præjudicium ut removeat, disertissima primum loca Eusebii adducit, e quibus rem ipsam eum firmiter tenuisse constet. Deinde vero etiam illud urget, quod Eusebius fidei Nicænæ subscripserit, atque eo ipso & Arii dogmata condemnaverit, & ὁμουσίυ vocem receperit. Hæsitationis vero causam non aliam fuisse ostendit, quam quod illa voce Filium essentiæ divinæ partem dici arbitraretur. Superest quinta thesis, affirmans, *Patrem cum Filio suo divinam essentiam ab æterno communicasse*: quam postquam Eusebium docuisse clarissimis locis ejus evicisset, redit ad subscriptionem, qua Concilii Nicæni decreta, & inter ea ὁμουσίυ vocem, approbavit. Quam cum parum sinceram fuisse post Petavium Clericus ostendere nitatur, ex instituto Eusebii candorem defendendum suscepit, Eusebii epistola de fide ad Cæsarienses suos, quam nobis conservavit Socrates L. I. c. 8. H. E. & alii, in auxilium potissimum vocata, & veterum pariter ac recentiorum sententiis de ejus rebus gestis in Concilio allegatis. Commercium, quod cum Arianis Eusebio intercessit, exiguum admodum contra orthodoxiam ejus argumentum suppeditare, per se quemvis deprehendere posse arbitratur. Quomodo enim ab eorum colloquiis, in aula Imperatoris, ad quem Arianorum primipili confluere solebant, assidue versatus, abstinere penitus potuisset? Quid quod tegebant venenum homines callidi, nec facile nefanda mysteria sua prodebant. Σκληρὺς autem λόγυς de Christi divinitate nonnunquam excidisse Eusebio, non mirum esse de homine Platonismo & Origenismo penitus imbuto, quem tamen orrhodoxe sensisse evidentissima loca ejus evincant.

Hisce demonstratis, fundamentum Clerici, fidem suam historicam in dubium vocantis, sese evertisse Caveus arbitratur. Quam illibatam perstituram esse merito existimat, licet etiam detur Clerico, incer-

incertam & dubiam esse Eusebii ὀρθοδοξίαν. Quæ enim culpa, defendere eum, cujus causam dudum Socrates, Theodoritus, Gelasius, Valesius, Montacutius & alii susceperunt? Panegyristam vero & Rhetorem Caveum in Vitis Patrum a se editis agere, ægre forsan Clericus probabit, qui nihil in iis affirmatum inveniet, quod optimis genuinæ antiquitatis testimoniis firmiter non innitatur.

## *CASPARIS ZIEGLERI, JCTI ET ANTECESSORIS QUONdam Wittenbergensis, Decisiones XXXI, in quibus casus quidam rariores subjectis rationibus deciduntur.*

Lipsiæ, sumtibus Heredum Lanckisianorum, 1699, in 4.
Constant 1. alph. 4. plag.

QUi, dum viveret, de republica & civili & literaria meritus egregie est Zieglerus, is etiam post mortem de utraque bene mereri non desinit, dum divini ingenii monumenta heredes typis publicis exscribi curant. Atque ex hoc numero etiam est præsens Decisionum opus, mole quidem sua exiguum, sed eruditioneZiegleriana, hoc est, solida atque educumata, penitus refertum; id quod aliquot exemplis Lectori benevolo adprobasse satis erit. In Decis. I. ostenditur, quod pater filio majorenni nec furioso, inutiliter testamento det curatorem, quia scilicet terminum a lege positum transilire, ac jus filio inde quæsitum ei auferre nequit. In Decis. 3. deducitur, quod conductori in pensione fieri debeat remissio, etiam tum, quando jam collegit fructus, sed nondum excussos aut trituratos per vim majorem amisit; cum ante triturationem nondum plene videantur ab eodem percepti fructus. Decis. 4. docetur, quod in processu diffamatorio, diffamanti, post trinam citationem contumaciter emanenti, perpetuum silentium queat imponi, licet accusationem contumaciæ, in singulis terminis factam, nulla sententia interlocutoria fuerit secuta; cum ad contumaciæ essentiam nulla sententia requiratur, adeoque hac licet cessante, illius tamen pœna sequi possit. Decis. 6. successoribus feudalibus, deficiente allodio imponit necessitatem solvendi impensas funebres in exequiis Vasalli defuncti factas: quia enim ejus locum in feudo subire volunt, ideo ipsis efficiendum est, quo defunctus cum

honore ex eodem removeatur. Decis. 10. Magistratibus inferioribus, merum licet imperium habentibus, abjudicat potestatem, fustigationem aut relegationem in multam pecuniariam convertendi; quia talis potestas ipsis ab Imperante communicata non est, inprimis in Saxonia Electorali, docente id rescripto aliquo Dresdensi de anno 1625. In Decis. 20. Noster deducit, quod is, qui jure pontonis, der Fähr-Gerechtigkeit, investitus est, flumine novum alveum efficiente, prohibere nequeat, quominus agricolæ, qui ob istam mutationem, ad prædia sua, nisi trajecto flumine, pervenire non possunt, proprium pontonem in agriculturæ usum sibi comparent; quia nimirum investiti privilegium ad hunc novum alveum extendi nequit, præterea agricolæ non lucri, sed fructuum solum colligendorum causa, pontonem exercent. In Decis. 23. demonstrat, quod legatarii ex testamentis ascendentium, præferendi sint creditoribus filiorum hypothecariis, nulla licet separatione bonorum petita, quod illi habeant antiquiorem hypothecam, & res legatas filius pro suis debitis valide aliis oppignorare non possit. In Decis. 25. pro Rauchbaro p. 1. qu. 38. n. 47. contra Carpzovium Decis. 73. Noster strenue pugnat, ostenditque, quod in feudo etiam creditores patris chirographarii præferendi sint creditoribus filiorum hypothecariis posterioribus; quia scilicet filii de feudo paterno cum effectu aliquid disponere non possunt, nisi illud ab omnibus debitis paternis liberaverint. In Decis. 28. docet, quod vidua nobilis in concursu creditorum non gaudeat privilegio prælationis respectu dotalitii, quod una cum dote ex pactis dotalibus petit; quia hoc casu dotalitium merum sit lucrum.

## HISTOIRE DU NESTORIANISME &c.

i. e.

## *HISTORIA NESTORIANISMI, AUCTORE P. LUDOVICO DOUCIN, e Soc. Jesu.*

Roterodami, apud R. Leers, 1698. 4. Alph. 3. plag. 2.

CONflictandum Ecclesiæ Christianæ semper fuit cum cœlestis doctrinæ depravatoribus, qui tanto majorem illi intulerunt cladem, quanto plures nacti sunt sectatores & asseclas. Non ulla tamen temere

mere hæreſis aut latius ſparſa diſſeminataque, aut & diuturnitate & propugnatorum multitudine pariter ac præſtantia exitiabilior illi fuit, turbasque majores dedit, quam quæ aut auctore & inventore, aut, reſtauratore & interpolatore Neſtorio, in ſenam prodiit, ab eoque nomen retulit. Hujus fata qui obſervarent & litterarum conſecrarent monumentis, uti non defuerunt inter antiquos: ita & recentior ætas tulit, qui colligerent ea, ejusque condere hiſtoriam aggrederentur. Hos inter nunc doctiſſimus quoque Vir Ludovicus Doucinus compareret, qui ſaltem induſtriam tantam ad hoc negotium attulit, quantam forte ante eum nemo. Is hanc nimirum hiſtoriam, apte partibus omnibus inter ſe colligatis, & compto nitidoque dicendi genere exornatam, in hoc, quod nunc ſiſtimus, volumine exhibet: quæ autem in controverſiam hic ſubinde vocantur, ea peculiaribus explicare diſſertationibus ſecum conſtituit, easque ſeorſim ſe editurum promiſit. Quas dum expectamus, ex hocce opere quædam, præſertim in quibus ab aliis diſſentire viſus eſt Auctor, decerpemus.

Natus eſt Neſtorius (ex mente Auctoris nunc loquimur) Germaniciæ, quæ eſt Syriæ urbs exigua, non procul ab Euphrate ſita, poſtquam iis literis, quibus imbui tenera ætas ſolet, animum erudiverat, peregrinas quoque luſtrare oras, e re ſua eſſe duxit. Innotuit ita Theodoro Mopſueſteno Epiſcopo, theologiæ pariter ac bonarum artium antiſtiti ſummo & eminentiſſimo. Ab hujus ore cum multis aliis pependit Neſtorius, hujusque diſciplina formatus fuit. Cum antea ſecum ſtatuiſſet, docendi aliquando munus capeſſere, eoque ut rite fungi poſſet, eloquentiæ litare, Antiochiam conceſſit, urbem celebrem ea ætate, & his ſtudiis maxime florentem. Erat in eadem urbe monaſterium S. Euprepiæ, fœcunda præſtantiſſimorum oratorum mater, in quo & Neſtorius ſe abdidit, ferentibus ita fatis, ut Theodoreto, & Joanni Antiocheno poſtea Epiſcopo, arctiori amicitiæ fœdere jungeretur, eos aliquando novæ doctrinæ propugnatores & hyperaſpidas habiturus. A Theodoto Antiocheno tunc temporis Epiſcopo Catechiſta conſtitutus, quo munere & Chryſoſtomus functus erat, cum ad ſedem Conſtantinopolitanam evocaretur; quod dum & Neſtorio contingebat, novum illis ſuppeditabatur argumentum, qui in Neſtorio Chryſoſtomum revixiſſe, ſibi aliisque perſuadebant. Cum ergo Conſtantinopolin iret Neſtorius, eum prius ad Theodorum iſtum

Lib. I.

ſtum Mopſueſtenum deflexiſſe iter, ſunt, qui autumant,ut ſcilicet cum eo de ratione nova iſta dogmata, quæ a magiſtro hauſerat diſcipulus, ſpargendi ac latius diſſeminandi communicaret conſilia. A quibus Noſter ſibi diſſentiendum duxit, eo quod Theodoretus aſſerat, Theodorum jam mortuum fuiſſe ante Theodorum anteceſſorem Johannis Antiocheni, a quo trmen Neſtorius ſit conſecratus.

Cæterum cum non deſint (qui eſt ſeculi noſtri pruritus ſingularis, quo hæreticos excuſare, redarguere orthodoxos, nonnulli ſibi gloriæ ducunt,) qui ſi non defendere, ſaltem emollire placita Neſtorii audeant, his paſſim ſe opponit Noſter. Dicemus quidem hac de re infra; aſt nunc iſtud obſervamus, quod exiſtimet, vel ex Symbolo Neſtorii errores ejus patere omnibus quam luculentiſſime, quod adeo veteres dixerint *fontem novi Judaiſmi.* Refert illud ideo prolixius, ut id, quod diximus, inde colligat. Sed & de origine Neſtorianiſmi quid ſentiat Auctor, indicandum eſt. Neſtorium enim erroris hujus primum eſſe inventorem abnuit. Receptum paſſim in Oriente hunc errorem dicit, quo tempore eum Conſtantinopoli diſſeminare incipiebat Neſtorius. Comprobat hoc ex Epiſtolis Cyrilli ad Rabulam, ad Acacium alioſque; in quibus Diodorum Tarſenſem & Theodorum Mopſueſtenum hujus *impietatis patres* vocat, viamque ſuis veſtigiis ſignaſſe docet, quam poſtea ingreſſus ſit Neſtorius. Has autem epiſtolas genuinas eſſe, in Notis ſe demonſtraturum promittit; quemadmodum epiſtolam ad Sporanum, ex qua itidem multa, quæ ad indolem & mores Neſtorii ſpectant, deſumſit, notis ſuis ſe illuſtraturum, in ſe recepit. Dum vero in eo eſt, ut doceat, quo pacto diſſeminare inceperit errorem Neſtorius, Anaſtaſium quendam primum Conſtantinopoli velut ſignum aliquod ſuſtuliſſe, & hoc dogma in ſermone quodam ad populum propoſuiſſe contendit, rejicitque ſententiam illorum, qui Dorotheo cuidam tam præclari facinoris gloriam vendicant, eoſque verba Cyrilli, ex quibus boc elucere ſatagunt, minus accurate, ut decebat, perpendiſſe autumat. Cum inſtitutum Neſtorii jam evulgatum eſſet, præ cæteris ſanctiſſimum virum Cyrillum veritatis ſuſcepiſſe patrocinium conſtat. Obſervat hic Noſter, Neſtorium noluiſſe cum Cyrillo in iſtud deſcendere certamen, parteſque reſpondendi Photio aliiſque ſuarum partium hominibus demandaſſe. Interim ut breviori via iſtum hoſtem a ſe amoliretur, ſubornaſſe tres

viros

viros graviſſimis ſceleribus coinquinatos, qui accuſarent Cyrillum,& criminum fœdiſſimorum arguerent. Speraſſe enim eum, fore ut ab Imperatore cauſæ iſtius diſceptatio ſibi demandaretur,quo ipſo rationem redigendi in ordinem Cyrillum facile ſe inventurum fuerit confiſus. Atque hæc ita ſe habuiſſe ait, magnoque in errore & Baronium & Lupum verſari, qui ſecus hic ſentiant, & in Cyrillum conferant, quæ Neſtorio potius ſint tribuenda. Animis autem indies magis magisque in mutua certamina exardeſcentibus, eo res tandem deveniebat, ut non aliter, niſi Concilii decreto & auctoritate lis iſta finiri poſſe videretur. Provocaveritne autem Neſtorius prior ad Concilium, an Cyrillus, non omnes itidem conveniunt. Noſter autem rurſus ab iis diſſentit, qui Neſtorium Romani Pontificis atque Cyrilli ſententia condemnatum, primum concilii decreto ſe ſubmiſiſſe docent. Ex Cyrilli enim epiſtola ad ſuos clericos Conſtantinopoli agentes conſtare, quod Cyrillus rem in concilio expediri voluerit, priusquam a Neſtorio ejus ulla injiceretur mentio. Monachos quoque Cyrilli Conſtantinopoli agentes tam enixe ab Imperatore, ut convocaret concilium, petere auſos fuiſſe, ſi ipſe hoc non juſſiſſet, ſaltem conſenſiſſet Cyrillus, illi nullo modo fit veroſimile. Lupum quoque redarguit, aſſerentem, Imperatorem precibus demum Pelagianorum commotum, concilium convocaſſe: nullam quippe eum hujus ſententiæ ſuæ afferre poſſe rationem; quin obſtare omnes ſcriptores, tum antiquos tum recentiores, obſtare quoque epiſtolam Theodoſii ad Metropolitanos, in qua ne verbo quidem Pelagianorum injiciatur mentio. Aſt quod Evagrius aſſerat, Cyrillum poſtulaſſe concilium, id de literis per Baſilium exhibitis Imperatori intelligendum eſſe: namque cum jam id ageretur, ut locus concilii deſignaretur, anno nimirum quadringenteſimo triceſimo, Cyrillum decreto Cœleſtini Pontificis Romani inſiſtentem, de concilio parum fuiſſe ſollicitum; Neſtorium contra tunc omnibus viribus, ut convocaretur, contendiſſe. Nec tamen ſatis hic ſibi conſtare Evagrium obſervat, cum deinceps affirmet,precibus Neſtorii hoc dediſſe Imperatorem,ut concilium convocaret. Ut autem hic Evagrium, ita mox Socratem quoque notat, de Neſtorio hæc prodentem literis, quod a Concilio Epheſino damnatus Mariam demum matrem Dei ſalutare non dubitaverit. Etenim jam antea hac voce eum fuiſſe uſum, ad fallendos in-

cautos; ut ut pauci fuerint, qui non fraudes subolfecerint, intellexerintque, ita eum hac voce uti,ut longe aliud quid, quam quod orthodoxi ea innuant, ea significare voluerit. Cæterum Johannem Antiochenum & Nestorio favisse, & Cyrillo inimicum fuisse, neminem fugit, fuseque & accurate, quæ ad eum spectant, passim ab Auctore enarrantur. Hic cum formulam a Cyrillo editam, qua condemnabatur & diris devovebatur sententia Nestorii, atro rursus notari lapillo cuperet, negotium hoc Theodoreto Cyrensi Episcopo, & Andreæ Episcopo Samosatensi demandat. Et hunc quidem Ecclesiæ orientalis nomine scribere jussum esse, Noster refert, quod ita etiam præstiterit, ut a modestiæ lege nunquam recessisse videri queat. Maximam autem hujus hominis fuisse perfidiam & calliditatem affirmat, sive suam doctrinam exponeret,sive Cyrilli refelleret. Atque hinc facile aliquem, qui hoc scriptum minus accurate volvat, in eam induci posse sententiam autumat, ut Andream istum nihil, quod a veritate discrepet, asseruisse credat; in quam sententiam multi etiam recentiorum sint ingressi. Errasse autem hic Baronium quoque ostendit, quod docuerit, Andream hunc scripsisse post Concilium Ephesinum, nec tum, cum scriberet, Episcopum fuisse. Utrumque falsum esse dicit, idque facile posse demonstrari.

Secundum librum auspicatur Vir doctissimus commemorando, quæ in Concilio Ephesino gesta sint,cujus historiam diligenter texit. Cum plerique Antistites atque Doctores jam congregati essent, expectabatur tamen adhuc Johannes Antiochenus, Nestorii fidus Achates. Moram hanc defendisse Cousinum in præfatione historiæ Theodoreti præmissa observat. Ast fraudulenter & maligne hic se gessisse Johannem, istamque cunctationem ad defatigandos & eludendos Episcopos, qui Nestorio bellum indixerant, fuisse comparatam, Nostro vix dubium videtur. Provocat ad verba Relat. Synodi ad Cœlestinum: *Tanta enim dilatione malitiose usus est,ut ipsum anteverterint, qui longe majori viarum intercapedine distabant.* Similia & apud alios passim legi docet. Cum autem interea ante adventum Antiocheni Præsulis, eo quod ob varia incommoda, quibus cum illis, qui Ephesum venerant, confligandum erat,ibi diutius subsistere non possent, diesque concilio constitutus jampridem elapsus esset, ad id aggrederentur, cujus causa convenerant; Nestorii asseclæ hinc argumen-

mentum rationes concilii conturbandi arripiebant, obtendentes, nihil rite peragi aut concludi prius posse, quam & Johannes Antiochenus & Romani Episcopi legati advenissent. Se ergo ea, quæ gesta essent, pro irritis habere protestati sunt. Formula ista, ut Auctor refert, qua suam ita declararunt mentem, hodienum in Synodico exhibetur, præfertque nomina sexaginta & octo Episcoporum, qui eidem subscripserint. Ast conciliari hoc nullo modo cum actis concilii posse Noster docet, in quibus diserte dicatur, sex ante Johannis Antiocheni adventum diebus quadraginta quinque tantum Episcopos a Nestorio stetisse, etsi eo tempore septem tantum ab illo discesserant, cum postea plures etiam veritatis splendore convicti, eum itidem res suas sibi habere juberent. Porro inter hosce sexaginta & octo Episcopos Rabbulam quoq; Episcopum Edessenum connumerari observat, quem tamen Nestorio ita adversatum fuisse constet, ut pro veritate multa dura & aspera perpessus sit. Cæterum initio concilio huic centum & quinquaginta novem Antistites interfuisse asserit; postea autem eorum numerum ita crevisse, ut ducenti condemnationem Nestorii calculo suo comprobaverint, quibus postea & alii accesserint. Hæc & alia dum Auctor doctissimus edisserit, nullam tamen prætermittit occasionem ea extollendi, quæ ad Romani Pontificis præ ceteris eminentiam comprobandam & stabiliendam illi facere visa sunt. Vel unicum hujus rei afferemus documentum. Cum prolixe & diligenter exposuisset, quo pacto legati Romani Pontificis tandem Ephesum appulerint, & quæ ab iis in concilio gesta sint, Philippum tandem unum ex legatis Romani Episcopi, cum videret, Patres concilii promptos paratosque esse ea omnia agere, quæ nomine Pontificis ipse proposuerat, his verbis gratias illis egisse ait: Gratias agimus sanctæ venerandæque Synodo, quod literis sancti beatique Papæ nostri vobis recitatis, sancta membra, sanctis vestris vocibus, sancto capiti, sanctis etiam vestris acclamationibus vos adjunxeritis: non enim ignorat vestra Beatitudo, totius Fidei, vel etiam Apostolorum caput esse beatum Apostolum Petrum. Huc ergo adesse jubet, quotquot Romanum Pontificem pro capite Ecclesiæ agnoscere nolint, & veteris Ecclesiæ inspicere monumenta, ut inde discant, etiam ante Concilium Chalcedonense principem inter omnes Episcopos locum Romano Antistiti fuisse concessum, cumque pro capite & pastore universali Ecclesiæ fuisse habitum. Atque hinc porro con-

cludit,cum liquido inde constet,in Concilio Tridentino definitum nihil esse de Pontifice Romano, quod non veteris quoque Ecclesiæ testimonio hoc comprobetur, non esse, ut hac de re ceu clara & jam evicta amplius disputetur. Sed progredimur ad alia. Pelagianorum quoque Auctor clarissimus subinde mentionem injicit, quippe quibus turbæ a Nestorio excitatæ plane ex voto accidisse videbantur. Nestorius enim, ut eos ad suas partes pertraheret, haud obscure illis favebat. Nimirum intermortua jam fere videbatur Pelagii hæresis, cum auctore Cœlestio, viro diserto & docto, morumque probitate conspicuo, rursus in scenam prodiret. Hujus quædam propositiones cum in Milevitano & Carthaginensi Concilio condemnatæ essent, ipseque, quod subscribere condemnationi nollet, excommunicaretur, simulavit se provocaturum ad Romanam sedem. Ast neutiquam Romam, sed in Asiam se contulit, plurimosque placitis suis ibidem imbuit. Quod cum obscurum esse non posset Episcopis, primo Epheso, mox Constantinopoli ejectus, Romam abiit, & Zosimo Pontifici, ut erat homo callidus & versutus, persuasit, se causa non satis cognita & dijudicata condemnatum, simulque testatus est, se doctrinam suam Romanæ sedis decreto plane submissurum. Hoc modo obtinuit, ut ejus causa ad Africanas Ecclesias scriberet Zosimus, illisque injungeret, ut in rem istam iterum majori studio ac diligentia inquirerent, cum sibi vix verosimile fieret, hominem istum sapientem, doctum & probum, reum esse eorum errorum, quorum insimularetur. Ast Africani Episcopi tanta animi constantia, quod gesserant, defenderunt, ut Zosimus Romanus Pontifex mox aliam de Cœlestio & Pelagianis animo conceperit opinionem; ejusque vestigiis cum successores ejus insisterent, Cœlestius spe omni hac ratione sectæ suæ res stabiliendi excidebat. Nestorius autem initio, cum ex voto illi cuncta succedere viderentur, in Cœlestium & Pelagianos non erat mitior, sed refutavit illorum placita, mox & Constantinopoli eos abire jussit. Ast cum successus non responderet initiis, ne ab omnibus desertus videretur, ultro illorum amicitiam ambiit, auctorque illis fuit, ut in Concilio Ephesino comparerent. Tantum autem abest, ut aut Nestorius Pelagianorum ope, aut Pelagiani Nestorii patrocinio, quod utique speraverant, superiores evaserint, ut condemnati utrique sint atque rejecti. Hæc ideo fusius de Auctore retulimus, quod in hac narratione a Jansenio multum se dissentire, ipsemet profiteatur.

Nihil

Nihil temere in hiſtoria hæreſeos Neſtorianæ celebrius, quam tria iſta capitula, hoc eſt, ſcripta quædam Ibæ, Theodori Mopſueſteni & Theodoreti, quæ turbas graviſſimas in Eccleſia concitarunt, & novo Concilio dederunt occaſionem. Hæc in tertio hujus operis libro Noſter proſequitur, atque initio de ipſis auctoribus horum capitulorum, ex inſtituti ſui lege diſſerit. De Theodoreto cumprimis verba multa facit, eumque a nonnullis defendi, & errorum immunem pronunciari, fert ægerrime. Non enim excuſari aut defendi eum poſſe, ex libris ejus liquere putat, quorum quidam omnium conſenſu genuini ſint, alios autem genuinos eſſe in Notis ſe probaturum promittit. Ut autem Theodoretus & Ibas Theodori Mopſueſteni doctrinis erant innutriti, ita hic prodierat ex diſciplina Diodori, primi erroris a Neſtorio propagati inventoris; cujus pariter ac Theodori opuſcula, ſub titulo operum ſanctorum Patrum a Neſtorianis edita & divulgata fuiſſe, ut diſſimulato Neſtorii nomine, eo tutius hunc errorem propagarent, Noſter contendit. Planum quidem illud, ac ex veterum monumentis exploratum eſſe putat; Conſtitutionem tamen, quæ ſub Vigilii Pontificis Romani nomine circumferatur, & in qua idem confirmetur, genuinam eſſe, contra Baluzium ſecus ſentientem diſerte negat. Ibam autem Theodori alumnum, condiſcipulumque Theodoreti, Edeſſæ, ubi ſchola bonæque mentis domicilium longe celeberrimum ea ætate fuerit, commoratum, juvenes quamplurimos in ſuas pertraxiſſe partes; ut adeo ſchola Edeſſena fuerit ſeminarium aliquod fœcundiſſimum, ex quo ceu ex equo Trojano Neſtorianæ impietatis propugnatores prodierint: nec potuiſſe húnc fontem obſtrui prius, quam a Zenone Imperatore ſchola iſta funditus everteretur. Caſſiodorum Niſiben, ceu ſcholæ hac illuſtrem, celebrare, aſt lapſum eum eſſe procul dubio, & Niſiben poſuiſſe pro Edeſſa; forte & Niſiben nomen ſcholæ ipſi hæſiſſe, quæ Edeſſæ fuerit.

Poſtquam itaque Chalcedonenſis Synodi hiſtoriam in præcedenti libro exhibuit, & Neſtorianiſmi eo usque percenſuit fata, nunc porro, quæ poſt hoc Concilium geſta ſint, ediſſerit. Tantum autem abeſt, ut hæreſis iſta, denuo licet in iſto Concilio condemnata & anathemate percuſſa, oppreſſa inde fuerit, ut Neſtoriani, audaciores quoque facti, latius ſpargere eam fuerint annifi. Cypri Epiſcopum Severum, Acephalorum haud extremum defenſorem, proſcripſerat Impera-

perator: hoc Nestoriani eo interpretabantur, ac si sibi hoc ipso facultas esset concessa palam ea agendi, quæ vellent. Theodoreti enim nomen solenni ritu consecrarunt, eumque cum Diodoro & Theodoro inter Sanctos retulerunt, Sergiumque Episcopum Severi successorem, ut consentiret, induxerunt. Sergium hunc Severi alumnum, ab eoq; in sacrum ordinem receptum, Garnerius, ut Noster refert, asserit, cui tamen non suffragatur, eo quod post Severi demum discessum electus sit, & quidem sub Patriarcha Acephalos summo odio prosequente, & nomen etiam Severi execrante. Ergo nec Nestorianum, nec Acephalum, hunc Sergium fuisse autumat, sed ex eorum genere, qui veritati ac errori idem pretium statuunt, & mox his, mox illis, accedunt, prout temporum & sui commodi fert ratio. Sed hæc, qualis istorum temporum fuerit facies, satis comprobant. Justa serie autem Auctor cuncta edisserit, nec imperii rerumque civilium conditionem prætermittens, cum e re sua id esse arbitratur. Sub Justiniano, & qua Imperii statum, & qua Ecclesiæ fata, multa memoratu dignissima contigisse constat. Cumprimis tamen Nestoriana hæresis & huic Imperatori multum negotii facessivit; unde Auctor clarissimus, dum hoc persequitur, inter tot discrepantes de hoc Imperatore sententias, aliis eum laudantibus, vituperantibus aliis, suum quoque interponere judicium non dubitavit. Multas egregiasque in eo refulsisse virtutes non negat, nec tamen vitiorum fuisse expertem pronunciat. Namque præterquam quod inconstans fuerit, & prodigus, in eo illum peccasse, quod negotiis ad eum non spectantibus occupare ætatem pulchrum duxerit, volueritque eruditus videri: maxime autem, quod Theodoræ conjugi cuncta indulserit, ab ejusque unice penderit nutu. Atque cum & Imperator & Theodora controversiis Theologorum se miscerent, contrariarumque partium studio tenerentur, illo Catholicis favente, hac ab Acephalorum stante partibus, non potuisse non inde augeri certamina, quibus jam tantum non conflagrarat Ecclesia Christiana. Atque tot turbis undique concutiebatur, ut non aliter nisi convocato concilio salva esse posse videretur. Quinti hujus Concilii œcumenici, sive Constantinopolitani II, initium, si calculum accurate ponas, in annum 535 incidere, Auctor contendit. Et licet tum Vigilius, tum Agapetus convocasse istud

Con-

Concilium dicantur, primo quidem anno 535, ad Anthimium sede movendum, deinde anno 541 contra Origenem, & tandem trium capitulorum causa anno 553, facile tamen hæc conciliari posse, quod & in ultimo libro uberius exequitur.

Sed ipsam historiam Concilii V libro quinto pandit, postquam quæ antea circa tria capitula & Nestorianam hæresin ad id usque tempus acta sint, exposuit. Ultimo vero loco de schismate, occasione istius concilii orto, disserit. Quam in hac scena sustinuerit personam Vigilius R. P. nemini, nisi qui hospitem ex veterum monumentis retulit animum, ignotum esse potest. Noster malas Vigilii artes, quibus ad Episcopatum Romanum grassatus sit, & quæ in hoc Præsule reprehendi & possunt & debent, non dissimulat: tandem tamen ita de eo pronunciat, nullum unquam Pontificem in consiliis suis minus sibi ipsi constitisse, quam Vigilium; ast hoc se audacter asserere, si quis accurate cuncta sub examen vocaverit, eum deprehensurum, nullum unquam in doctrina magis constantem fuisse, quam hunc ipsum, atque hanc demum esse, in qua constantes firmosque nos esse deceat. Notatu autem cumprimis digna est disputatio de auctoritate Concilii œcumenici V seu Constantinopolitani II, qua totum hoc opus finit. Eam scilicet labefactantibus aut vocantibus in dubium, non tantum multorum Pontificum, sed subsecutorum etiam Conciliorum decreta opposuit, quibus hocce Concilium pro œcumenico declaratum sit. Quod vero multa improbe & turbulenter a Præsulibus, qui eidem interfuerunt, acta sint, id suæ nullo modo obstare sententiæ putat, cum Nicæni, Constantinopolitani I, & Ephesini Concilii Patribus eadem exprobrari possint, quæ tamen omnium consensu œcumenica sint. Simul inde infert, Protestantibus non fas esse, Concilii Tridentini rejicere decreta, quod ab Episcopis, qui præsto ibi fuerunt, quædam minus recte facta sint, cum hinc pateat, antiquissimorum Conciliorum in primitiva Ecclesia eadem fuisse fata. Non tamen Protestantes tantum, ob rejectum Concilium Constantinopolitanum II arguit, sed inter ipsos Romanenses non deesse queritur, qui ejus auctoritatem imminutum eant, contendentes, trium capitulorum auctores, Theodorum, Theodoretum & Ibam, perperam ab hoc Concilio fuisse condemnatos, errorumque, qui imputati illis olim fuerunt, expertes fuisse. Atque cum varia sibi objici posse intelligant, non u-

nam

nam eos ingredi viam, ex his difficultatibus se expediendi. Nonnullos asserere, Concilia non pollere auctoritate de factis pronunciandi, Ecclesiamque, ut de iis judicare posset, non esse extra errandi periculum positam: alios contra Ecclesiæ & Conciliis hanc potestatem non quidem abjudicare; ast quo pacto, si quid ejusmodi alicui eveniat, ut Auctoris, quem innocentem putat, condemnationi subscribere jubeatur, is se gerere debeat, non inter se convenire. Alios enim eo delabi, ut dicant, Ecclesiam non posse quenquam obstringere, ut ejusmodi formulæ subscribat: alios autem asserere, subscribendum ejusmodi formulæ esse, honoris quidem causa, quem ita erga Ecclesiam declaremus, ast non ex animi sententia. Ast hos omnes iis difficultatibus se immergere, ut se extricare nequeant, Auctor ostendere annititur, & adeo quæ in libro, cui titulus: *Lettre touchant la signatur du formul;* item in alio: *De la signature du formulare pour servir d' apologie à ceux qui refusent de le signer sans restrictions;* & in alio: *Reponse à l' ecrit d' un Theologien d' une fameuse communautè;* & denique in alio: *contre le Traittè du P. Amelotte des suscriptions*, disputantur, atro notat lapillo. Ast dum in eo est, illos quoque reprehendit, qui hodienum Nestorii causam, ac si de verbis potius, quam de re ipsa lis fuerit, agant, & a Bailio Dupinium inter hos quoque referri observat; sed addit, Dupinium ob hanc temeritatem, Ecclesiæ suæ censuram incurrisse, & ipsum quoque, quæ hac de re scripsisset, retractasse. De ipsa autem Concilii œcumenici V auctoritate suam ita sententiam pandit, ut dicat, citra ambages Ecclesiæ decretis acquiescendum esse, cumque hæc hoc Concilium pro vero & œcumenico agnoverit, in eo vero trium capitulorum auctores non tantum anathemate percussi sint, sed idem fulmen in eos quoque vibratum sit, qui iis anathema dicere recusent, nefas esse putat huic legi non gerere morem, & hos auctores ullo modo excusare.

## *EXCERPTA EX EPISTOLA D. XV. FEBR. A. M DC XCIX a Cive Atlantico (sub quo nomine Auctor ejus latere voluit) ad Actorum Eruditorum Collectores data.*

QUin mecum fateamini, *Problemata de Rectificandis & Quadrandis Lineis & Spatiis Curvis*, digna esse, quæ omnino accuratius a Mathema-

thematicis considerentur, & absolutius tractentur, nullus plane dubito; confectis enim illis, multa præclara in rem cedunt Mathematicam, egregie provehuntur fines scientiæ humanæ, & eo quidem laudabilius, quod ante semiseculum inter impossibilia recensitum sit, vel unicam Curvam rectæ cuidam æqualem assignare: neque hic præclari Mathematici substiterunt, sed ea ne quidem ab humano ingenio inveniri posse, aperte literis consignarunt. Fuerunt tamen nonnulli, qui felicius rem tentando, varias Curvas in rectam diducere studuerunt, atque rotunda quadratis æquarunt. Monitus autem ab amico, ut laudatissima vestra Acta, Viri honoratissimi, perlustrarem, me ibidem inventurum ratus, quod animum veri cupidum satiaret; illa quidem obiter inspiciendi dabatur facultas, ac tandem in Actis anni 97 ingenuam Clarissimi Dn. Joh. Bernoulli confessionem perlegi, quæ Dn. D. T. alloquens ita sonat,

*Ardenter quoque desideramus publicationem methodi universalis, cujus se compotem dicit art. III, in qualibet Curva, data portione ejusdem, aliam semper assignandi, quæ datam rationem habeat ad priorem. Quinimo totum Mathematicorum orbem sibi obstringet, & æternam laudem merebitur, si dabit demonstrationem speciminis, quod ibidem exhibuit, pro assignandis in Curva parabolica portionibus, in data ratione. Miror Celeb. Autorem, pro perspicacitate sua non animadvertisse, quod hoc specimen longe plus in recessu habeat quam apparet. Det enim mihi demonstrationem constructionis suæ, & ego ipsi dabo quadraturam Hyperbolæ, & proinde rectificationem Curvæ Parabolicæ Geometricam; in qua indaganda, omnes quotquot exstiterunt Mathematici hactenus FRUSTRA desudarunt.*

Mirum autem mihi videtur, quadraturam Hyperbolæ, & inde sequentem rectificationem lineæ Parabolicæ, a tantis Viris, interiorem Mathesin excolentibus, per summationes, differentiationes, infinitesimalisque calculi tormenta, hactenus inveniri non potuisse, cum per vulgarem Algebram & Ampl. Dn. Huddenii Methodum de Tangentibus, omnia ista quasi sponte fluant, nullaque sit linea Geometrica, quæ tandem vel rectificari; & nullum spatium tale, quod non quadrari possit. Non diffiteor equidem, si mihi pateret methodus ista infinitesimalis, quin forte citius, & minore cum labore, hac in re progredi liceret, sed cum illam profundissime ignorem, trita via incedere

 cogor;

cogor; quæ quidem in quatuor primis curvis, vid. Circulo, Ellipsi, Parabola & Hyperbola, atque in nonnullis Paraboloidibus superiorum generum, compendiose satis, & fere sine ullo labore perficiuntur; in aliis autem non item. Verum de hisce forte alias.

Ad calculum autem revocando bina Heuratii exempla, unum de Parabola Cubicali, cujus characteristica est $ayy = x^3$; alterum Parabola, cujus symptoma $ay = xx$: Primam Curvam, ope parabolæ in rectam diduxit; Parabolam vero, ob resultantem ipsius $ZZ = 4xx + aa$ æquationem hyperbolicam rectificare nequivit. Ego proprias machinas admovendo inveni, fieri posse, ut linea GHIKL (ad schema, & literas Heuratii accommodata sunt) modo fiat Parabola, modo Hyperbola, uti Heuratius invenit; modo Hyperbola Cubica intra vel extra Asymptotos; modo Hyperbola 5, 6, 7 &c. dimensionum, & sic porro in infinitum: sed &, quod notatu dignum videtur, linea GHIKL, transit in lineam rectam, adeo ut Curva Paraboloidis Cubicalis primi exempli, etiam sine adminiculo quadraturæ Parabolæ, rectificari possit.

Sin secundo ABCDE fuerit Curva Parabolæ primæ seu vulgaris, non solum linea GHIKL poterit esse Hyperbola, sed etiam Parabola Hyperbolæ diversi generis, tam intra quam extra Asymptotos, ac denique etiam linea recta, non secus ac in primo exemplo. Quare prout ope harum duarum Curvarum innumeræ figuræ complanantur; sic ope quadraturæ Parabolæ, vel etiam quia GHIKL etiam recta esse potest, beneficio rectanguli AGHIKLF rectificari poterit. Rectificata vero linea parabolica, Hyperbola quadrabitur. Idem de Curva prima subsumendum.

Aliunde autem certum est, lineam Circularem beneficio Hyperbolæ vulgaris rectificari posse, quippe cum ex hactenus dictis Hyperbolæ quadratura sit in potestate, etiam longitudo lineæ Circularis cognita erit, hac autem cognita, etiam Circuli quadratura prodit; quæq; ex Hyperbolæ quadratura, etiam vi theorematis mihi noti, quadratura Circuli dependeat. Et quidem hæc ea sunt, quæ ex rectificatione Curvæ Ptrabolicæ & Curvæ Paraboloidis Cubici consequuntur.

Superesset autem, ut etiam de rectificatione Circularis lineæ *per se* aliquid dicerem; nam etiam Circulo conjugari potest linea Parabolica adeo ut superficies AGHIKLF quadrari, proindeque etiam Circuli

culi linea, vel integer quadrans, aut ſemicirculus, vel pars quædam prout libuerit rectificetur; verum omnia dicere hac vice in me non ſuſcepi; ſufficiat notaſſe etiam Ellipſi ac Hyperbolæ lineam parabolicam conjugari poſſe, cujus opera tam Ellipſis quam Hyperbolæ Curva rectæ lineæ æquantur. Sed & eadem opera aliæ complures lineæ, ex Ellipſi, Circulo & Hyperbola principia ſua mutuantes, quadrantur.

Non autem inde ſequitur, omnibus Curvis parabolam conjugari vel ſubtendi poſſe; etenim ſi rectificetur Parabola Cubica altera, cujus natura eſt $aay=x^3$, modo a me uſitato, nullam adhuc invenire potui æquationem, Parabolæ naturam indigitantem, non quod putem, id plane impoſſibile eſſe (ſecus enim quam aliqui ſolent ſentio, qui, ſi res juxta hypotheſes aſſumtas non ſuccedat, id protinus pro impoſſibili pronunciant, cum tamen inde nihil aliud mihi ſequi videatur, quam inſufficientia Hypotheſium, quæ ſi forte aliter inſtituerentur, poſſibilia evaderent, quæ antea ceu impoſſibilia declarata fuere) nihilo tamen ſecius rectificari poterit: vel enim ex antea inventis Hyperbola conjugata Curvæ expoſitæ Paraboloidis Cubici quadratur, & ſic Curva rectificatur, vel ſi hoc modo uti pigeat, per rectangulum idem obtineri poterit, tranſit namque linea GHIKL etiam hac in Curva in lineam rectam, vel etiam in triangulum; adeo ut ſuperficies AGHIKLF trapezii formam induat.

Et quamvis hæc de Curvarum rectificatione, & ſpatiorum quadratura, utilia valde mihi videantur, non ſolum quia variis modis fieri poſſunt, ſed etiam maxime ob id, quia absque concatenatione propoſitionum, aut præſtructione Lemmatum, omnia iſta abſolvuntur; non minus tamen ſequentia mecum valde proficua reputo, *Conſtructionem* nempe *quorumcunq; problematum per ſolos Circulos, ſolasve Parabolas, Hyperbolas, & Eclipſes, atq; linearum rectarum interſectione:* nec non æquationum reductiones, in ſimplicioribus terminis, quam fecit Ampl. D. Huddenius: de his autem diſtinctius agere, nimis prolixum requiret ſpatium; ſed ne in abſtractis hiſce ſcriptionis filum abrumpam, de *Generatione, germinatione & propagatione Viſci,* cujus hiſtoria a Scaligero denſis tenebris involuta huc uſque Botanicorum mentes torſit, ut veritatem a Veteribus traditam omnino deſeruerint. Verum cum plus mille experimentis & oculari inſpectione ac manuali opera, a viginti fere annis plantæ hujus phænomena obſer-

vaverim, Scaligeri cornua ſunt reſecanda; Malpighii muſcæ abigendæ; centenarius annorum curſus, ad Viſci ploratum requiſitus, explodendus,& denique magni Verulamii modus producendi Viſcum, nullitatis (ut ita dicam) arguendus, plantam hanc natalibus ſuis ita reſtituendo, ut quid veri, vel ſecus in veterum ſententia ſubſit, oculari inſpectioni ſubjiciatur.

Hæc & ſimilia ſi digno modo tractari deberent, non epiſtolam, ſed ſcriptum ſatis prolixum requirerent,a quo cum genius meus valde abhorreat, hac via ulterius progredi nolui; ſic enim cavere volui,ne ſi alii hæcce jam invenerint,ego vobis, Viri omnium ordinum honoratiſſimi,ſim tædio; ſin ſecus, ne alius ſe priorem hæcce vidiſſe aſſerere præſumat; veſtigia enim me terrent Heuratii, qui inventum ſuum adeo præclarum vix orbi literato communicavit,cum præſto fuerunt alii,qui inventionis gloriam ad ſe rapere annifi ſunt. Unicum hoc ut moneam reſtat, me ſtudio nomen meum non adpoſuiſſe, cum ſic liberius agere me potuiſſe putaverim, nec nomen pondus aliquod addat; Geometrica ſunt,adeoque robur ex demonſtratione,non ex nomine pendet. Quod Viſci generationem attinet, res eſt facti,adeoque experimentis,ac oculari inſpectione, non ex nomine ſunt dijudicanda. Nec tamen uſque adeo obſcurum eſt,quin Viris aliquot ex primariis, nominatim Celeberrimo Leibnitio aliquatenus cognitum ſit, cui ſi hi conatus non diſplicuerint, pluribus aliis non diſplicituros confido. Hiſce, Viri omnium ordinum honoratiſſimi, valete, & eum qui vos decenter reveretur, amate; ſalutati die 15 Febr. 1699.

Dum hæc ſcribo, commodum ea, quæ de hypotheſium validitate dixi, obvenit dicendum; ex hypotheſibus meis in rectificanda linea Parabolica, Parabolæ nullam potui conjugare Ellipſin vel Circulum, ita ut fere impoſſibilitatem, ex hiſce hypotheſibus,quæ ſatis ſunt ſimplices & univerſales, concluſerim; rem autem tentando,& Ellipſin & Circulum conjugari poſſe, deprehendi, cadit enim punctum I ſeu omnes MI etiam in Circulum vel Ellipſin, cujus latus tranſverſum $= \frac{1}{4} a \overset{''}{V} 129$, rectum $\frac{bb}{2a} \overset{''}{V} 129$. Semidiameter vero Circuli $= \frac{1}{8} a \overset{''}{V} 129$ & diameter ut in Ellipſi $= \frac{1}{4} a \overset{''}{V} 129$.

DE-

## *DETECTIO ET OBSERVATIO COMETÆ, FACTA MENSE Septembri A. 1698 in Observatorio Regio, a Dn. DE LA HIRE, Mathematum Lectore & Professore Regio, & Academiæ Regiæ Scientiarum Socio.*

Translata ex Diario Eruditorum Parisiensi XXXVIII, A. 1698, p. 453 seq.

Die mensis Septembris secundo labentis anni observavi noctu circa horam decimam in constellatione Cassiopeæ Cometam. Distabat is a stella per lit. x a Bayero notata quinta parte spatii, quod inter x & β intercedit; & erat cum memoratis his duabus stellis in eadem linea recta. Gerebat speciem stellæ cujusdam nebulosæ; exiguo capite, & quantitate stellam tertiæ magnitudinis propemodum æquante, caudaque valde brevi. Insequenti die cœlum nubibus fuit obductum.

Die vero quarto, h. 10 noctis observavi eum in medio stellarum, quæ in constellatione Cephei per j & ξ denotatæ sunt, & cum iisdem lineam rectam constituebat; ut bidui proinde spatio motu suo proprio absolverit 13 gr. 20 min. videbaturque aliquanto major, quam in prima observatione. Ostendi eum tunc Astronomis nostris, qui ipsum ante non viderant.

Sexto die h. 4 matutina conspiciebatur prope duas stellas θ & n, in manu Cephei, cum quibus efformabat triangulum Isosceles, cujus vertex loca præcedentium observationum respiciebat, atque a basi trianguli min. 45 distabat. Et creverat tum quoque ejus, ut & caudæ magnitudo; eodem vero die h. 8, min. 45 noctis aberat a loco observationis die quarto noctu institutæ 17 gr. 20 min. eratque cum primis stellis in eadem linea recta, quod erat indicio, multo eum celerius, quam sub initium, progredi. Sed & aucta nonnihil ejus magnitudo erat, unde colligi posset, eum propius absuisse a terra, quam primarum observationum tempore.

Die 7, hor. 7, min. 50, vesperi conspiciebatur sub extremam fere partem alæ Cygni, posteaquam inde ab elapso superiori die 9, gr. 50 min. absolverat cursu suo, per lineam rectam semper continuato, seu per ingentem circulum supra stellas fixas conspicuum; &

videbatur tum quoque concitatius moveri, quam præcedenti die.

Die 9, hor. 7, min. 55, erat in linea recta cum duabus ſtellis Herculis, quæ in ejus tibia a Bayero literis $\theta$ & f ſignatæ ſunt, propior tamen ſtellæ f quam $\theta$. Abſolverat illo tempore inde ab ultima obſervatione 19 gr. 10 min. ſic ut dici queat, ipſum terræ citimum fuiſſe noctu inter ſeptimam & octavam. Apparebat tunc veluti ſtella ſecundæ magnitudinis, obſcurus, exigua cauda, & Soli continuo obverſa, capiteque ſatis tenebricoſo.

Die 10, h. 8, m. 5, noct. percurrerat a tempore præcedentis obſervationis 8 gr. 30 m.

Die 11, h. 7, m. 35, ſejunctus erat a loco obſervationis d. 10 inſtitutæ 7 gr. 30 min. quod indicat tardius eum proceſſiſſe, quam præcedentibus diebus; quemadmodum & magnitudo ipſius decreſcere incipiebat.

Die 13, h. 8, min. 10, conſpiciebatur in capite Herculis prope quatuor exiguas ſtellulas, quæ niſi oculo armato aſpectabiles non ſunt; & confecerat ſuo curſu a tempore obſervationis proximæ 12 gr. 30 m. Et ad id tempus uſque viſus eſt continuo moveri per magnum ſupra ſtellas fixas circulum, eratque emenſus inde ab obſervatione die 2 menſis facta 88 gr. 10 min.

Die 15, h. 8, m. 10, aberat a loco obſervationis præcedentis 9 gr. receſſerat etiam a recta via, quam ſemper tenuerat, 40 m. verſus meridiem reſpectu motus ſui.

Die 16, h. 8, m. 45, nonniſi 3 gr. ab ultimæ obſervationis tempore abſolverat, & diſtabat a recta priſtinæ viæ ſuæ linea fere integro gradu. Erat tunc valde exiguus, & apparebat inter ſtellas, quæ clavam Herculis conſtituunt, quarum tamen collocatio, prout in Bayero habetur, non omnino videtur exacta.

Die 24, h. 8, noct. obſervavi eum etiam prope duas ſtellulas informes, quæ ſupra pedem ſcorpionis exiſtunt, & aberat a proximæ obſervationis loco 13 gr. a prima autem via 10 gr. 45 m. Erat eo tempore valde exilis, & ſimul aëris intemperies cum crepuſculo, quod ingruebat, diutius eundem obſervare prohibuit.

Quod ſi in diſſitis longe terris obſervationes circa hanc rem inſtitutæ ſunt, poterunt inde quædam cognoſci, haud inutilia in Aſtro-

ſtronomia; ſed enim difficile eſt, hujus generis Cometas detegere, niſi quis ſedulus obſervator cœlo immineat. Quod vero motum hujus Cometæ attinet, dici poteſt in genere, eum percurriſſe circulum, cujus planum fuerit paululum inclinatum ad lineam rectam, a terra ad ipſum uſque productam; & quinto is die verſus horam 5. matutinam quam proxime acceſſit ad Polum mundi ſeptentrionalem, a quo diſtabat 26 gr. Ope obſervationum harum facile erit, in globis, aut mappis cœleſtibus ejus viam deſignare, & ſimul longitudinem ipſius & latitudinem in quocunque ſitu determinare.

## *CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI RERUM ET ANtiquitatum Germanicarum Syntagma.*

Francofurti ad Mœnum, apud Fridericum Knochium, 1698. in 4. Alphab. 6.

Duumviris celeberrimis, Leibnitio & Matthæo, quorum ſtudium Scriptores rerum Germanicarum typis hactenus nondum vulgatos in lucem publicam edendi, anno ſuperiori 1698 laudavimus, (vide Acta noſtra iſtius anni p. 149. 186. 353.) tertius nunc addendus doctiſſimus Paullini, qui ejusdem inſtituti amore captus, volumen præſens tractatibus hiſtoricis valde expetitis, & e tenebris ſordibusque erutis refertum, cum Orbe erudito communicat; ſed ita tamen, ut varias Diſſertationes atque notas a ſemetipſo contextas addere haud omiſerit.

Loco namque ſtatim primo *Hiſtoria* comparet *Iſenacenſis*, quam ille Vir Clariſſimus compoſuit, & variis literis ac bullis Cæſarum, Pontificum, Principum & aliorum antea nunquam viſis illuſtravit & confirmavit, iſtam huic urbi operam ſe debere ratus, quod circa ejus annales nemo antea ſatis occupatum ſeſe geſſerit, ſi unicum excipias Nicolaum Rebhanium, a cujus diligentia Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Iſnacenſis libri tres profecti fuerint, quorum tamen ultimus ea, quæ ſub initium ſeculi decimi contigerint, enarrans interierit. Expoſito igitur nominis iſtius origine, (quam a *ferro* & *aquis* derivat, cum multas ibi ferri fodinas & officinas olim fuiſſe certum ſit, prætereaque veteres Germani fluvios minores generatim *Aa* ſeu *Aha* vocitare conſueverint, unde manifeſta ſit vocis ex *Iſen* & *ach* com-

compoſitio;) annales urbis condere aggreditur inde a primo ejus ortu, quem tamen adeo exploratum haud eſſe palam fatetur. Equidem ſi Attila Grimhildam, Güntheri Thuringorum Regis filiam connubio ſibi jungens, caſtra, aulam, comitiaque Iſenaci habuerit, utique jam circa A. 451 urbem hanc celeberrimam extitiſſe infert. Verum iſtas de Attila narrationes dubias plane & ſuſpectas pronunciat, ac, quod iſto tempore conditum jam Iſenacum fuerit, ægre ſibi perſuadet. Interim hiſtoriam ejus, quod a vetuſtiſſimis eam temporibus valet repetere, ſolicite enarrat, ac nonniſi in anno 1697 deſinit. Nec circa ſolam tamen iſthanc urbem unice occupatur, verum ſubinde & ad alia, quæ Thuringiam imprimis concernunt, excurrit. Quinimo & ea non raro cumulat, quæ ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam religionis Lutheranæ quid conferre queant, velut, ubi Johannis Hilteni prophetias allegat, p. 122, deque Luthero ipſo ac de ejus geſtis paſſim diſſerit. Juſti Menii, primi iſtius Iſenacenſium Superintendentis, vitam prolixius deſcribit, p. 139. ſeq. & eum humani quid fuiſſe paſſum minime diſſimulat, quando Catechiſmum Lutheri reformarit, prout & variationes ab ipſo ſuſceptas in gratiam poſteritatis ſubnectit. Nec ingrata Lectori futura ſunt, quæ de Victorino Strigelio, Nicolao Amsdorfio, Matthia Flacio, Friderico Widebramo, eorumpue placitis, in medium adducit. In Academiæ Jenenſis initia dum p. 174 incidit, non Rectores modo illuſtres, qui ei ab A. 1558 ad A. 1688 præfuerunt, ſed omnes etiam Facultatum omnium Profeſſores, quos inde a primordiis ejusdem ad hæc uſque tempora ſtudioſam Juventutem ibi docuiſſe conſtat, recenſet. Tacemus utiles non minus ac jucundas digreſſiones alias, quas obvias ſubinde Lectores deprehendent, puta, quando de Comitibus Palatinis Saxonicis p. 24. de jure Smurdorum p. 54, materiisque ſimilibus diſſerit. Pag. 201. occurrunt literæ Germanicæ Lutheri & Melanchthonis, quibus conſilium Henrici Cottæ, Jurium tunc ſtudioſi, de ſuſcipienda in Gallias peregrinatione uterque approbat.

Secundum locum tenet *Chronicon Hüxarienſe*, quod urbis Hüxariæ civis, Petrus Viſſelbeccius, in antiquiſſimo Collegio Carolino Eresburgi ad Dimolam inter Fratres Benedictinos receptus, Doctorisque Theologiæ titulo ac gradu ornatus, anno autem Chriſti 1395, ætatis ſuæ 64 defunctus, compoſuit; aſt continuavit ad annum uſque 1498

1498 Gregorius Wittehenne, Senatoris & Patricii Hüxarienſis filius, in patria Presbyteri & Canonici dignitate auctus, & anno, quem modo memoravimus, 1498, ætatis 58 extinctus. Additionibus porro variis idem locupletavit Nicolaus Erbenius, patria non minus Hüxarienſis, poſt ſacra munia paſſim alibi adminiſtrata, Paſtor demum in æde Prædicatorum Erfurtenſi, ubi A. 1587 obiit. Iſtud vero Chronicon, ſub ſeculi ſuperioris exitum, ab hæredibus Erbenianis parochus quidam in vicinia Crucisburgi agens obtinuit, cujus pronepos Paullino tandem noſtro id commiſit, a blattis quidem muribusque alicubi exeſum & ſordibus pollutum, maxima tamen ſui parte ab interitu nunc vindicatum. Et laudanda ſane eſt, quam adhibuerunt autores ejusdem, induſtria, qua patriæ ſuæ hiſtoriam ſtudioſe ſatis texuerunt, utile ubique dulci miſcentes. Videas enim heic bullas ſummorum aliorumque Pontificum; videas varia ſubinde curioſa e Phyſica ſecretiori depromta; modo ſtupenda omina obſerves ſomniaque memoratu digna; legas hinc inde epitaphia & verſiculos admodum nonnunquam bellos; modo index comparet Fratrum Corbejenſium ab Adelgario usque ad Bodonem; modo nomina ſororum Otbergæ & in valle Dei. Nummorum etiam interdum meminere, ſigillatim argentei alicujus unciam pendentis, qui Corbejæ in horto quodam repertus ex una parte S. Vitum plane nudum, formamque pueri præ ſe ferentem, & in olla pice repleta ac prunis candentibus impoſita conſtitutum exhibuerit, addita inſcriptione: S. VITUS PATRONUS CORBEIENSIUM. Ex altera parte allegantur verba: A DEO ET HLUDOWICO; item illa: WARINUS DEI MISERATIONE ABBAS NOVÆ CORBEIÆ AD WISERAH. Alibi occurrit mentio nummi aurei quadrati in exenterato anate reperti, cujus unum latus tres baculos Epiſcopales, & literas W̄D̄S̄, alterum vero coronam cum epigraphe C̄R̄D̄ repræſentarit. Ac literæ quidem priores ad Wicpoldum, poſteriores vero ad Counradum Regem, cujus ille familiaris fuerit & conſiliarius, trahuntur. Notæ, quas celeberrimus Editor ſubjecit, modo hiſtoricas narrationes, modo obſervationes phyſicas, modo alia apprime illuſtrant atque explicant.

Chronicon iſthoc mox *Mindenſe* excipit, a Buſſone Watenſtedio, Canonico Hamelenſi, poſt medium ſeculi decimiquinti conſarcinatum, & ad ſeriem Præſulum Eccleſiam Mindenſem regen-

tium dispositum, cui *Wedechindi Duldorpii* (qui an Hamelæ, an Mindæ, Vicarius fuerit, ignotum sibi esse Noster fatetur,) in Præsules XLIX poëmata, & *Alberti Fryschmedii*, seu *Jodoci* potius *Wittflorii* in eorundem effigies disticha, *Catalogus* item *reliquiarum* apud Mindenses asservatarum e veteribus membranis a Lamb. Marpachio descriptus, anectuntur. Promitur dehinc *Chronicon*, quod audit, *Hillesheimense* seu Hildesianum, conditorem agnoscens Jacobum Reutelium, Pastorem Einbeccensem ad S. Alexandrum, A. 1593 defunctum, in quo cum nullos uspiam narrationum suarum autores allegaverit, defectum hunc in notis supplevit Editor, & alia subinde adjecit, prolixumque de *Episcopis Hillesheimensibus* poëma Justini Bartramii superaddidit. Brevis est *narratio*, quæ *acta & facta Præsulum Nuenborgensium* seu Numburgensium *ab anno Domini 968 ad annum usque 1403* repræsentat, scriptique hujus autorem censet Editor Johannem de Isenach, seculo labente decimo quinto Ecclesiæ Cathedralis apud Numburgenses Decanum, cui brevitatis succinctæ laudem tribuit, ac Paulo eapropter Langio, in amplo rerum Numburgensium Commentario extra choream sæpius saltanti, longius eum anteponit. Nec prolixius est, quod sequitur, *Conradi Evermotii*, Presbyteri Razeburgici, in agro Lyneburgico nati atque educati, Viri docti & religiosi, A. 1561 adhuc superstitis, *Chronicon Episcoporum Aldenborgensium in Wagria.*

Duo, quæ ulterius comparent, Chronica Paullinum ipsum autorem agnoscunt. Ediderat is jam ante annos aliquot dissertationem *de cœnobio Virginum Ottbergensi ad Netham, congregationis quondam Cisterciensis, ast nunc in vallem Dei ad familiam Benedictinam translato*, quæ jam in justum excrevit commentarium, *Henrici Swartii*, Pastoris in valle Dei ab A. 1398 usque ad emortualem 1423 minuto ejusdem monasterii chronico auctum, multisque memoratu dignioribus & amœnis observationibus repletum: velut ubi festi stultorum olim in Ecclesiis quibusdam celebrari soliti mentionem p. 179 injicit; pag. 192 de causa odii inter Minoritas & monachos Cistercienses agit; p. 198 & 202 originem monasterii Gröningensis pandit; prout & Ordinis Præmonstratensis incunabula p. 209 seq. declarat. Jucunda sunt, quæ de agnello ex cane nato, p. 205; de rustico verminoso, p. 213; de lepore bipede, at celeriter tamen currente, p. 217; de fele nolas ad surgendum solerter pulsante, p. 228; de visus & auditus ex ebrietate pri-

privatione, p. 230, jam Swartii, jam Paulini verbis referuntur. Aſt unicum Paullinum autorem habet *chronicon congregationis Badeslebienſis, Marienbeck dictæ, ordinis Auguſtiniani, diœceſeos Halberſtadienſis*, cui tamen parilem in modum & alia curioſa atque elegantia immixta ſunt, v. g. de ſororibus religioſis Huysburgenſibus, quæ una cum fratribus monachis unum idemque cœnobium diu inhabitarunt, p. 273; de montis Petrini prope Halam origine, p. 277; de gallis atque veſpertilionibus incendia præſagientibus, p. 281. Additur in fine *Schola*, quæ vocatur, *Prælatorum beſtialis*, ſeu ſingulorum Abbatum Huysburgenſium vita & facta, virtutes & vitia, per certa & convenientia animalia epigrammatice explicata; quæ carmina non inficeta prorſus Joanni Nolckenio Badeslebienſi, qui ante medium ſuperioris ſeculi in monaſterio Huysburgenſi vixit, debentur.

*Monaſterii S. Petri in monte crucis ad Werram, Ordinis S. Benedicti, Chronicon* compilavit Jo. Cræmer, Eſchwegenſis, Ordinis Auguſtiniani monachus, & Præpoſitus poſtea cœnobii Jacobæi extra muros Crucisburgi, in anno 1514 ſubſiſtens, & ex Editoris conjectura circa ſequentis anni primordium extinctus. Styli ab hoc adhibiti inæqualitatem Noſter equidem accuſat; res tamen, quas e diverſis variorum ſchedis ſeu diariis excerpſerit, ac, uti repererat, inſeruerit, Lectori antiquitatum ſtudioſo non plane diſplicituras confidit. Nec injucundum eſſe arbitratur, quod ſuccedit, Werneri Hackii, Teutlebio-Thuringi, Monaſterii Virginum S. Nicolai, cœtus Benedictini, Iſenaci ad portam ab iſto clauſtro denominatam, quondam Præpoſiti, *Chronicon*, ſeu, uti Autori nuncupatur, *Breviloquium de Comitibus Templimontanis*, Illuſtri Comiti Georgio Kirchbergico A. 1519 inſcriptum, quod more ſuo notulis illuſtravit Noſter, qui & ipſe aliquot abhinc annis *hiſtoriam illuſtrium Comitum de Kirchberg* viginti ſex Capitibus incluſam compoſuit, aſt eam tamen in ſuis adhuc pluteis delitelcentem aſſervat. *Hiſtoriam* quoque *Corbejenſem* integram, ſermone Latino, multis Diplomatibus & Bullis, improbo labore & gravi ſatis ære paratis, diſtinctam ſe elucubraſſe teſtatur: aſt cum non liceat ſine ſpeciali conſenſu magni Germaniæ Principis eandem divulgare, ſuccinctos interim *annales Corbejenſes* a prima fundatione ad A. C. 1471 deductos hoc in loco ſiſtit, & eorum autorem, utut is in MSto nomen ſuum tacuerit, Antonium Schnackenburgium, nobilem illuſtris Cor-

bejæ Saxonicæ cœnobitam, existimat. Cujas fuerit *Frater*, qui nunc in scenam producitur, *Cornelius*, seu ubi vixerit, nescire se fatetur; interim ejus *Breviarium Fuldense*, in quo omnium Archimandritarum, ceu vocat ille, ortus, potiora facta & obitus, usque ad annum Domini 1479 enarrantur, luce dignum censuit, eo quod non Browerum modo, sed Eberhardum quoque Fabricium, de Fuldensibus cæteroquin optime meritos, non raro in usum traxisse hunc Cornelium, manifeste deprehenderit.

Quam olim jam tum edidit Paulinus de *Walone, Abbate Corbejensi decimo quinto, ab Henrico* II *Imperatore per Meinwercum, Episcopum Paderbornensem, officio & dignitate privato* disquisitionem, emendatam alicubi & passim auctam denuo Syntagmati huic inserit. *Decretum* insuper *augustæ Synodi Moguntinæ sub Luitberto Archiepiscopo A. 888 convocatæ*, in qua jura & immunitates Corbejensium & Herefordiensium solenniter confirmantur, variis discursibus, Cæsarum Pontificumque literis, & aliis antiquitatem redolentibus observationibus illustratum exhibet. Porro suam de *Advocatis Monasticis Dissertationem* separatim A. 1686 vulgatam repetit, auctam tamen eam, emendatam, variisque literis illustratam. Qui locum obtinet penultimum ejusdem solertissimi Paullini libellus, de *Pagis & inprimis antiquæ Saxoniæ*, ad alphabeti ordinem compositus, pusillum ab Auctore ipso spicilegium, post largam Marquardi Freheri & Henriei Meibomii messem relictum appellatur.

Agmen denique claudit *carmen de Brunsburgo*, ad Wicboldum Corbejensem A. 1152 scriptum a Christophoro Elschlebio, quod non adeo rude videtur Editori, qui tamen Lectorem, ubi is syllabas producendas, correptas nonnunquam ab Autore notaverit, meminisse vult, quod & bonus aliquando Homerus dormitare soleat.

## LES MEMOIRES D' EDMOND LUDLOW.

i. e.

## *COMMENTARII MEMORIALES EDMUNDI LUDLOVII,*

*Tomis duobus.*

Amsterdami, apud Paul. Maret, 1699. in 12. Constat 1 alph. 15 plag.

Autor horum commentariorum nobili genere in Provincia Angli-

æ Wiltonia natus, cum bello civili inter Regem Ordinesque exorto, horum causam armis consiliisque enixe juvisset, & Rege sublato pro Republica constituenda tuendaque acerrime contendisset; Carolo II restituto, e regno aufugit, & ad Bernates in Helvetiam se recepit. Rediit in Angliam Wilhelmo Liberatore in solium regium evecto, persuasus operam suam patriæ usui esse posse in Hibernia ad obsequium revocanda, quam olim Parlamenti auspiciis pacaverat. Verum spretus rejectusque, pristinam exilii sedem repetiit, ibique ante paucos annos fato functus est. Ab ejus obitu publicati sunt hi commentarii, quibus motuum illorum, quorum ipse pars magna fuit, originem & progressum ita perscribit, ut culpam omnem belli commoti in Regem conferat, & Reipublicæ, quam eo cæso moliebantur Parlamentarii, consilia & gesta extollat. Neque ea solum literis tradidit, quibus ipse interfuit vel præfuit, sed & quæ ab aliis, quos fide dignos habuit, accepit, ne quid memoratu dignum in ista rerum temporumque serie desideraretur. Arguit vero Jacobum I imminutæ clam & astu publicæ libertatis: Carolum vero ejus filium, uxoris Gallicæ impulsu, apertius id egisse, ut regnum civile in dominatum converteret, & intensa Cleri Episcopalis autoritate viam Papatui muniret. Bellum adversus Gallos ex privatis inter Buckingamium & Cardinalem Richelium simultatibus fuisse susceptum, mox secretis pactionibus Rupellam fuisse desertam, & Gallis perfide proditam. Bello Scotis improspere illato, cum Rex tandem concilium gentis Anglicanæ, quod Parliamentum vocant, coegisset, ejusque dissolvendi facultatem a se abdicasset: Regem invitum supplicio Straffordii Pro-Regis Hiberniæ subscripsisse, capitis a Parlamento damnati; licet Autor fateatur, interversas esse a Digbæo chartas, quibus delictorum, quorum accusatus erat, convinci potuisset. Deinde cum Parlamentum in dies progrederetur longius, & regiam potestatem magis magisque circumscriberet: Regem, postquam Concilii disturbandi conatus irriti fuerant, Eboracum secessisse, & prosequentibus se quibusdam Parlamenti membris, Londinensem conventum illegitimum pronunciasse. Inde res ad arma deducta est, quæ Regem priorem parasse & sumsisse Autor affirmat, quia Rex non æquissimas modo, quas Autor putat, pacis conditiones rejecerit, ac ne ad tempus quidem jus militiæ Parlamento transscribere voluerit, sed & auxilia domi forisque solicite conquisiverit. Inter

cætera literas Regis interceptas Autor narrat, quibus Regem Daniæ Chriſtianum IV ad ſocietatem belli ſolicitaverit, Parlamentum criminatus, quod Annam Regis matrem, Dani ſororem, adulterii convincere conetur, ut ejus liberi ſucceſſione indigni videantur. Cum ergo utrinq; claſſicum cantum eſſet, Autor quoq; relictis Muſis, quibus adhuc vacaverat, militiæ nomen dedit, ſecutus auſpicia Parlamenti, cui pater ipſius intererat, & cum aliis nobilibus commilitonibus aſcriptus cohorti prætoriæ Comitis Eſſexii, cui ſummam imperii militaris Parlamentum commiſerat. Tyrocinio belli in prælio ad Egghehillum poſito, centuriam equeſtrem conſcripſit, & ſub tribuno Eduardo Hungerfordio patrii comitatus Wiltoniæ tutelam ſuſcepit. Expugnato illic caſtello *Waider* cum præſidio impoſitus, poſt longam obſidionem regiis ſe dedere coactus, adduci tamen ſe paſſus non eſt, ut in regias partes tranſiret, nec ullis etiam Theologorum rationibus de ſententia deduci potuit, quin Regis cauſam injuſtam exiſtimaret. Permutatus ergo cum captivis regiis & libertati redditus, in legione Arthuri Haslerigi meruit præfectus vigilum, & mox decreto Parlamenti tuendæ Wiltoniæ magiſtratum civilem cum imperio in legionem equeſtrem conſecutus eſt. Verum in capeſſendo illo munere a contraria quadam factione impeditus, & adverſis quibusdam pugnis debilitatus, cum Parlamentum legionem ejus ad quatuor manipulos revocaret, horum præfecturam aſpernatus, aliquamdiu vixit privatus, donec a provincia ſua patri demortuo Parlamenti ſenator ſufficeretur. Neque in patris modo locum, ſed & ſenſum ſucceſſit; quem narrat ſummo fuiſſe dolore correptum, qui mortem ejus forte acceleraverit, cum amicum & collegam in cuſtodiam dari vidiſſet, qui in Parlamento dicere auſus fuerat, ſatius eſſe perire domum regiam, quam populum bellis jactari. Eadem certe Autori ſedit ſententia, qui eo fere tempore Parlamentum ingreſſus eſt, quo Rex prælio Nazebienſi proſtratus ad Scotos confugerat, & ab his Anglorum poteſtati traditus fuerat. Cum ergo frequentes cum Rege inſtituerentur actiones de pace; illas quidem omnes æque ac ſupra res bellicas fuſe diligenterque exponit Autor, ſed ab iis ita ſe alienum oſtendit, ut neget populum Anglicanum tuto & honeſte cum Rege paciſci & reconciliari potuiſſe. Neque enim Regi, quacunque demum lege reſtituto, defore occaſionem aut vires pacta reſcindendi, nec fas eſſe tantum ſanguinis effuſi nullo expi-

expiari autoris vel rei supplicio. Hæc palam in senatu sæpe disseruit, & cum dissidentibus, ac ipso aliquando Cromwello, cum adhuc regiæ causæ favere videretur, acres contentiones suscepit, perpetuus autor abrogandæ regiæ potestatis,& Reipublicæ instituendæ. Postremo cum exercitus Regem e Vecti insula abreptum in suam potestatem redegisset, Presbyteriani vero, qui majorem partem Parlamenti faciebant, tractatus cum Rege cœptos perficere & concludere niterentur, Autor non improbat, quin suo quoque consilio factum non obscure indicat, ut Senatores, qui pro Rege laborant, armata manu ingressu parlamenti prohiberentur. Quod licet juri & libertati Ordinum, pro qua se arma cepisse videri volebant, quam maxime repugnare Autor ipse agnoscat; putat tamen utilitate publica rependi, quicquid adversus leges fuerit admissum. Neque porro, Rege perduellionis accusato, Autor veritus est sedere inter judices, & capitalem cum aliis sententiam in Regem ferre. Cum ergo pauci illi, qui cædis regiæ autores fuerant,exercitu subnixi,summam rerum speciosæ libertatis &Reipublicæ nomine occupassent; Autor non tantum in conservatoribus, uti vocari amabant, libertatis Angliæ locum tenuit, sed & cum quatuor aliis delectus est, qui idoneos homines regendæ Reipublicæ & Consilio status formando dispiceret,& Parlamento nominaret. Neque vero dubitat affirmare, justissimam fuisse Rempublicam & optime compositam,quæ divinitus beata fuerit tam admirandis successibus,ut & Scotiam brevi subegerit, & Hibernos perdomuerit, & adversus Belgas Fœderatos rem bene gesserit,domique adeo & foris magna autoritate floruerit. Autor vero, cum inter Consiliarios status ad clavum novæ hujus Reipublicæ sederet,in Hiberniam missus est, annitente potissimum Cromwellio, ne ipsius consiliis ad tyrannidem jam tum spectantibus obstaret. Illic ergo equitatui præfectus & Præsidis provinciæ Iretonii legatus,illoque mortuo res Hiberniæ pro Præside moderatus, in extinguenda seditione Hibernorum Pontificiorum, iisque maxime castigandis, qui Protestantes immani laniena anno 1641 trucidaverant, tam diu occupatus fuit, donec misso in provinciam Fleetvvodo, Cromvvellus Protectoris nomine summum rerum arbitrium in se traheret. Tunc enim exutus est Autor potestate sua, qui Cromwellianæ dominationi parere dedignabatur; quam non injustam modo pronunciat, sed Anglicano nomini nec decoram nec utilem

fuis-

fuiſſe affirmat. Inter cætera fœdus ejus cum Gallis in Hiſpanos reprehendit, quo primum putat rem Gallicam prævaluiſſe Hiſpanicæ, atque ita deinceps creviſſe, ut hodie Angliæ totique Europæ ſit formidoloſa. Cromwello vero mortuo, cum vetus Parlamentum, abrogata Cromwelli filio Protectoris dignitate, priſtinam autoritatem recuperaſſe videretur, ab eo rurſus Autor Hiberniæ ordinandæ eſt præfectus. Ubi accipiens, a factione militari, quam domus Wallingfordiæ vocabant, cujus principes erant Fleetwodus & Lambertus, Parlamentum in ordinem eſſe redactum, rediit in Angliam, ut inter Parlamentum & exercitum concordiam inſtauraret. Interea Monkius profeſſus Parlamenti & publicæ libertatis tutelam (quem Autor ambitionis, avaritiæ & perfidiæ accuſat) cum Scotico exercitu Londinum appulſus, ante omnia curavit excluſa anno 1648 Parlamenti membra in locum ſuum reſtitui: quorum unus cum retuliſſet, decreto publico deteſtandam eſſe Regicidii memoriam, Thomas Scotus reſpondit, ſe optare, ut ſepulchro ſuo inſcribatur: *Hic ſitus eſt, qui Regis ſupplicium mente & manu adjuvit.* Quin & Autor idem facinus ſibi gloriæ ducere non erubeſcit. Verum iſto Parlamento mox disjecto, cum Monkius aliud ex more gentis utraque Domo conſtans congregari curaret, Autor imminentem rerum converſionem præſentiens, latibula mature circumſpexit, & mox utriusque Domus conſenſu, Carolum II in regnum avitum revocari audivit. In quo hi commentarii non tam deſinunt, quam abrumpuntur, appoſita nota &c.

---

*Funeſtus admodum Academiæ noſtræ fuit elapſus proxime menſis, quo intra octiduum duos celeberrimi nominis Theologos amiſimus. Die enim 16 Martii* D. Georgius Lehmannus, *S. Theol. Profeſſor primarius & Lipſienſis diœceſeos Superintendens, die vero 23* D. Johannes Benedictus Carpzovius, *Theologiæ ibidem Profeſſor excellentiſſimus & ad D. Thamæ Paſtor, uterque de Eccleſia Evangelica & Academia noſtra multis nominibus meritiſſimi, mortem cum vita commutarunt. Paucis etiam ante B.Carpzovium horis, in hac urbe e vivis exceſſit* Martinus Knorrius, *Mathematum in vicina Academia Wittebergenſi Profeſſor celeberrimus, cujus obitum non minus acerbe vel eo nomine lugemus, quod ſtrenuum ſemper ſe nobis & exactum in his Eruditorum Actis adornandis adjutorem præſtitit. Aliorum doctorum virorum obitus, cum nunc chartæ anguſtia probibeamur, alibi fortaſſe ſumus indicaturi.*

** ** **
* * *

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipsiæ*
*Calendis Maji, Anno M DC XCIX.*

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΑΘΑΝΑΣΙΟΥ Αρχιεπισκόπου Αλεξανδρείας τὰ ευρισκόμενα πάντα.

*SANCTI PATRIS NOSTRI ATHANASII, ARCHIEPISCOPI Alexandrini, Opera omnia Græce & Latine, in tres Tomos distributa, studio Monachorum Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri.*

Parisiis, apud Johannem Anisson, 1698. in fol. chart. aug. Alphab. 26.

VIx quemquam fore arbitramur inter eruditos Scriptorum Ecclesiasticorum Lectores, qui, ubi hactenus de nova operum Athanasii editione a Monachis Benedictinis Parisiensibus adornanda inaudiverit, maxima eandem perlustrandi cupidine inflammatum se haud intellexerit. Prodit ista nunc multum commendanda omnibus, qui diligentia non mediocri nitorem ejus & præstantiam curatam deprehendent. Etenim omnia, quæ sub Athanasii nomine circumferuntur, duabus partibus, sed tribus tomis; prima parte in duos tomos subdivisa, complecti Editores studuerunt; tomis duobus prioribus opera Athanasii genuina, ast ultimo dubia cum spuriis exhibentes. Multa de cætero adjecerunt nondum edita, ac novam Græci textus versionem adornarunt. Opera omnia juxta temporis, quo scripta fuere, ordinem, quoad ejus fieri potuit, disposuerunt, & plerisque admonitiones & præfationes addiderunt, in eorum aut νοθείαν aut γνησιότητα latius

inquirentes, tempusque & alia notatu digniora examinantes. Ope eximiorum codicum Gallicanorum, Vaticanorum & aliorum, seriem orationis infinitis in locis restituerunt; varias item lectiones & notas ad illustrationem operum concinnatas, sub paginarum calcem annexuerunt; copiosissimos denique sub exitum Indices collocarunt, una cum Onomastico, quod non Athanasii solum, sed aliorum etiam Græcorum Patrum scriptis intelligendis percommodum futurum existimarunt.

Sed ne in sola hac delineatione generali parum fortean Lectoribus se probatura subsistamus, agedum, præsentis editionis faciem paulo introspiciamus penitius. Placuit autem Benedictinis lecturos, antequam ad ipsa Athanasii opera eosdem admitterent, nonnihil in limine divertere, eaque fini Præfationem sat prolixam condidere; utut ea unicum habuisse videatur autorem, (Bernardum, prout comperimus, de Montfaucon,) qui ablatum sibi morte præmatura deplorat Jacobum Loppinum, Virum Latine & Græce admodum probe, Ebraice autem μετρίως eruditum, inque Philosophicis apprime versatum, quocum ad mediam usque partem tomi primi mutuas operas sociaverit. Agitur vero in hac præfatione de Athanasii primum manuscriptis, e quibus codici Basileensi, cujus varias lectiones Petrus Felkmannus edidit, a Doxopatre quodam, Viro erudito & de Athanasii scriptis bene merito, exarato palma sic tribuitur, ut ei tamen Regius Parisiensis septingentorum circiter annorum haud multum concedere putetur. Hinc ad codices impressos fit transitio, ac pro editione Athanasii omnium prima habetur Vicentina A. 1482 adornata, in qua tamen perpauca sancti hujus Patris opera, Omnibono Leoniceno interprete, contineantur. Volumen, quod A. 1520 Lutetiæ apud Johannem Parvum prodierit, Athanasiique nomen præfixum gesserit, duas solum orationes genuinas, & reliqua omnia supposititia habere dicitur. Ex iis, quæ A. 1527 Desiderius Erasmus Latine dederit, epistolam primam ad Serapionem immerito prorsus Athanasio abjudicari dolet clarissimus præfationis Autor, qui denique Petrum Nannium inter Latinos Athanasii editores palmam jure sibi vindicare posse judicat. Differitur hinc de editionibus Græcis, primoque loco collocatur Commeliniana A. 1600 curata, quam multo accuratiorem futuram fuisse Autor reputat, si, quod confecto pene opere fecerit,

rit, ab initio statim curam ejus suscepisset Petrus Felckmannus; interim secundum eam A. 1608 Parisiis novam, sed Latinam tantum prodiisse, aliamque A. 1612 eadem lingua, addita modo vita Antonii Græce ex editione Hœschelii, curatam fuisse observat. De Parisiensi Græco - Latina A. 1627 studio Joannis Piscatoris publicata monet, multa ibi ex variis Felckmanni lectionibus castigata, multo plura prætermissa, nonnulla vitiata fuisse. Versionem autem Nannii multis in locis, & plerumq; inconsiderate, mutatam queritur, ita ut contra fidem manuscriptorum impressorumq; codicum infeliciter augurando, editores sua, non Athanasii, substituerint. Tandem & postremæ illius, non A. 1681, ut notat, sed 1686 in Germania nostra impressæ, & a nobis in Actis istius anni p. 270. seq. recensitæ meminit. Singulis vero istis editionibus nondum hoc confectum ait, ut ne expeteretur adhuc accuratior; quandoquidem optimæ etiam earum gravissimis, quos allegat, nævis laborent. Inde versionem Nannii examinat, & rationes, cur eam retinere noluerit, allegat, varias, quas contra eam concepit, stricturas, quin & censuram istius, Eminentissimorum Cardinalium Congregationis Indicis jussu olim concinnatam, in medium proferens. Propriam igitur industriam ad operum Athanasii versionem Benedictini attulerunt, mediam quasi viam tenentes inter rationem transferendi παραφραςικὴν, & strigosam illam aliam, quæ Græca e vestigio & κα]ὰ πόδα consectatur, Græcaque sic reddentes, ut, quoad facultas tulit, a consuetudine Latinæ linguæ non deflecterent. Quæ aliaque postquam indicavit Autor præfationis, ad stylum Athanasii contemplandum se accingit, commemoratisque aliorum de hoc judiciis, dictionem Athanasii plus habere censet nativæ elegantiæ, quam artificiosæ diligentiæ; presse eum plerumque loqui & breviter, & majore sententiarum ubertate quam verborum instructum videri; præstare etiam salibus, nervis & τῷ εὐ]όκῳ redundantiam omnem resecante: quanquam ejus opera, ut & alterius cujusque, non pari elegantia concinnata fateatur, neque neget, nonnullis ex his aliquam peregrinitatem attulisse Latinæ linguæ usum, velut ubi vocem βετεράνος, item phrasin ἐκκλησίαν ἔδωκεν εἰς πρέδαν, adhibeat. Opera deinceps illius amissa ex Hieronymo, Theodoreto, Basilio, Epiphanio & pluribus similibus enumerat doctissimus Autor, quæque ejus doctrina circa præcipua religionis Christianæ capita fuerit,

rit, explanat. Mox Hæreticos allegat, quos vel data opera confutarit, vel carptim modo tetigerit Athanasius, Arium puta & Arianos, Aëtianos & Anomœos, Pneumatomachos, Basilidem, Carpocratem, Valentinum, Ptolemæum, Marcionem, Montanistas, Manichæos, Sabellium, Paulum Samosatenum, Rhetorium, Hieracam, Meletianos, Colluthianos, Photinum, Apollinaristas; de quibus singulis breviter disseritur. Succedit Synopsis disciplinæ Ecclesiasticæ, quæ Athanasii ævo obtinuerit; ubi recenset accurate, quænam ille de consuetudine Ecclesiæ, vel pluribus illustret, vel obiter tantum attingat, iis plerumque additis, quæ ad locorum ejus intelligentiam scitu necessaria sunt. Videas ergo heic moneri aliqua de ἱερατείῳ, de Synaxi, de throno Episcopali, Baptisterio, fidei in Baptismo confessione, perlustratione locorum per Episcopos, de nomine Archi-Episcopi, de Clericorum officiis, de cœmeteriis, de vitanda Hæreticorum consuetudine, de Monachis, & pluribus ejuscemodi aliis. Loca porro aliqua in notis breviter duntaxat exposita, latius heic deducit, tandemque eos celebrat, quorum opera aut codicibus in hac editione uti licuerit: quin & post quædam ex Petri Nannii præfatione excerpta; & post allatam integram, quæ in editione Commeliniana habetur, præfationem, syllabum nectit eorum codicum, quorum ope comtiora hæc Athanasii opera effecta fuerint. Additur & æri incisa tabula topographica, Ægypti loca, quorum apud Athanasium mentio, quamproxime ad verum situm delineans; cui monitum præmissum, in quo nonnulli Geographorum in locis Ægyptiacis errantes redarguuntur.

Secundo loco inter Prolegomena extantiora, memoratu digna est Vita S. Athanasii, nunc modo a Benedictinis magno studio adornata: tametsi nec inter veteres, nec inter recentiores defuerint, qui simili labore bene de Athanasio mereri studuerunt. Ac nominant quidem ex illis Benedictini in præfatione Eusebium, Hilarium, Gregorium Nazianzenum, Epiphanium, Ruffinum, Sulpitium Severum, Autorem vitæ Pachomii, Socratem, Sozomenum, Theodoretum, Gelasium Cyzicenum; ex his vero Joannem Tortelium, Lipomannum, Hermantium & alios, (quibus Guil. etiam Cave in Antiquitatibus Ecclesiasticis Anglico sermone dudum editis adjungendus fuerat.) Verum, quid in singulis desiderandũ, una adjiciunt. Ipsi vero studio multo majori in hoc opere versati nova non pauca, neq; hactenus, ut putant, observata attulerunt,

lerunt, totumq; vitæ ab Athanaſio tranſactæ curriculum, Annalium in morem diſpoſitum, accurate & copioſe adumbrarunt. Nos igitur eorum veſtigiis ſtrictim inſiſtentes, eandem vitam ὡς ἐν τύπῳ cum benevolo Lectore communicabimus. Natus videlicet eſt Athanaſius temporibus Diocletiani, parentibus piis, Chriſtianis, ac nobilitate forſan & opibus inſignibus. Patrium ſolum habuit Alexandriam, ubi lucem aſpexit A. C. circiter 296. Infantiam ejus atque pueritiam notabilem reddidere non Meletiani ſolum, ſed Ariani quoque, contra quos tamen non minus, atque hoſtes veritatis in univerſum omnes, inſtitutus mature ſolerter fuit. In juvenili enim ætate humanis divinisque diſciplinis eruditus, varia mox ingenii ad ſumma nati ſpecimina edidit, Chriſtianæ autem diſciplinæ tyrocinia ſub Petro Alexandrino poſuit. Vix minus duodeviginti annorum oporteret fuiſſe Athanaſium tunc, cum ad oram maris pueros baptizaret, ſi vera eſſet iſta Rufini traditio, quam Benedictini ideo explodunt. A. 315 Antonium, magnum illum ſolitudinis cultorem, adiit, profectusque & inſtitutionis cauſa non modico tempore cum eo verſatus eſt. Vixdum adoleſcentiam prætergreſſus, ante annum certe 319, Orationes contra Gentes, magna utique eruditione & magna elegantia refertas edidit. Cum A. 320 & ſequentibus adverſus Arium ageret Alexander, Epiſcopus Alexandrinus, Athanaſius huic familiariſſimus cum ipſo conſpirans arcendo hæreticorum impetui A. 322 dare cœpit operam, dumque interea privatim atque publice impugnarentur Ariani, Synodo etiam Nicæna A. 325 convocata, eodem anno Athanaſiani vis ingenii quammaxime emicuit. Utut enim Diaconus eſſet, & juvenilis ætatis, nemini tamen, quantumvis grandævo, ſtudio Arium confutandi ſecundus fuit. Nec Arii modo, ſed propugnatorum quoque ejus, Euſebii, Theognii, & Maris inſidiis atque conatibus pro virili occurrit, quo factum, ut tota vis mali in capitis ejus periculum poſtea immineret, ipſeque unus omnium impetum exciperet. Inter hæc Alexander ætate ac ſenio confectus, A. 326 ſupremum diem obiit, Athanaſium ſucceſſorem ſuum deſignans, qui tamen, ut tantum munus declinaret, ſeſe proripuerat; eoque abſente Meletiani in Præſulis Alexandrini munus ſuæ quendam factionis hominem, Theonem, evexerunt, ſed hoc tribus elapſis menſibus extincto, promotus ad id faſtigium fuit Athanaſius, eodem adhuc anno 320, quo Alexander deceſſerat. Non ita

multo poſt Epiſcopatus ſui exordium, A. 327 Thebaidis Eccleſias Meletianorum diſſidio Arianorumque motibus deflagrantes perluſtravit, quo vacillantes recrearet & firmaret. A. 330 Frumentium delegit Apoſtolum & Doctorem Abyſſinorum, qui non infelici cum ſucceſſu in regionibus iſtis Evangelium prædicavit. A 331 ab Euſebio & ſectatoribus varias expertus eſt inſidias calumniaſque, quas tamen forti tulit animo, zeloque erga Arianos multo majori incenſus, A. 332 Conſtantino Imperatori, Ario reditum in urbem Alexandrinam concedenti, maſcule reſpondit, nullam eſſe Hæreticis Chriſto adverſantibus cum Eccleſia Catholica ſocietatem, nec poſſe ſe ſalvo officio hujusmodi hominibus aditum præbere. Et tum quidem liberam rei ad arbitrium gerendæ facultatem obtinuit. Eodem anno Nicomediam petiit, Meletianorum ibi odia expertus, ſed iis victis Alexandriam reverſus eſt, ibique aliquantiſper in pace degit. Sed A. 333 Cæſareæ indicta Synodus, quæ criminationis, ac ſi Athanaſius Arſenium interfeciſſet, depulſionem ei injunxit, utut calumnia mox affatim diſploſa fuerit. A. 334 evocavit Alexandriam Antonium, Monachorum illum Patrem, ut a ſe amoliretur inuſtam ſibi conſenſus cum Arianis notam; id quod ille lubens in maximum Athanaſii gaudium mox præſtitit. Sed cum hinc per otium & pacem, ſolitam augendæ rei Catholicæ operam navare deprehenderent illius hoſtes, interturbare ejus conſilia, & Meletiani maxime, ſtuduerunt, denuo ipſum apud Imperatorem reum agentes, & inveteratas confutataſque criminationes renovantes. Jubente igitur Conſtantio, indicta eſt A. 335 Tyria Synodus, in qua Athanaſio crimina varia objecta, ſed etiam haud difficulter, nec ſine ignominia hoſtium ingenti, depulſa fuerunt. Interim nihiloſecius furori inimicorum cedere, ac in fugam dare ſe neceſſum habuit, damnatus interim a Judicibus iniquiſſimis & Epiſcopatu abdicatus, prohibituſque Alexandriam adire, ne tumultuum turbarumque autor exiſteret. Aſt mox Conſtantinopolin pervenit ille, ubi tamen Imperatorem parum ſibi faventem deprehendit, ab ipſo, quippe novis inimicorum criminationibus concitato, in Gallias relegatus. Vetuit tamen Imperator, ne in locum Athanaſii tunc alius eligeretur Epiſcopus: hic vero Treviros contulit ſe ſub initium anni 336, in quem Arii mors incidit, ſed quæ Sectatores a ſuis adverſus Athanaſium inſidiis avocare minus adhucdum potuit. Mortuo autem anno 337 ineunte

te Constantino, anno subsequente, permissu Constantini junioris, Athanasius Alexandriam remeavit, ast Eusebii & sociorum livori se ulterius expositum cognovit, quippe qui non occultis usi amplius insidiis, aperte causam Arianorum ut suam agere cœperunt, & A. 339 Pistum, Arianum Presbyterum, in Athanasii locum, Episcopum constituerunt Alexandrinum. Sed Athanasius A. 340 Synodum convocavit Alexandriæ, & re hinc ad Julium Pontificem delata, satis eum faventem sibi deprehendit. Mox vero A. 341 ingentes Alexandrinis turbas movit Gregorius Cappadox, in locum Pisti ab Eusebianis Episcopus istius urbis delectus, qui & Athanasio ansam dedit per fugam denuo sibi consulendi, e qua encyclicas ad omnes ubique terrarum Episcopos literas, indignitatem facti exponentes, ablegavit. Inde Romam pergens, a Papa Julio perhumaniter habitus fuit, qui & Eusebianos Romam citavit, dataque mox Epistola Synodica Gregorium & asseclas graviter objurgavit. Athanasius vero in tanta temporum iniquitate, aliquot annis Romæ versatus fuit; ast incertum, quidnam in otio, quod ibi impetravit, gesserit. Sicut autem interea frequenter excurrit, & Constantem Augustum, ubiubi locorum potuit, invisit, ita & A. 349 Aquilejam ad eundem profectus est; ubi simul accepit literas Constantii Imperatoris, quibus ad maturandum reditum in patriam & Ecclesiam suam se excitatum vidit. Verum vix a metu liberari potuit, secundamque ideo, quin & tertiam Imperatoris epistolam eadem mandantem expectavit; ast ultimo, suasu quoque Constantis accedente, Romam rursus venit, Julio & Ecclesiæ valedicturus. Post Antiochiæ Constantium compellavit, cujus literis commendatitiis instructus inque Palæstinam cum delatus esset, Hierosolymis maxime exceptus fuit comiter ab omnibus, ac denique Alexandrinis suis, haud citra summum eorum gaudium, post moras adeo diuturnas redditus. Sedi ergo suæ restitutus, Arianosque non indiligenter adortus, rescriptis, orationibus, literis undequaque missis eos exagitavit: qui tamen, mortuo imprimis Constante, rumores in eum spargere rursus cœperunt; sed hic per aliquot annos in pace nihilosecius versatus Alexandriæ, veræ fidei tuendæ augendæque plurimum intentum se exhibuit. Non cessarunt tamen adversarii, usquedum denuo exacerbassent Imperatoris adversus eum, utut innocentem, animum, qui & ipsam ei necem A. 355 intendit, missisque in urbem Alexandrinam

duci-

ducibus militibusque, Athanasii Ecclesiam invadi, & misere cuncta misceri fecit; ille vero manibus eorum, qui ipsi necem parabant, subtractus fugam capessivit, atque in remotiora Ægypti loca secessit, & e deserto literas quasdam hodieque superstites ad Ecclesiæ suæ addictos transmisit, apologiam quoque de fuga sua A. 358 elegantem edidit; ut epistolam ad Monachos de rebus ab Arianis gestis, aliamque ad Serapionem de morte Arii, quatuor item libros contra Arianos, scriptaque alia taceamus. Mortuo demum A. 361 Constantio, imperioque mox potito Juliano, data ab hoc exsulibus revertendi potestas est: quamobrem & Athanasius Alexandriam remeavit A. 362, ubi eodem adhuc anno Synodum celebravit. Enimvero Gentiles suæ addictum impietati Imperatorem nacti, metuentesque cultui Numinum suorum, qui Athanasii doctrina, sermone, precibus decrescebat indies, Julianum in insontem concitarunt, qui edicto peculiari Athanasium ex omnibus Ægypti locis pelli mandavit. Ille igitur quarto jam solum vertere coactus, iterum profugit in desertum, & ad Juliani usque obitum, parum licet tutus ab inimicorum insidiis, sedibus incertis apud Monachos est commoratus. Hinc Alexandriam A. 363 remigravit, ubi Joviani, Imperatoris Christiani, gratiam mox nactus, tutus fuit a persecutionibus, ac optima quævis sub ejus quoque successore Valentiniano polliceri sibi potuisset, nisi is Valentem fratrem imperii consortem sibi elegisset. Hic autem ut animo in Catholicos infenso fuit, ita Episcopos omnes, ac inter hos ipsum quoque Athanasium, e sedibus suis expulit; hunc tamen, popularem forte seditionem reformidans, mox A. 367 revocavit, quietamque vitam agere permisit. Totus ergo hinc Ecclesiæ curandæ intentus Athanasius, A. 373 cum quadraginta sex annos in Episcopatu consedisset, & quadragesimum septimum ageret, ætate ac senio confectus, prope octogenarius, sexto Nonas Maji diem suum obiit.

Hæc epitome est vitæ Athanasianæ a Benedictinis latius descriptæ, (sed nonnisi istius, quam publice & in conspectu omnium exegit; qualis enim in vita domestica & familiari fuerit, nescire se ob antiquorum silentium, epistolarumque Athanasii jacturam, Nostri confitentur,) qua finita post exhibitam Gregorii Nazianzeni in Athanasium orationem, Græcam non minus ac ex Jacobi Billii Prunæi versione Latinam, quatuor adhuc aliæ ejusdem vitæ delineationes subnectuntur,

qua-

quatuor adhuc aliæ ejusdem vitæ delineationes ſubnectuntur,quarum tres prioresGræco-latinæ ſunt,ſed quarta Latine ſolum legitur. Prima Anonymi cujusdam eſt,e Socratis, Sozomeni & Theodoreti ſcriptis deſumta, quam tamen ſexcentis ſcatere fabellis, nihilque ibi ſanum, omnia contaminata & ſuſque deque verſa deprehendi,Editores aſſerunt. Secundam ex Photii Bibliotheca deſumtam,ipſius Photii judicio,quiſquilias continere ſine pari,innuunt. Tertiam Simeonis Metaphraſtæ opera concinnatam melioris quidem notæ, ſed cum ex laciniis hinc & inde conſarcinatis conſtet, non magni uſus eſſe perhibent. Denique quartam ad uſum Coptorum adornatam, & ex Arabico a Renaudotio converſam innuunt. Utut autem hæc nugis & ineptiis ſupra fidem pleniſſima ſit, edere tamen eam voluerunt,ut gentis illius nugacitas vel exinde diſpaleſceret. De cætero elogiis nonnullis, a quibusdam veterum Athanaſio tributis,Prolegomena in univerſum omnia clauduntur.

Ac nunc demum ipſa Athanaſii opera inſpicere legentibus conceditur, facto a genuinis atque certis initio, quorum ſingulis præfationes adjiciuntur, de eorum tempore, occaſione, contentis, aliisque eo pertinentibus prolixe interdum diſſerentes. Ea vero,quæ ſatis nota hactenus fuerunt & extantia,ut heic commemoremus,non eſſe arbitramur neceſſarium. Juvabit potius ea indicaſſe, quæ huic editioni acceſſere, & in aliis ſive omnibus, ſive optimis tamen deſiderantur. Tomi nempe primi parte prima Athanaſiana contra Arianos Apologia admixtas habet duas epiſtolas, non ab Athanaſio tamen ſcriptas, ſed primam a Synodo Sardicenſi ad Ægypti & Libyæ Epiſcopos datam, & innocentiam Athanaſii comprobantem; alteram Epiſcoporum Ægypti, qui Tyrienſi Synodo intererant, ad Dionyſium Comitem,in qua de rebus contra jus & fas cum Athanaſio peractis illi conqueruntur. Καθαίρεσις ſeu depoſitio Arii & ſociorum ab Alexandro, Alexandriæ Archi-Epiſcopo,deſcripta, quæ p.396. habetur, a Cotelerio quidem ſuis ad Patres primi ſeculi notis inſerta jamtum fuit. Sed cum illa Cotelerii editio, abſumtis incendio exemplaribus prope omnibus, rariſſima evaſerit, hinc addere eam Benedictini non dedignati ſunt, Encyclicam ejusdem Alexandri Epiſtolam adjungentes, qua res geſtæ in exortu Arianæ hæreſis inque Arii & Sectatorum damnatione enarrantur. Hanc equidem & Socrates exhibuit, ſed

cum eam multis reſperſam eſſe mendis, ac præterea Cleri Alexandrini ſubſcriptiones illic deſiderari, nec has apud Gelasium reperiri integras vidiſſent Editores, novam & emendatiorem ex codice regio protrahere maluerunt. Pars tomi primi ſecunda exhibet p. 867 duas Athanaſii ad Orſiſium epiſtolas, ſed breviores, ejusdemque p. 868 narrationem ad Ammonium Epiſcopum & alios de fuga ſua ſub Juliano Auguſto. P. 967 habetur epiſtola ad monachos poſt A. 364 ſcripta, quæ iſtos hortatur, non modo ut Arianos averſentur, ſed etiam ut ab iis declinent, qui cum Arianis converſati fuerint, niſi reſipiſcant. Hanc extare dicunt Noſtri in editione Commeliniana, ſed omiſſam mirantur in Pariſienſi. Latinam interim ſolam exhibent, cum exemplar Græcum, magna licet cura perquiſitum, nanciſci haud potuerint. Sequitur p. 968 fragmentum nunc primum e MSto protractum, ſed itidem Latinum, epiſtolæ A. 356, cum juſſu Conſtantii Alexandrinæ Eccleſiæ ereptæ eſſent Catholicis traditæque Arianis, ſcriptæ, qua e deſerto ſuos conſolatur Athanaſius. De Trinitate & Spiritu Sancto p. 969 ſeqq. liber, & is Latino quidem ſermone conceptus, legitur, quem hactenus præpoſtere una inſcriptione conjunctum notant Editores cum illa confeſſione, quæ Tomo II poſt libros de Trinitate agmen claudat. Aſt priora ſane ſcripta de Trinitate a Latino quodam adornata fuiſſe concedunt; hunc vero librum pro verſione habent Græci alicujus opuſculi ab Athanaſio profecti: unde eidem, utut inelegans ſit & parum accurata translatio, locum heic concedendum exiſtimarunt. Præcipuum vero operum, quæ editioni huic acceſſerunt, Expoſitiones arbitramur, quibus Pſalmos Davidis, ad quadrageſimum uſque ſextum ſupra centeſimum, illuſtravit Athanaſius, diu expetitas illas, & a pluribus antiquæ, mediæ, infimæ ætatis autoribus celebratas, ſed nondum hactenus quoad contextum integrum typis exſcriptas. Has igitur e tribus codicibus manuſcriptis regiis depromtas Benedictini nunc cum verſione ſua exhibent, complentes iisdem ſpatium, quod inter paginam 1008 & 1240 intercedit. Reliqua, quæ adduntur, fragmenta modo minora ſunt, & aliqua ad librum Jobi, ad Cantica, Matthæum, Lucam, ad Epiſtolam ad Hebræos ſpectantia, aliaque iſtius generis complectuntur. In Canticum Mirjam, ſororis Moſis, ſcripſiſſe Athanaſium, ſe nuſquam hactenus inaudiviſſe Editores teſtantur, ac proinde ſpecimen commentarii iſtius a Cl. Viro, Anto-

Antonio Muratorio, transmissum in præfatione ad Expositiones Psalmorum suppeditant.

In peculiarem tomum, qui secundi nomen sibi quidem habet inditum, sed tertius jure optimo cognominandus est, constipata sunt Athanasii scripta non dubia modo, sed & ea, quæ manifeste spuria Benedictinis apparuerunt. In his autem cum aliqua occurrant, quæ, si vel primoribus labris attingas, statim ut peregrina & ab Athanasii illa ἐνεργείᾳ prorsus abhorrentia respuas, utpote disputatio contra Arium in Synodo Nicæna, sermo contra hæreses, historia Melchisedeci, liber de definitionibus, similiaque; alia autem fraudes paulo tegant accuratius: hinc ejusmodi libellis Monita semper sua præmiserunt, & qua de causa eos aut dubiis aut spuriis annumerent, dilucide exposuerunt. Sed addiderunt quoque spuria nondum hactenus vulgata, eaque numero haud pauca, non quod luce hæc adeo digna existimarent, sed quod obtemperare voluerunt plurimis eruditione claris, qui, quæ Athanasii nomen præ se ferunt, publici esse juris cuncta desideravere, ut lustrare singula, inque iis judicium suum exercere possent. Ea vero, quæ cum proxime præteritis seculis, fraudi opportunioribus, Athanasium impune mentita fuissent, instaurato demum literarum usu, ex Athanasianis dudum ejecta sunt, heic omisere, qualia Theophylacti in Epistolas Paulinas commentaria, in prioribus Galliæ editionibus ad frontem operum Athanasii collocata; libri Hilarii de Trinitate, Athanasio adscripti; Dialogus Jo. Damasceni contra Manichæos, similiaque alia.

Haud aliena est a præsentis tomi instituto nova, (quam p. 719 seq. legere licet,) in Symbolum, quod vocari solet Athanasianum Diatribe, in qua veterum de eo testimonia, temporum observata ratione, primum recensentur; hinc de codicum, in quibus extat hoc opusculum, ætate, conditione ac inscriptionum varietate differitur; porro de autore dispicitur, ac e reliquis, quæ itidem allegantur, circa eum sententiis, Antelmiana illa a nobis in Actis hisce A. 1695 p. 412 late recensita, pro verisimillima quidem, nondum tamen absolute certa, venditatur, relictaque in medio decisione, in Galliis certe istud elucubratum fuisse concluditur, variæque Symboli formulæ tam Græcæ quam Latinæ, quin & Gallicæ duæ subjunguntur, annexa etiam

explicatione ejus Latine composita, & ex codice cœnobii Sangermanensis plus quingentorum annorum exscripta.

Post Indices locupletissimos, Græcum quatuor foliorum onomasticon conspectui se nostro sistit, quod voces vel insolentes, vel quarum significationes peculiares aut minus observatæ sunt, quæque in his Athanasii operibus occurrunt, breviter quidem, sed dilucide tamen, explanat.

Quemadmodum autem universa hæc & singula eruditissimi imprimis Montfauconii industriæ debentur, ita exoptamus haud immerito, ut plura ejus generis opera ab ipso curata imposterum usui publico exponantur. Nec est, cur ea de re dubitemus, modo is ex Italia, quam per elapsam hyemem totam peragravit, inque Bibliothecis codices manuscriptos diligentissime evolvit, felici sidere in Gallias redierit.

## *BIBLIOTHECA SEPTENTRIONIS ERUDITI.*

Lipsiæ, apud Godof. Liebezeit, 1699. 8. Alph. 4. pl. 8.

Bibliotheca hæc, quæ audit, Septentrionis eruditi libros tres complectitur, jam ante quidem editos, sed quorum duo tamen insignibus accessionibus ditati sunt, volumen vero integrum novam in frontispicio exhibet præfationem eruditissime adornatam a Joanne Mollero, cui singula, quæ in isto leguntur, modo ut obstetricanti, modo ut parenti debentur. Ac in præfatione quidem negotiũ ipsi intercedit cum Danicæ Suecicæq; gentis censore Molesvvorthio, Wilhelmi III, Magnæ Britanniæ Regis legatione in aula Danica ab A. 1690 per triennium defuncto, quem Noster autorem facit non istius solum libelli, qui Anglice primum A. 1694. ἀνωνύμως sub titulo *An Account of Denmark, as it was in te Thear 1692*, prodiit, ac postmodũ Gallice, Belgiceq; & Germanice recusus fuit; sed alterius etiam, cujus versio Gallica inscripta *L' Estat present de Suede*, A. 1695 lucem publicam adspexit. Utrobique post criminationes, ceu vocat, plures alias, acriter quoque invectum eum fuisse queritur in Danorum æque ac Suecorum ingenia, utpote quæ ab eruditione solida remota nimis, ac ad rem literariam meritis peculiaribus ornandam parum idonea deprehendantur. Enimvero notam hanc a populis his depulsurus doctissimus Mollerus,

rus, integra hac præfatione gentium Borealium merita in literas prolixe celebrat. Incolas certe Septentrionis antiquissimis jam temporibus cultui eruditionis, pro ævi istius captu, haud infeliciter studuisse, tot lapides Runicos, tot Fastos lignis & metallis insculptos, tot Scipiones Astronomicos, aliaque monumenta apud Danos, Norwagos, Suecos & Islandos passim obvia, docere satis posse innuit; ac Poesin imprimis eorum, ingenio & arte neutiquam carentem laudat. Seculis deinceps æræ Christianæ nono ac sequentibus, cum doctrinæ cœlestis præconio eruditionem quoque solidam & elegantiorem ad istos transiisse notat, quam illi adeo benigne habuerint, ut cum seculo undecimo Europam reliquam summa premeret barbaries & turpis styli Latini comtioris ignorantia, in Daniæ cœnobiis hujus laude tum alii, tum Saxo imprimis Grammaticus, præclare enituerint. Quid? quod scripta tunc in lucem talia prodierint, quibus nec hodie eruditionis gloria ab æquis rerum æstimatoribus detrahatur? quorum Autores præ cæteris illustres e Dania, Norwegia & Islandia huc advocat, & breviter recenset. Per seculum vero superius, & per id, quod nunc finimus, inde a renatis cum doctrina puriori literis, nec regnis Borealibus defuisse ait doctores & scriptores, qui in singulis polymathiæ & sublimioris & elegantioris partibus cum exteris sibi coævis paria fecerint, imo palmam iis non sæpe solum dubiam reddiderint, sed & interdum extorserint; quod ut probet ulterius, magnum ante omnia Theologorum celeberrimorum numerum allegat, ac inter alia Molesvvorthio, Theologiam polemicam ab Ecclesiæ Borealis doctoribus parcius excultam fuisse asserenti, respondet. Hinc ad Jurisprudentiæ studium pergit, ejusque culturam admodum felicem, sed sobriam tamen simul atque moderatam, populis Borealibus gratulatur, ac leges maxime Arctoas respondet. Medicinam serius quidem, seculo nempe decimosexto, in Septentrione excoli cœpisse haud dissimulat, sed eo cum successu factum id fuisse innuit, ut nostra ætate Dani præ cæteris gentibus Europæis fere excelluerint; anatomiam certe exteris omnibus coævis felicius tractasse eos statuit. Nec adhibitam a Danis æque & Suecis circa partes Philosophiæ singulas industriam reticet, Matheseosque ab iisdem multum auctæ & ornatæ meminit, & quanto cum studio ac progressu humanioribus quoque literis incubuerint, sigillatim enarrat. Historiarum eos ab antiquis jam temporibus

amantiſſimos pronunciat, interque eorum laudes & hanc reponit, quod præcipuam hiſtoriæ domeſticæ rationem nunquam non habuerint. Denique Scriptorum Hiſtoriæ regnorum Borealium literariæ, &, quæ huic cohæret, eccleſiaſticæ, tam univerſalis, quam particularis, Syllabum ſubjungit.

Cuncta vero hæc ea Autor occaſione præfatur, quia in Syntagmate hoc ſcripta duo exhibet, quæ Virorum eruditorum, quos Dania Sueciaque ſibi vindicat, centuriam non unam recenſent. Horum alterum ab Alberto Bartholino, alterum a Joanne Scheffero profectum eſt.

Et Alberti quidem Bartholini liber *de Danorum ſcriptis* poſthumus, jam A. 1666 auctior a fratre Thoma editus in lucem fuit. Aſt in illo tamen concinnando, juſtam accurationem adhibitam haud eſſe, valdeq; imperfectam, & a nævis ſuis haud immunem, hanc Viri cætera doctiſſimi opellam eruditioribus merito videri, pronunciat Mollerus: plurimos a Bartholino, qui ante librum ſuum editum ſcriptis inclaruerint, omitti; de illorum, quos memoret, vita, ætate ac muneribus plerumque juſto pauciora, ſæpius nihil omnino, ac interdum etiam erronea tradi; complures nec patria Danos, nec officiis in Dania functos publicis, imo nonnullos Daniam & Septentrionem nunquam ingreſſos, Danis perperam accenſeri, indigenasque ab adoptivis ubique haud diſtingui; libros tantum recenſeri Autorum ſingulorum editos, omiſſis ἀνεκδότοις, editorumque titulos imperfectos plerumque & mutilos exhiberi; diſputationes Præſidum Academicas Reſpondentibus ſæpe tanquam proprii fœtus ingenii falſo attribui; ſcripta minutiora, diſſertationes nempe Academicas, orationes ac homilias ſacras, majoribus promiſcue admiſceri, monito nullo, quantum mole ab his differant, adjecto; denique nullam idiomatis, quo ſcripta ſingula prodierint, mentionem injici cauſatus. Joannes deinde Schefferus *Sueciam* elucubravit *Literatam*, quæ & ipſa quidem poſt fata demum celeberrimi Autoris ſui, A. 1679 extincti, lucem publicam A. 1680, genero Jo. Columbo, Poeſeos Profeſſore Upſalienſi, editionem fortaſſis curante, adſpexit, ſed Bartholini tamen librum, Mollero judice, majori accuratione antecellit; quanquam omnes ei Scriptores innotuiſſe haud affirmet, nec brevitatem ejus in narrationibus biographicis nimiam, annorum emortualium annotationis neglectum,

glectum, & cacoethes cum Bartholino ipsi commune, disputationes Præsidum Academicas, nominibus horum omissis, Respondentibus passim tribuendi dissimulet. Votis igitur bibliopolæ, novam utriusque Autoris editionem molientis, & ut auctior atque emendatior illa prodiret, efflagitantis, deesse noluit Mollerus noster, ac proinde textum accurate perlegit, paginarumque singularum, iisdem numeris in nova hac editione, quibus in prioribus, insignitarum sphalmata typographica sollicite emendavit. Bartholiniano textui monita de Autorum, præsertim minus celebrium, patria, vitæ generibus, officiis & annis emortualibus, historica aut critica sæpissime adjecit. Librorum ab isto memoratorum titulos, scholiis interdum brevibus, argumenta accurate magis exponentibus, frequentissime autem editionum omissarum vel novarum indicio auxit, nec raro, quæ in allegatis circa loca aut annos occurrebant erronea, immutavit. (Ac textum quidem Bartholini typis majusculis, sua autem, quibus eum interpolavit, minusculis excudi jussit. Verum discrimen istud characterum a typographo sæpissime neglectum fuisse deprehendent, qui hanc editionem cum priori conferre voluerint.) Imo addita sunt etiam frequenter scripta plura Bartholino vel ignorata vel præterita, & ut minutiora a majoribus, Latina a Danicis & Germanicis distinguerentur, titulos orationis, disputationis, concionis, in fronte, ubicunque desiderabantur, restituit, libris autem Danico vel Germanico idiomate conscriptis literas D & G hujus indices sub finem ubivis adjecit. Cumque paginarum, quarum numeros mutare noluit, angustiam omnibus additamentis capiendis haud sufficere animadverteret, Scriptores exotericos (quorum nominibus in textus margine signum NB. aliorsum Lectores ablegans est appositum,) in hypomnematis libello toti subjunctis fusius celebravit, singulorumque Biographiam compendiosam, aut (si hæc deerat,) ætatem, vel annum emortualem, scripta a Bartholino omissa, judicia de iis pariter atque autoribus vel honorifica vel sequiora, aliaque ἀξιομνημόνευτα, cum indicio Scriptorum prolixius de iisdem agentium, & succinctis in Bartholini aliorumque de illis errores animadversionibus exhibuit. Hypomnematis his, cum editio Syntagmatis hujus differretur, ipse autem interea Claudii Lyschandri catalogum Scriptorum Danicorum manu exaratum, aliosque libros recentiores obtinuisset, novum ex istis accessit spicilegium, cum

cum Indice alphabetico, Autores in hypomnematis ac ſpicilegio celebratos, ſerie cognominum obſervata, memorante. Schefferi autem ſatis in plerisque accurati textum additamentis interpolare noluit; libello tamen integro ſua de Scriptoribus Suecis celebrioribus, in textu ſigno NB. itidem notatis, hypomnemata, ſed, quod monumentorum Sueciæ hiſtoricorum tantus, quantus Danicorum, ad manum apparatus haud eſſet, pauciora pariter atque breviora ſubjunxit. Cæterum utriuſque libelli continuationem in præfatione promiſit, ſi inter Danos ac Suecos indigenas nemo hunc laborem vellet aggredi. Aſt vero nunc ab ejus manu iſta expectanda non eſt. Ipſe enim nos per literas edocuit, quod Suecos ſe Scriptores a Scheffero omiſſos colligere ſignificaverit D. Jo. Groningius Wiſmarienſis, JCtus Lubecenſis; quodque circa Danos ſimile quid vel a D. Jano Bircherodio, Epiſcopo Aalburgenſi, Alberti Bartholini, autoris genero, vel alio homine erudito tentatum iri, Amici polliceantur.

Quæ tertium locum in volumine hoc obtinet, *Introductio ad Hiſtoriam Ducatuum Slesvicenſis & Holſatici*, Mollerum ſolum autorem agnoſcit, ſed cum hæc dudum edita & in Actis hiſce A. 1692. p. 95 jamtum memorata fuerit, vix eſt, ut pluribus nunc de ea diſſeramus, præſertim, cum ne recuſa quidem illa auctave uſpiam ab Auctore fuerit, qui multo locupletiorem aliquando daturus eſt in *Cimbria Literata*, pro cujus operis ἀποσπασματίῳ haberi iſtam cupit, ac de cætero tractatibus præcedentibus addi hanc ſolum ob cauſam paſſus eſt, quod Scriptorum Danorum Suecorumque mentionem obiter ſaltem hinc inde eidem inſertam deprehendit.

## *JOH. CHRISTOPHORUS STURMIUS DE DEO IN CREAturis corporeis, & per ipſas juſſu & voluntate ſua primæva, in omnia tempora & loca etiamnum efficaciſſima, hodienum omnia operante.*

VIdi non ita pridem in Actis Lipſienſibus menſe Septembri ſuperioris anni, ab Illuſtri Viro G. G. Leibnizio editam Diatriben adverſus Apologiam pro mea *de Idolo Naturæ* Diſſertatione, a Viro celeberrimo *Günthero Chriſtophoro Schelhammero*, Medico Kilonienſium primario injuſtius, opinor, impugnatam, in qua Vir haut minori mo-

destia & humanitate, quam ingenii perſpicacia judiciique acumine, per univerſum orbem literatum famigeratiſſimus, ea benevolentiæ erga me judicia paſſim edidit, ut ſerio doleam me hactenus nondum poſſe, ad exemplum duorum inſignium Mathematicorum, quos in diſſertatione ſua laudat, in ea quæ nobis intercedit controverſia, manus dare, convictumq; me a tantæ famæ Viro ingenue confiteri; quod facere, ſancte teſtor, nullus erubeſcerem, ſi vel vim argumentorum ipſius pro potentiis creaturarum materialium vere propriiſſimeque activis perſentiſcerem, vel abſurda illa, quibus onerari hypotheſin meam ſibi perſuaſit, ex ea conſequi, & non potius ex aliis a me non minus quam ab ipſo reprobatis jure quidem inferri, una cum ipſo videre poſſem: Certe quo magis ſuſpicetur, mentem meam non ſatis ſibi perſpectam eſſe, nec ſuam mihi, multa facere (num. 16) palam profitetur. Conſultiſſimum igitur, meo judicio, fuerit, ut, ſi cum fructu finiri hoc inter nos amicum litigium, aut (quod ſibi gratiſſimum futurum eo loco teſtatur Vir optimus) ſententiarum quædam ſperari conciliatio debeat, cum ipſe credat, ſuam ſe ſententiam jam ſatis dilucide & abunde quidem comprobaſſe, ego quoque meam (quam fuſius alibi expoſui) conciſe hic & breviter, ſed ea tamen, qua poſſibile eſt, evidentia in ſynopſi declarem, ut ad alibi ſcripta evolvenda nec ipſe nec alii obligentur, ſed res tota, una cum rationibus præcipuis e primo ſuo fonte derivandis, Lectori a partium ſtudiis alieno ſub conſpectum ponatur.

(2) Quod ut eo felicius præſtetur, haut inutile, credo, futurum eſt, ſi quædam vel ex ipſa Viri celeberrimi diſſertatione, quæ nunc ſub manibus eſt, commemorem, in quibus, quantum ego judicare poſſum, plenus inter nos conſenſus eſt. Et *primo* quidem in eo convenimus, teſte num. ipſius (2) quod nulla detur anima Univerſi, Natura univerſa non ſit intelligentia prædita, nec aliud quicquam quã Dei artificium, & tantum quidem, ut quævis machina naturalis organis conſtet prorſus infinitis (id quod verum artis naturæque diſcrimen eſſe rectiſſime monuit) infinitamque adeo ſapientiam potentiamque autoris rectoriſque poſtulet; quod Calidum omniſcium Hippocratis, ſapientiſſima Scaligeri Virtus plaſtica, Heinrici Mori principium Hylarchicum, & ſimilia, partim impoſſibilia, partim ſuperflua putanda ſint, naturæque cujusdam creatæ ſapien-

tis, corporum machinas formantis gubernantisque figmentum rejiciendum: ex quo tamen ipse consequi non putat, nec rationi consentaneum, ut omnem vim creatam actricem insitam rebus denegemus; quæ est prima inter hypotheses nostras differentia, hic interim seponenda. *Secundo* in eo quoque consentimus, quod Aristoteles non male Naturam (cujusque corporis physici particularem) principium motus & quietis appellaverit, per motum generaliter omnem *mutationem*, per quietem autem στάσιν sive persistentiam in eodem statu, intelligens; & principium quidem passivum (quod Author quidem Celeberrimus expresse in num. suo (3) non addidit, Clarissimus autem Schelhammerus ex voculis τοῦ κινεῖσθαι καὶ ἠρεμεῖν rectissime deduxit) verbo, *principium mutabilitatis*, cum aliquo tamen renixu conjunctæ, ex ipsa cujusque corporis textura & artificio fluens. Quod si vero (uti non credo) principium aliquod activum, h. e. vim aliquam agendi insitam, & creatam quidem, seu divinæ Virtuti in creaturis etiamnum operanti (nam hoc utique *tertium* est, in quo consentimus procul dubio) contradistinctam intelligeret, id utique tanquam inter nos controversum, hic etiam tantisper esset seponendum. Id quoque *quarto* dudum me consentientissimum habuit, quod Materia per se stare non possit, & Mechanismus corporum intelligentia quadam spirituali omnino indigeat, adeoque ab altiore quodam principio fluat. Neque *quinto* uspiam nego actiones animæ nostræ immanentes propriissime sic dictas, ipso Domino Authore teste num. (10) Sed id negare velle, a ratione alienissimum juxta cum ipso reputarem. Utrum vero hinc consequatur, si menti nostræ vim insitam tribuimus actiones immanentes producendi, vel immanenter agendi, etiam aliis animabus & formis sive naturis substantiarum corporearum eandem vim inesse, inter κρινόμενα est, & hoc loco rursum tantisper sequestrandum. *Sexto* id utrique nostrum indubium habetur, quod materia prima saltem, sive nuda adhuc & informis, quam num. (11) *Materiam molis* appellavit & incompletam substantiam cum Scholis nuncupat (cujus nuncupationis rationem hic non examinabo) sit mere passiva, neque seipsam in motum concitare unquam possit, sed, ut existentiam suam a Deo unice habet, ita motum quoque, ad variantissimos mechanismos, partiumque texturas infinite varias recipiendas, ab eadem Divina virtute partibus suis imprimi necessum habuerit. Et

hæc

hæc ſunt præcipua illa, de quibus, quantum ad præſens quidem argumentum, nullus inter nos diſſenſus eſſe videtur. Multo vero plura reperientur vel in hac ſola Viri Celebratisſimi diatribe, in quibus alter alteri adverſari vel maxime videmur; ut fruſtra ſit omnis diſputandi fervor & induſtria, quam diu in terminis & notionibus, conſequenter in ipſis hypotheſibus convenientia non obtineatur, nec par ſit utrinque conciliationis ſtudium, & minor diſſentiendi, ſuaque cogitata alienis pro norma quaſi ſtatuendi cupiditas; in eo præſertim cognitionis genere, in quo pauca certisſime demonſtrare datum, cætera vero plurima per ſuppoſitiones veroſimiles felicius aut infelicius conjectare neceſſum eſt. Tametſi ergo ex uſitato hodie diſputandi genere, quo partes utræque veritatem penes ſe ſtare omnino perſuaſæ id unice agunt, ut ſuam ſententiam variis diſtinctionibus, limitationibus & reſtrictionibus, ſuper iſta hypotheſi controverſa ordinarie fundatis, & occaſione urgentiorum ex adverſa parte argumentorum demum quæſitis, muniant (quod Ariſtoteles τὴν θέσιν φυλάττειν congrue appellavit) adverſam autem abſurditatibus variis, ex ſua vero tantum hypotheſi talibus, onerent, & comparatione ejus cum aliorum exoſorum in vulgus authorum opinionibus, plerumque multum diverſis, in invidiam adducere laborent (quod in velitationibus topicis exercitii tantum victoriæque cauſa inſtitutis forſan tolerabile, ad eruendam autem veritatem inutilisſimum eſt ac penitus infructuoſum; prout vel tot proh dolor! Sectarum in religionis negotio concertationes in ſecula continuatæ ſuo exemplo demonſtrant:) tametſi, inquam, ex hoc diſputandi modo parum fructus ſperare auſim; tentabo tamen adhuc ſemel, invitatus quodammodo rara egregiaque humanitate Viri totiu Orbis literati conſenſu eruditiſſimi, mentem meam ſuper præſenti negotio, quanta potero perſpicuitate & facilitate hic exponere, iis rationibus & motivis, quæ me receptæ olim ſententiæ addictum in hanc novam pertraxerunt, ſubjunctis; non ut in meam ſententiam Virum acutiſſimum pertrahere aut victoriam reportare præſumam, ſed ut rectius ille mitiusque (quod ab ejus æquanimitate mihi certiſſime polliceor) de ea impoſterum ſentiat.

(3) *Primum* igitur, ut a recepta & a me ipſo quoque a primis incunabulis imbibita doctrina, de potentiis creaturarum materialium vere ſtricteque loquendo activis, & quidem Divinæ virtuti in

ipsis operanti contradistinctis, discederem, id effecit, quod viderem, positis licet ejusmodi potentiis creaturarum actricibus, ex eadem tamen recepta & communiore hypothesi, eas actu ipso nunquam agere, nec agere posse, nisi adjutas & elevatas a concurrente Divina virtute, atque ita quidem concurrente, ut una illa & eadem actio tota quidem concursui huic divino, tota vero etiam potentiæ actrici creaturæ tribuenda, neutiquam vero inter hanc & istum dividenda, statueretur. Quam sententiam cum capere nunquam potuerim, quicquid sit de distinctionibus ab ipsa hypothesi controversa suppeditatis, (si enim illa concurrens virtus Divina actionem totam producit, & ipsi producendæ utique sufficit; quid opus est potentia activa creaturæ eandem actionem producente? Et, si hæc a potentia creaturæ actrice divinitus ipsi concessa produci potuit; quid opus erat novo Dei concursu eandem una producturo?) nec tamen in Durandi duram sententiam concedere possem, qui maluit creaturarum actiones illi Divinæ virtuti in ipsis & per ipsas operanti, soli & uni tribuere; non eo tamen *secundo*, quo Byel olim Durando adversus rem concepit, sensu, quasi Deus omnia solus operaretur ad creaturarum præsentiam tantum, & externa solum apparentia concurrentium: sed ut media via inter hæc extrema incederem, & virtutem vere activam soli Deo servarem, creaturis autem specificam quandam habilitatem ac texturam, ad actionis specificationem (ut cum Scholis loquar) omnino necessariam, sed mere interim passivam, tribuerem: quemadmodum e. g. in organo musico pneumatico mirabiles illos sonos, follium flatus (ex hypothesi recepta) solus active producit, non tamen ad præsentiam tantum fistularum ac totius mirandi artificii, sed mediantibus his & peculiari organorum habilitate, ad varietatem illam sonorum prudentissime adaptata, verbo ad effectum specifice, sed patiendo tantum, non agendo, plurimum contribuente. Confirmavit me *tertio* in hac sententia natura conditioque materiæ, quæ omnibus creaturis materialibus & corporeis (de quibus solis hic nobis sermo) communis est, primæ sc. & informis adhuc, quam Substantiam esse seu rem saltem mere passivam inter nos in confesso est, adeo ut in motum simpliciter concitari, & illo mediante varie formari, nec a seipsa potuerit, quod per se patet, nec a corporibus ex ea demum per motum oriundis & nascendis, ut pote ipsa posterioribus; adeoque Divina

na virtute moveri necessum habuerit. Cum porro *quarto* per receptum hunc divinitus motum, & particularum suarum varium contextum & coordinationem, nihil aliud obtinere potuerit, quam novas habilitates ac dispositiones specificas, quibus apta jam reddebatur, non ad motum simpliciter, ut ante, sed ad tales ac tales infinities variantes & specifice conditionatos motus recipiendos; palam est, etiam secundam & jam formatam materiam, eandem adhuc virtutem motricem Divinam, ut summe sibi necessariam, in omnibus quas ipsi tribuimus operationibus etiamnum supponere, nihil aliud quippe præter istas habilitates passivas, activam illam Dei virtutem motricem specificantes, ad hunc, istum, illum, verbo varium, effectum contribuentes. Accedebat *quinto*, quod ad motus ipsius naturam curiosius attendentes, videbamur nobis clarissime videre, eam talem esse, quæ non nisi a summa seu Divina virtute (sive cum primitus esset simpliciter movenda rudis adhuc materia, sive cum hodienum jam varie formata taliter varioque eventu cienda veniat) promanare possit. Etenim, quemadmodum rerum duratio non est aliquid ab ipsis rebus distinctum, sed continuatio tantum existentiæ ipsarum per plura temporis momenta, a mero Dei beneplacito, ut ipsa existentia, unice dependens (qua de re haut facile quisquam dubitabit;) ita rei cujusdam corporeæ translatio sive motus localis, non est, opinor, aliquid ab ipsa re translata distinctum, sed continuatio tantum existentiæ ipsius per plures spatii localis partes, ab eadem liberrima Dei voluntate promanans; utpote, quæ sola cum facere possit, ut res aliqua, quæ prius non fuerat, existere incipiat, a fortiori sola quoque facere potest, ut semel existere cœpta pluries existere, sive in diversis successive momentis, seu punctis temporalibus, sive in diversis successive punctis localibus (hæc duo enim sibi mutuo implexa sunt) existere pergat. Quod si ergo nec natura ipsius motus aliunde quam a Dei virtute arcessi posfit, nec actiones creaturarum materialium aliter quam per motum materiæ localem absolvi queant (quod si enim alius utrobique suppetat, is ostendendus est clarus quidem, &, quia de rebus materialibus agitur, distincte imaginabilis; ) a priori certum est, & in clara luce positum, omnes creaturarum materialium, quas eis attribuimus, actiones soli Divinæ virtuti motrici, in ipsis, pro cujusvis habilitate ac dispositione (quæ & ipsa ab eadem voluntate tota pendet) varie o-

peranti esse acceptas ferendas. Hæc itaque mens mea est in præsenti negotio, & hæc hypotheseos meæ fundamenta, quæ funditus evertere oportet eum, qui me ab illa, sacris præsertim textibus innumeris consonantissima, dimovere velit. In aliorum gratiam solum indico, eam plenius multo diductam legi posse in recensu Dnn. Collectorum Lipsiensium mense Octobri 1697 super Phys. nostræ Hypoth. Tom. 1 instituto pag. 474 & seqq; plenissime vero expositam in ipso operis illius Physici Epicrisi super hypotheses cap. IV. a pag. 157 usque ad pag. 190 & epicriseos finem. Quibus legendis & paulo attentius perpendendis si Lector benevolus, præsertim de hac mea sententia (quam nemini obtrudo) sententiam laturus, horulam unam aut alteram impendere voluerit (alioquin ad hunc laborem suscipiendum minime obligatus) rem utique faciet mihi longe gratissimam.

(4) Antequam vero nunc excutiam, num ea, quæ celebratissimus Dn. Leibnizius in suo Schediasmate superius laudato mea supposita, præced. num. 3. ἐν συνόψει comprehensa jure quidem, ut opinatur, improbaverit; hoc inculcare vel maxime necessarium ante omnia fuerit, quod jam alibi fere ad nauseam inculcatum fuit, quodque Virum insignitissimum, modo ad mentem meam attendere cum aliquali cura voluerit, negaturum esse nulla est, justa quidem, suspicandi occasio: Dei posse, velle, agere & efficere rem unam eandemque esse, ita ut non solum quod nunc & in præsenti vult fieri, hujus volitionis efficacia statim fiat & extet, sed etiam quæ voluit olim & ab æterno ut essent fierentque, non tunc sed futuro tempore hoc aut illo, in loco hoc vel illo, ea quoque suo illo tempore, suo illo loco in Divina mente prædefinito, actu ipso fierent, extarent, efficacia infinitæ illius volitionis in omnia futura tempora & loca sese exporrigente; ita quidem ut tunc, cum fierent, non opus esset nova volitione, novo conatu aut laborioso quodam negotio; sed ideo tunc & hoc aut isto loco fierent, quia Deus jam olim ista hoc aut isto demum loco & tempore fieri voluerat. Hæc itaque cum sit genuina mea mens, quam ex parte agnovit Vir laudatissimus sub initium num. (5) evidens est profecto, quod verissime suspicatus sit, *mentem meam non satis sibi perspectam esse*; alioquin enim ea, quæ eodem illo num. (5) & sequenti (6) toto sequuntur, tanquam meæ sententiæ adversa, nunquam objecisset; quasi nimirum dicerem quidem, *Deum initio res creantem voluisse, ut certam quandam legem in progressu observarent, inte-*

*interea vero fingerem illam ejus voluntatem ita inefficacem, ut res ab ea non fuerint affecta, nec durabilis in iis effectus sit productus &c.* Etenim si voluit Deus jam ante mundum conditum, ut e.g. hoc ipso anno 1699 d. 5 (15) Martii contingeret eclipsis Lunæ (prout contigit procul dubio, tametsi nobis ob aeris densa nubila non conspecta,) voluit eo ipso illa omnia media, a quibus illum effectum dependere pariter voluit. Voluit ergo quoque, tum ad hunc, tum ad innumerabiles alios fines obtinendos, ut existeret tempore definito materia aliqua, cujus antea ne pulvisculus quidem unicus extiterat: Voluit ut hujus materiæ minutiæ incomprehensibili varietate moverentur, & hoc motu mediante in varietatem corporum mundanorum, magnorum, parvorum, inenarrabilem coirent, h. e. Luna, Sol, Cœlum seu æther aliquis &c. existeret: Voluit illa corpora cœlestia, Lunam & Solem in æthere vel ab æthere, aut si mavis, per ætherem in orbem & gyrum actum una circumagi, & hoc pacto periodos suas, unum citius, alterum serius, absolvere, prout in ambitu ætheris ampliore vel angustiore contingere, vi specialium illius volitionis infinities efficacissimæ circumstantiarum, necessum erat: Voluit etiam, ut Luna & Terra opaca essent corpora, eamque qua fruuntur lucem ab unico Sole mutuantia: Voluit denique (quis enim innumeros istos effectus perpetuo durabiles vel in hoc uno casu valeat enarrare?) Lunæ revolutiones ita oblique sub via Solis incidere, ut non nisi certo tempore vel in terræ umbram incideret, cum paulo ante plena facie resplenduisset, vel ipsum Solem quibusdam terricolis obtegeret, &c. &c. Deus igitur, uti non hæc solum, sed innumera alia in condenda natura deinceps futura, uno simplici intellectus intuitu prospiciebat; ita uno simplici volitionis actu (quem nos in infinitos dividere necessum habemus) ista omnia sic præordinabat, ut suo quæque tempore, sola vi & efficacia illius suæ volitionis, media interim una omnia ad ulteriores fines eadem sua sola virtute ordinantis, & ut instrumenta moventis, fierent & efficerentur omnia. Quod si ergo res ita habet, infert eodem num. (6) Vir acutissimus, & *lex a Deo lata reliquit aliqua sui expressa*, & tam multa quidem, *vestigia, si res ita fuere formatæ mandato, ut aptæ redderentur ad implendam jubentis voluntatem; jam concedendum est, quandam inditam esse rebus efficaciam, formam, vel vim, qualis naturæ nomine a nobis accipi solet, ex qua series Phænomenorum ad primi jussus præscriptum consequeretur.* (5)

(5) In his vero Viri venerandi verbis totus jam controversiæ cardo ita vertitur, ut certo ſenſu intellecta me habeant ſibi penitus conſentientem, alio vero ſenſu accepta aſſenſum meum extorquere nondum valeant. Non nego, in rebus creatis Divinæ voluntatis mandato formatis & aptitudinem nactis ad ulteriorem ejus voluntatem, aut ejusdem primævæ unicæ ulteriores conditiones implendas, ineſſe vim quandam & efficaciam in ipſis & per ipſas operantem, nimirum illum ipſum primævæ voluntatis juſſum, quo formatæ jam & habiles redditæ ad ulteriores multivarias & ſpecificas impreſſiones recipiendas, has quoque mediantibus ſubtilioribus mobilibus eadem divina voluntate agitatis, actu ipſo determinari voluit. Quam efficaciam ſi vellet appellare *legem divinam* creaturis *inſitam*, nobis aſſentientiſſimis id faceret, quippe qui tum demum diſtincte intelligere poſſemus, quomodo creaturarum & corporum naturalium operationes ex hac lege ſibi inſita, nec tamen intellecta, conſequantur. Videbo num ſimili aliquo mentem hanc meam ulterius declarare & reddere perceptibiliorem valeam. Eſt Norimbergæ civis aliquis & artifex eximius, nomine Hautſchius, cujus pater olim non minus celebris, inter alia egregia artificia ædiculam quandam extruxit, in qua opificum plerorumque omnium genera, quotquot eorum non ſolum Norimbergæ, ſed per univerſam reliquam Germaniam reperiebantur, ita parvis icunculis repræſentabantur, ut harum quælibet ſui opificii partes & actiones examuſſim æmularetur & ſpectatorũ oculis ingereret, faber e. g. ferrarius malleo ſuper incudem ferrum cuderet, lignarius tignum aſcia exaſciaret, ſutor filo picato calceum, diductis per intervalla brachiis conſueret &c. &c. idque ad nutum laudati artificis, vel alius ab ipſo ſubordinati hominis, manubrium unica manu verſantis. Liceat nobis ſano ſenſu comparare Hautſchium opificem & motorem hujus machinæ cum Deo ter optimo terque maximo, ſummo Opifice, ſummoque Motore hujus machinæ mundanæ ſive univerſæ Naturæ. Quemadmodum illa 1. ſuam exiſtentiam, ratione formæ principalis ut partis potioris (materia enim & hujus conditiones diverſæque qualitates, ipſi ejuſque voluntati nequaquam debebantur) ab Hautſchii arte & conſilio, ſuppoſitis ſupponendis, utique habebat; ſic Mundi adſpectabilis forma & διακόσμησις non ſolum, ſed univerſa quoque ejus materia, omnesque materiæ conditiones & qualitates primævæ,

mævæ, potentissimi Numinis decreto unice accepta ferenda sunt. Sicut [2]. Materiæ mobilitate generali præsupposita ( nam & hanc ipsi artifex dare haut potuit) aptitudo ad subeundos tam varios motus speciales & specificos eidem voluntati & consilio artificis merito tribuitur, quod a formis ac dispositionibus materiæ diversissimis, huic eidem paulo ante jure adscriptis, illa dependeat; Sic inenarrabilis varietas aptitudinis & habilitatis ad infinitas motuum specificas diversitates, insuper & ipsa materiæ generalis mobilitas, & ipsa motio actualis ad formas & aptitudines illas specificas obtinendas requisita, eidem primævæ Dei voluntati unice adscribenda venit. Sicut porro [3]. variæ illæ & artificiosissimæ partium in illa machina artificiali dispositiones, aptitudines & habilitates, tanquam principia motus & quietis talis aut talis mere passiva, in actum haut deducuntur, nec operationes suas diversissimas edunt, nisi ex voluntate artificis manubrium versantis aut versari jubentis, ac toties quidem iteranda voluntate, quoties cessantes a suis motibus icunculæ in eosdem denuo concitandæ veniunt: Ita mundanorum corporum innumerabiles habilitates ad varia operandum in actum non deducuntur, nisi virtute ejusdem illius voluntatis Divinæ primævæ iterationis haut indigæ, sed in omnia loca & tempora sese efficacissime effundentis, in motus illos, quibus exequendis aptitudinem habent passivam paratissimam, actu ipso concitentur: ita quidem, ut, si voluntas illa primæva, inter alias innumeras, hanc etiam conditionem involvat, qua, finito certorum seculorum numero motus isti omnes debeant cessare, veniente istius seculi fine, cessatio hæc universalis, mundique adeo totalis dissolutio indubie sit consecutura; non aliter ac totius Hautschianæ machinæ operatio prorsus cessat, ubi venerit illud temporis punctum, ad quod usque manubrium versare decreverat. Quemadmodum denique [4]. Hautschianæ illæ icunculæ cum connectentibus eas filamentis ferreis similibusque partibus intermediis, quatenus illi artificis motrici virtuti opponuntur, palpabiliter non agunt, sed ab hac sola unæ per alias aguntur, ne potentiam quidem habentes agendi quicquam nisi ab illa impellantur, agantur, trahantur &c. imo, si fingantur aliquam habere sive potentiam agendi, sive formam aut animam nescio quam agentem, frustra illam habituræ, quandoquidem illa sola artificis motrice facultate ad exequenda sua quæque munia sufficientissime ani-

mantur, hujusque adeo intuitu demum, quatenus una cum illa in ipsis & per ipsas agente spectantur, eatenus agere diversissima potentiisque talia agendi præditæ dici me non invito possunt: Ita corporeæ creaturæ seu partes hujus artificii Divini, quod mundum appellamus, quatenus opponuntur virtuti motrici Divinæ in ipsis & per ipsas, pro ratione cujusque passivæ habilitatis & aptitudinis, operanti, patiuntur tantum, aguntur, & moventur universæ, & sufficientissime quidem ad omnes effectus suos mirabiles producendos & exhibendos, ut frustraneum sit alias insuper ipsis formas activas vel spirituales (quod durum esset & fere inauditum) vel materiales & corporeas (quarum agendi modus esset inexplicabilis ipsis adjungere; quatenus autem una cum illa virtute seu efficacia Divinæ voluntatis in ipsis & per ipsas operante, tanquam lege quadam insita, considerantur, eatenus & gaudere potentiis activis, per diversas suas habilitates etiam specifice discriminatis, adeoque ex insita illa lege sive decreto Divino actu ipso agere omnino dici non possunt solum, sed etiam merentur.

(6) Fateorque jam, & lubens quidem, hanc vim insitam intelligi tantum posse, non imaginabiliter explicari, quod Vir Celeberrimus num. suæ Differt. 7) dicit. At enim vero, si per vim illam insitam aliud quid intelligat præter illam Divinæ voluntatis efficaciam, quod in creaturis corporeis illa, tanquam effectum in his subsistentem post se reliquerit; eam quidem vim insitam, si spirituale quiddam statueretur, quod adeo volendo ageret, supervacaneam puto, quandoquidem Divina voluntas primæva effectus etiam modernos & futuros sufficientissime præstare valet; si materialis & corporea statuatur, quænam & qualis illa sit me primum non capere confiteor, deinde vero ejus explicationem imaginabilem (novi enim probe discrimen inter *imaginabilia* & *intelligibilia*. posteriorum exemplum insigne agnoscens animam nostram rationalem, priorum, inter cætera materialia, brutorum & plantarum animas) omni jure postulo, modumque, quo lex illa materialis insita in corporibus legis ignaris operetur, imaginabiliter declarari pertinaciter peto. Cum enim materialia non operentur, nisi figura motu, partium tali vel tali connexione, similibusque mediantibus, quæ sub imaginationem cadunt omnia, omnes etiam operandi modi in rebus materialibus debent esse imaginabiles. Neque sine injuria aliqua mihi hæc statuenti objiceretur, ita credi me posse

postu-

postulare, *ut soni pingantur vel colores audiantur*: non enim dico aut dixi unquam, omnes operationes materialium sub sensum aliquem, nedum sub quemlibet sensum, sed sub imaginationem tamen omnes cadere debere. Insuper illud hic iterum, forte non sine nausea, inculcandum, si vis illa agendi insita, Divinæ quidem virtuti motrici contradistincta, materialis concipiatur (ut si quis illam a materia quadam ætherea per omnia vagante, vel etiam ab alia adhuc subtiliore, qualem Aristoteles sub nomine *naturæ stellarum elemento analogæ* dudum admisit, per ætherem ipsum celerrime ultro citroque fluente &c. derivare vellet) hujus equidem vim & operandi modum imaginari facile licere, sed una promte intelligi posse, eam, quatenus vis Divina motrix immaterialis (ideoque non imaginabilis, neque quoad rem ipsam neque quoad operandi modum, sed tantum intelligibilis) non una involvitur, sed ipsi contradistinguitur, vere proprieque activam non esse, sed, ut aqua, aer, spiritus animales in corporibus hominum brutorumque &c. ab interfluente æthere multo mobiliore, agitantur, impelluntur, atque adeo non nisi patiendo, mota & impulsa, h.e. improprie & respective movent; hic ipse vero æther, ut & flammæ crassiora & urentiora spicula, ab alia rapidissima sibi intime permixta & adhuc subtiliore materia similiter aguntur potius quam agunt; ipsa deniq; hæc subtilissima (si prior & subtilior alia aliaque in infinitum supponi nolit, quod incongruum foret) a voluntate Divina primæva prorsus immediate, tum ratione suppositi, tum ratione virtutis, suum motum rapidissimum habere & in cæteras mundi partes transfundere necessum est, solumque adeo Deum in sensu vocis accuratissimo agere & movere, non actum sc. nec aliunde motum aut necessitatum; creaturas autem corporeas & materiales agi potius & moveri diversimode, nulla alia quam Divinæ voluntatis primævæ virtute, quamvis plerasque mediantibus aliis prius motis; diversimode, inquam, pro ratione suæ aptitudinis & mobilitatis specificæ, aut, si agere & movere, recepto jam more, dicendæ sunt (potentia præsertim illi Divinæ efficaciæ motrici contradistincta hanc utique in illa ἀκριβείᾳ & vocis summa proprietate, activam nequaquam esse, imo ne quidem potentiæ talis vere, propriissime & active motricis, h. e. nullo præcedente passivo & aliunde recepto impulsu motricis, capacem esse ullam creaturam materialem. Ut mirer, Virum Acutissimum

non capere (ut ait sub initium num. (12) *quænam possit esse potentia non active - motrix*; cum non nisi Dei potentiam motricem talem esse, quæ citra receptum aliunde impulsum vel impetum, adeoque mere - active moveat, confiteri necessum habeat, vel ipso Aristotele suadente & urgente, dum Lib. VIII Phys. cap. VI & VIII textu præsertim 13 prolixe inculcat, primum movens movere *ἀκίνητον ὄν*, alia vero movere *κινούμενα*, adeoque (quod textu 51 expresse dicit) *οὐ κυρίως*, *non proprie*; & textu sequ. 52 iterum asserit, *εἶναί τι δεῖν τὸ πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον, καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκός*, h. e. interprete Pacio, *Oportere esse aliquod primum movens immobile, quod ne quidem ex accidenti moveatur:* quæ certe Viro in scriptis Aristotelis (quem una mecum magni æstimat) versatissimo ignota esse non possunt.

(7) Hæc est mens mea de Virtute Divina in Creaturis corporeis & per ipsas sola active omnia operante, & de creaturis non nisi motis, actis & impulsis, h. e. patiendo & improprie agentibus, quam clarius exprimere mihi est impossibile, quamque denuo hic exponere ad instantiam Viri ingeniosissimi volui, non eum in finem ut eum in hanc meam sententiam pertraham, aut quod ipsi de contrario persuaso me satisfacturum sperem (novi enim vim præjudiciorum & præconceptarum opinionum, a quibus ne meipsum quidem penitus liberum profiteri ausim, tametsi quamplurimas a juventute mea in hunc usque diem me exuisse citra jactantiam dicere possum, & inter illas hanc ipsam quoque, quam olim mordicus tenui de creaturarum potentiis vere proprieque activis) sed ut hac a me denuo, quantum fuit possibile, declarata, & quia contra vim activam nunc distinctiorem & rectiorem, quam hactenus habita est, e suis Dynamicis derivatam, Vir Celeberrimus sub finem num. (7) confidit, ulterioribus imposterum super hac materia concertationibus supersedeamus, suo quemvis abundare sensu sinentes, & Lectoribus de utroque liberam judicandi facultatem relinquentes. Mihi enim (ut nihil dissimulem) cui plusquam sexagenario gemina Professio, & utraque quidem amplissima, præterque alias plures, cura quoque novem liberorum amplæque adeo familiæ, divinitus demandata est, tantum otii nequaquam conceditur, quod uni controversiæ longius protrahendæ queam impendere.

(8) Quæ

(8) Quæ causa etiam est, cur vel ad cætera, quæ, præsentem litem propius attingentia, passim improbantur, tum vero ad alias Viro Celebratissimo peculiares suppositiones, a meis hypothesibus haut parum discrepantes, reponere nihil velim; quod videam ita lites ex litibus nascituras, non solum sine fructu & commodo, sed etiam nonnunquam cum temporis mutuæque affectionis & æstimationis detrimento. Mihi certe animum esse minime litigiosum, sed in conciliationem proclivem, testem habeo ipsum Venerandum meum in re præsenti Adversarium, qui non sine tacita quadam exprobratione sub finem sui Schediasmatis testatur, me, cum de sententia ipsius circa vim insitam mense Martio 1694 in Actis Eruditorum Lipsiensibus prolata plenius informari cupiens, per Amicum quendam aliqua quæsivissem, mox accepta ejus responsione perbenigne judicasse, nullum inter nos esse discrimen nisi in loquendi modo; quia nempe in illo suo responso vix alias suæ hypotheseos partes exposuerat, quam quas meis qualibuscunque cogitatis quoad rem satis consentire visas non poteram non læta mente excipere (prout etiam anno superiore, cum Augusto mense in Actis Lipsiensibus p. 355. Med. Doctorem quendam in Anglia, nomine *Bernardum Connor*, Regiæ Societatis Membrum, eandem mecum circa præsentem controversiam fovere sententiam, non reipsa solum sed verbotenus etiam mihi consentientem, observarem, præ gaudio tantum non exilii) eoque ipso animum in conciliationem concordiamque pronum contestari. Verum, cum postea, ut ipse fatetur, nonnulla adhuc monuisset, ac cætera suarum suppositionum membra plenius evoluta exposuisset, in contraria me versum, plura inter nos discrimina posuisse (dolentem quidem, quod bona fide testor) quam ipse agnoscat; quæ quidem judicii sive diversitas, sive inconstantia, sui causam ex dictis evidentem ostendens, ex una parte pacis & conciliationis præproperum forte studium, ex altera candorem & ingenuitatem (quod absque jactantia dixerim) testari videtur. Cum vero subjuncta istis immediate sequentia Viri magni verba legissem, *vix exemtis istis* (quæ sc. ego altera vice agnoveram inter nos, discriminibus) *tandem novissime eo me redusse, ut denuo scriberem, nisi verborum, differentiam inter nos esse nullam*; hæsi, fateor, & miratus sum hoc ultimum assertum. Cumque non satis recordarer, quæ in novissimis meis, mense Septembri 1697, cum ipse Julio antecedenten-

cedente Continuationem suæ Dynamices, quam ad Acta Lipsiensia communicare destinaverat, pro sua civilitate mihi legendam per filium meum Prof. Guelferbytanum transmisisset, quid, inquam, ad eundem filium meum scripsissem (ad ipsum enim Virum Insignem neque tunc, nec ex eo tempore ullas, quod sciam, dedi literas) quæsivi inter schedas meas, ac reperi tandem, quæ tum conceperam, sequentia, bona ipsius pace hic subjungenda, cum ad illustranda superius a „me dicta non parum forte faciant: Ex Venerandi Leibnitzii conti-„nuatione Dynamices, quam ipso quidem volente ad me curasti „mense Julio præsentis anni, hoc inprimis evidenter perspexi & hic „ingenue nunc agnosco, nos equidem ad eandem collimare metam „(quod ipse dicit esse verissimum) in ipsa via vero & ratione illam at-„tingendi valde adhuc differre, contra ac antehac procliviore in „conciliationem animo credideram, cum eas suæ hypotheseos par-„tes nondum ita clare proposuisset in prioribus suis, quas ad me de-„derat literis, ac in hac Dynamices suæ continuatione nunc facere di-„gnatus est. Ex quo illud colligere pronum fuit, consultius fore, si „in ulteriorem cum eo disputationem prius haut descendam, quam is „& hæc & alia, quæ hactenus vulgare forte distulit, supposita per hasce „continuationes ad Acta Eruditorum communicandas plenius expo-„suerit. Quamobrem non est, cur præsens hoc Schediasma, quod pro „Actis Eruditorum se concepisse scribit, ulterius distineat ac publico „communicare tardet; gratum tamen interim facturus mihi, si hoc bre-„ve monitum meum laudatissimo suo Schediasmati subjungere non „dedignetur. Cæterum in seqq. ut video, nunc differimus: 1. Agno-„scimus utrique corpora non nisi acta agere, & hoc ipso ne ego qui-„dem statuo ea nullo modo agere, cum actum agere sit utique aliquo „modo agere; sed hic agendi modus respectivus tantum est, &, si „scapham appellare scapham velimus, est mera passio, qua mediante vis agentis redundat in aliud una patiens: prout e. g. dum lapi-„dem moveo mediante baculo (quo exemplo jam olim usus est Ari-„stoteles) baculus respectu lapidis moti concipitur ut movens, tam-„etsi revera non ipse moveat lapidem, sed moveatur tantum & me-„diante ipso etiam lapis, ab una quidem eademque virtute manus „meæ, quam interim ut originaliter moventem concipio. Agno-„scimus 2. utrique, materiam & materialia non nisi Divina virtute

moveri

„ moveri posse, sed differimus in hoc, quod Vir Celeberrimus existi-
„ met, eo ipso dum moventur, aliquam ipsa vim accipere; ego vero
„ putem, siquidem per hanc vim acceptam intelligat vim activam,
„ qua, sibi jam propria & a virtute Dei moventis distincta, alia mo-
„ veant, id penitus esse imposibile: quia demonstrasse me credo in
„ Physica Electiva, materiam & materialia non esse capacia virtutis
„ activæ vere talis & a Divina virtute distinctæ, sed unica solaque Di-
„ vina virtute motrice & primum materiale, & per primum mere
„ passive se habens etiam secundum &c. moveri, ita ut primum illud
„ improprio, sed recepto hactenus, loquendi modo movisse secun-
„ dum dicatur, verum non nisi patiendo motumque movisse, h. e.
„ absolute proprieque non movisse, aut nulla sua virtute, quam a Deo
„ movente accepisset, ab illius virtute motrice jam diversa, movisse;
„ sed motricem Dei virtutem in se agentem per se in aliud una moven-
„ dum transmisisse: non aliter ac ponderis in horologio vis gravita-
„ tis (quam interim ut mere activam considero) sola & unica non so-
„ lum primæ rotæ, sed etiam secundæ cum illa connexæ, & implicitæ,
„ similiterque tertiæ &c. movendæ sufficere potest, ut opus nequa-
„ quam sit vel in secunda vel in tertia novam active movendi virtu-
„ tem, a pondere movente acceptam, supponere, maxime cum illa
„ acceptio ejusque modus sit penitus inconceptibilis. Differimus
„ 3. in eo, quod Vir Ingeniosissimus substantiam mere passivam con-
„ cipi posse neget. ego vero cum plerisque tam antiquis quam moder-
„ nis demonstrasse me, imo per se clarum arbitrer, materiam esse
„ vere substantiam, h. e. rem nulli alii tanquam subjecto inhærentem
„ (qui receptus hactenus fuit substantiæ conceptus, quodnam enim
„ esset illud subjectum, a quo materia inhæsive, ut cum Scholis lo-
„ quar, dependeret? & tamen omni activa potentia destitutam. Dif-
„ ferimus 4. in eo, quod ipse in substantia corporea vim agendi sup-
„ ponat a certa quadam forma sive anima dependentem, imo cum ali-
„ quo perceptionis ac vitæ analogo conjunctam; id quod, tanquam
„ meis hypothesibus e diametro repugnans, quia suo loco demum
„ ostendendum dicit, consultius etiam hinc esse apparet, ut respon-
„ siones meas ad cætera differam, dum, quo pacto hoc ostendi possit,
„ appareat.

(9) Idem ergo cum sedeat etiamnum nobis animus, vide-
aturque

aturque juxta noviſſimam animadverſionem in Diſſertationem meam Apologeticam, Vir Illuſtris agnoſcere quidem illam Dei voluntatem infinite perpetuoque efficacem omnia regentem & gubernantem, agentem & moventem in hoc mundo corporeo, ſed mediante principio quodam ſubſtantiali, quod in viventibus *anima*, in aliis *forma ſubſtantialis*, recepta pridem in Scholis Ariſtotelicis nomenclatura, a ſe vero, quatenus cum materia ſubſtantiam vere unam, ſeu unum per ſe conſtituit, novo vocabulo *Monas* appelletur (Vid. ejus num. 11. ſub finem,) quodque Divinæ voluntatis efficacia, tanquam ἀποτέλεσμα & effectum quendam ſubſiſtentem, ſibique contradiſtinctum in creaturis reliquerit, qui nunc quoque duret & operetur &c. num. (6); ego vero cum recentioribus quibusdam Philoſophis (ita tamen ut rem explicatius diſtinctiusque propoſuiſſe mihi videar) eandem agnoſcam Divinam voluntatem ſua ſola virtute omnia in omnibus operantem, ſed mediantibus quibusdam principiis ſubſtantialibus mere corporeis & gradatim ſubtilioribus, quæ in viventibus ut *anima*, in aliis ut *forma ſubſtantialis* operari per nos quoque dici poſſit, ſed inſtrumentaliter tantum, non ulla virtute activa proprie ſic dicta & virtuti Dei motrici contradiſtincta, ſed ab hac ſola principaliter & propriisſime, h.e. absq; ullo aliunde recepto motu agente mota, agitata & impulſa (Vid. num. noſter 6) ſpeciatim in viventium animaliumq; generationibus, mediantibus rudimentis ſeminalib9, divino illo verbo, *producat terra, multiplicemini animalia &c.* ſub creationis initium efformatis & elementari huic mundo concreditis, non autem nunc demum ab anima quadam efformandis, ſed enutriendis tantum (talis enim corpuſculi organici, quod infinitarum partium apparatum intra punctulum inſenſibile complectatur, efformatio, ſecundum propria Viri toties laudati aſſerta num. (2) non alii quam infinitæ Dei potentiæ adſcribi poteſt) quæ rurſum illa primæva Dei voluntas poſt ſe reliquit, ut effectus ſubſiſtentes innumerabiles, qui nunc quoque durent & a natura modo dicto facileque imaginabili perficiantur &c. Cum, inquam, (ut tribus verbis rem tandem complectar) Vir Celebratisſimus Ariſtotelicorum receptam, ego vero recentiorum ſententiam, & utrique quidem meliore quodam modo, quam hactenus factum fuerat, nos expoſuiſſe credamus; quid rectius prudentiuſque facere poterimus, quam ut Orbis eruditi, cui neutra ſententia ignota nunc eſſe poteſt, arbitrio ac dijudicationi utrasque relinquamus?

CAIA-

## *CATALOGI LIBRORUM MANUSCRIPTORUM ANGLIÆ & Hiberniæ in unum collecti.*

Oxoniæ, e theatro Sheldoniano, 1697. fol. Alphab. II. pl. 15.

PRodiere tandem (post particularem Cottonianæ Bibliothecæ Catalogum, a Thoma Smitho adornatum, & præterea tum Illustris Viri, D. Roberti Cottoni, Equitis Aurati & Baronetti Vitam, tum Cottonianæ Bibliothecæ Historiam complexum, de quo ex instituto jam in Actis hisce A. 1696 p. 441 seqq. diximus) codicum manuscriptorum in Anglia & Hibernia reperiundorum Catalogi universaliores, diu pariter & anxie ab Eruditis expetiti, Opereque præsenti splendido non minus ac publico usui accommodato comprehensi. Et ejus certe utilitas terminos habere eosdem videtur, quos ipsa scientia, cum nulla sit pars literarum, quin ex hoc insignem lucem maximumque incrementum accipiat. Nec dubium, libros plerosque intra annos centum proximos, de rebus præcipue Anglicanis scriptos, adeo mutilos ac jejunos futuros haut fuisse, si Opere hoc eorum uti autoribus licuisset. Multo etiam imposterum felicius quis progredi, subsidiis his fretus, poterit in poliendis veteribus Græcis Latinisque scriptoribus, quorum opera librariorum partim ignorantia, partim incuria typographorum, ita hactenus corrupta esse constat, ut de recto sive sensu sive lectione nonnisi ex codicibus heic indicatis judicium ferri accuratum queat. Multa nunc Conciliorum, multa Patrum, imo Scripturæ ipsiusmet Sacræ monumenta pandi cernimus, quæ falsariorum evaserunt manus, improbitatemque illorum manifeste arguunt, qui ista aut mutilare nisi sunt, ne suis opinionibus adversarentur, aut distorquere, ut sua dogmata eorum autoritate stabilirent. Quanta heic cum voluptate in incognita & inaudita Lectores incident? Plurima etiam adhuc extare comperient, quæ jamdudum deperdita putabantur, atque hæc si aliquando, uti spes est, in publicum proferentur, augendæ imprimis & Angliæ & aliarum orbis regionum Historiæ qua civili, qua ecclesiasticæ multum omnino inservient. Sed non est, ut in commendando amplius hoc instituto multi simus, posteaquam has partes in peculiari quadam præfatione Vir eruditissimus, sed qui nomen suum reticere maluit, jam occupa-

rit. Noſtrum ergo potius eſt delineare voluminis totius faciem, ut quo ordine diſpoſiti in eo ſint Catalogi, cuivis diſpaleſcat.

Equidem Oxonienſia ſolum manuſcripta Literatis nota reddere Viris quibusdam ſummis conſtitutum ante fuerat, ſed cum mox ea de re fama pervulgaretur, & alia ut adjungerentur plures exoptare cœperunt, quorum cohortationibus incitata Illuſtris Academia Oxonienſis omnes catalogos, ſive publicos, ſive privatos, neque ex Anglia ſolum, ſed etiam e Scotia ac Hibernia conquirere decrevit, idque conſilium publice ſignificavit, promulgata in eam ſententiam declaratione a Clariſſimo Viro Eduardo Bernardo, cui propter infinitam librorum notitiam, & magnam domi foriſque autoritatem, totius rei adminiſtratio concredita fuerat. Ut ergo ſingulis utiliſſimum hoc inſtitutum juvare cupientibus idoneum temporis ſpatium relinqueretur, Oxonienſis Academia longius multo, quam ab initio exiſtimaverat, editionem libri protraxit, iſta ratione certo futurum rata, ut opus eo magis abſolutum evaderet, adeoque Eruditos pleniori obſequio demereretur. Atque eum res ſucceſſum nacta eſt, ut triginta fere millia librorum manuſcriptorum in his Catalogis commemorentur: neque tamen ſic exhauſtum arbitratur eorum numerum Doctiſſimus Humfredus Wanley, (cujus diligentia huc collata paulo poſt a nobis celebrabitur,) quin alia adhuc triginta millia paſſim in Angliæ bibliothecis deliteſcant. Ut interim eorum, quorum hactenus Oxonium tranſmiſſa fuit notitia, ſeriem accuratam nanciſceremur, judicium maxime effecit atque induſtria celeberrimi Bernardi, qui tamen, quo autore Catalogus confectus ſigillatim quivis fuerit, nuſpiam diſſimulavit. Ac optandum ſane eſſet, ut ne humanis ille rebus citius fuiſſet exemtus, quam ubi in laborum ſuorum honeſtiſſimum ſolatium Operis in publicum prodeuntis perfectam dignitatem conſpexiſſet. In duos vero tomos partiri iſtud placuit, quorum quilibet peculiares rurſus partes nactus eſt. Primi tomi prima pars Bibliothecæ Bodleianæ conſecrata, ejus claſſes ſingulas quam prolixiſſime perſequitur. Pars vero ejusdem tomi ſecunda collegiorum & aularum Oxonienſium antiquos codices complectitur, ac tertia recenſet eos, quos Cantabrigienſes ſibi vindicant. Secundus tomus in duas rurſus partes diſtributa, earum priori libros Eccleſiarum Cathedralium manuſcriptos recenſet, ſed nec alias celebriores in Anglia bibliothecas præter-

it,

it, ac quot ex hoc librorum genere cumularint Isaacus Vossius, Franc. Bernardus, Abrahamus Sellerus, Joannes Hobbius, Eduardus Browne, Henricus Vice-Comes de Longueville, cujus bibliotheca sub Yelvertoniæ appellatione celebratur, Thomas Gale, aliique, (paucos enim hos e plurimis exempli in vicem duntaxat allegamus,) indicat. Altera secundi hujus tomi pars Catalogos sistit ex Hibernia transmissos, quos inter omnium amplissimi sunt, qui Henrici Comitis Clarendonii, atque dehinc Collegii Sanctæ Trinitatis, quod est Dublinii, codices manuscriptos referunt. Omnes autem codices manu exaratos, & in qualibet Bibliotheca obvios, sive minoris illi pretii, sive melioris notæ fuerint, indicare hujus rei curatoribus visum est, eo, quod diversis usibus, variisque hominum curiosorum propositis inservire queant; unde nec plures in unum volumen constipatos sigillatim enumerare omiserunt. Curtam vero nonnunquam esse codicum ab antiquis scriptorum autoribus designationem, nemo fortean mirabitur, qui cogitaverit, nullum esse tot linguarum peritum, tantoque abundantem otio, ut singulos evolvere, & quid in unoquoque notatu dignum, aut quid editum sit, quid minus, indicare valeat. Nec integrum semper est determinare, quo tempore, aut ubi locorum, aut quo autore scriptus codex aliquis fuerit, si horum in ipsomet indicium desideretur. Libri impressi manuscriptis intermisti sunt, sed rarius. Et illi quidem interdum commode omitti non potuere, velut ubi commemorantur, qui MStos codices bibliothecæ Bodlejanæ inseruerunt, impressosque tunc simul addiderunt. Alii ob suam raritatem instar manuscriptorum habiti, & ne quando perirent, cum iis reclusi sunt. Alii, & imprimis Rev. Episcopi Norvicensis, D. Isaaci Vossii, D. Eduardi Bernardi, cum manuscriptis collati, vel antiquitus editi & raro prostantes, adeoque pluris æstimandi fuerant. Indicis struendi negotium in se suscepit Humfredus Wanley, Juvenis a diligentia judicioque celebratissimus. Is igitur Autorum nomina disposuit ordine alphabetico, locaque, ubi illorum scripta reperiantur, indicavit. Non tamen opus integrum uno, ceu primum instituerat, Indice comprehendit, sed peculiarem potius cuilibet parti subjecit. In his autem Scriptores diversis insignitos nominibus, sub isto, quod principale deprehendit ac notissimum, allegavit; generales vero titulos, quales *Sanctitas Papalis*, *Regia Majestas*, *Rex Catholicus*, *D. Epi-*

*ſcopus*,&c cum nominibus propriis permutavit,quoties nimirum iſtud fieri commode potuit: quod enim nuſpiam a vero aberrarit, ipſe haud pronunciare audet, deque ſua methodo ulterius in præfatione diſſerit, in qua & hoc monendum arbitratus eſt, quod vetuſtisſimus ille codex manuſcriptus Græcus,Biblia Sacra cum Epiſtola Clementis ad Corinthios continens, (Alexandrinus vulgo dici ſolitus,) etiamnum extet in Bibliotheca Regia Weſtmonaſterii, utcunque eum in hoc Catalogo non memorari contigerit. Vicisſim, ubi in Bibliotheca hac Bodlejana n. 894 commemoretur T. Livii Decas prima, ſecunda & quarta, legendum eſſe notat *decas prima, tertia & quart..* Quod ſi enim decas ſecunda ibidem haberetur, dubium non eſſe ait, quin jamdudum in commune commodum typis edita fuiſſet. Atque hæc de opere præſenti generatim dicta ſufficiant. Sed nos munere noſtro penitus defuncti nondum ſumus, quandoquidem manuſcriptorum Bibliothecæ Bodlejanæ Catalogo,præter Vitam Thomæ Bodleji ex ipſius chartis & epiſtolis collectam,Bibliothecæ quoque, ab eo nomen quæ gerit, Hiſtoria præmittitur, ac proin utrinque delibanda nobis nonnulla veniunt.

Natus videlicet Bodlejus fuit in civitate Exoniæ ſecundo die Martii, anno ſuperioris ſeculi quadrageſimo quarto, patre Joanne, matre Joanna filia & hærede Roberti Hone, in Comitatu Devonienſi. Parentes igitur filium hunc ſuum primogenitum religione Reformata, cui ipſi addictiſſimi erant,imbuerunt,ac prima literarum elementa in patria addiſcere eundem voluerunt. Regni vero habenas capeſſente Maria, cum parentibus Bodleji, ut reliquis a Papiſmo alienis omnibus,magnæ imminerent calamitates, illi ſe ex Anglia ſubduxerunt, & Veſaliam primum, deinde Francofurtum,ac tandem Genevam ſe contulerunt. Heic ergo cum ſedem fixam ſibi conſtituisſent, Thomas noſter annos natus duodecim,Chevalerii,Calvini,Bezæ & aliorum Academiæ ibi efflorefcentis Profeſſorum idoneus auditor reputatus eſt, quibus per biennium ſedulo vacivas aures præbuit. Mortua Maria, ſoror ejus Eliſabetha priſtinam religionem revocavit; quamobrem & parentibus Bodleji tutus jucunduſque in patriam reditus patuit. Filium itaque,uſu rerum & literis longe ſupra ætatem inſtructum, in Angliam ſecum rurſus adduxerunt, ubi mox profectus Oxonium, inq; Collegium Mariæ Magdalenæ admiſſus, & curæ Lauren-

rentii Humfredi commendatus est, sub quo annos quatuor in studiis excolendis consumsit. Post gradum Baccalaurei in artibus suscepit, inque Socium Collegii Mertonensis cooptatus, Græcæ linguæ prælectiones in aula publica instituit. Anno ætatis vigesimo secundo artium Magister factus est: deinde privata studia prosecutus, post triennium fere Procuratorii officii candidatus fuit, atque ad hoc munus, magna tum contentione peti solitum, nullo resistente adspiravit. Eo defunctus, annos quinque continuos in studio variarum artium & scientiarum transegit, elapsoque isto spatio ætatem quidem rebus administrandis idoneam se consecutum deprehendit, at publicis tamen regni negotiis se immiscere noluit, domesticam disciplinam, assiduo labore partam, apud exteras prius nationes rerum usu & experientia ornandam esse arbitratus. Per annos ergo quatuor, quibus ab Anglia abfuit, varias Italiæ, Germaniæ, Galliæque partes magno cum fructu pertransiit, gubernandi rationes, populorum ingenia rerumque conditionem diligenter ubique observans. Domum reversus Somatophylax Reginæ Elisabethæ post triennium est constitutus, inque ejus cura cum duos annos exegisset, uxorem duxit viduam opulentam, civitate Bristoliensi oriundam. A. 1581 ad commendationem Burleighi Thesaurarii, qui ejus fidem ac promtitudinem in negotiis gerendis optime perspexerat, a Regina Legatus in Germaniam missus est, ut Electori Palatino, Ducibus Saxoniæ, Electori Brandenburgico, & aliis Principibus luculente exponeret periculum Protestantibus in Anglia tunc imminens, eorumque auxilium adversus Papam & Hispanos imploraret; quinimo eadem legatione Danorum quoque Regem ut complecteretur, injunctum sibi vidit. A. 1589 in Galliam, solus ac ne uno quidem famulo stipatus, Elisabetha sic jubente, abiit, literasque Reginæ manu ad Regem & familiares ejus scriptas pertulit. A. 1588 missus est in Provincias Confœderatas, ut sede Hagæ Comitis fixa, negotiis, quæ Reginæ cum Belgis intercederent, omnibus præesset. Et heic ei privilegia ampla atque honorifica ab Ordinibus indulta sunt, ut in magnum Status Consilium admitteretur, in Conventibus proximam Comiti Mauricio sedem occuparet, nec interesset solum, sed in publicis etiam decretis suffragium haberet. Sed cum per quinquennium ibi negotia gravissima mira pertractasset dexteritate, absentia ejus rei familiari vehementer obtigit

incommoda. Quapropter Reginam tum per literas tum per amicos ſolicitavit, ut domum redeundi poteſtatem obtineret; qua ægre licet impetrata, apud ſuos commorari rurſus cœpit, ſed mox ad Provincias abire iterum neceſſe habuit. Miraretur quis, tanta Viri erga Rempublicam merita nullo præmio fuiſſe remunerata; ſed eo ob amicorum officioſam nimis diligentiam excidit. Multum ei favit Burleighus, eumque apud Reginam plurimum commendavit. Ægre id ferens Eſſexius, gloriamque promoti ad officia publica Bodleji ſibi potius vindicaturus, majori eum contentione apud Reginam ſæpius deprædicare ſtuduit. Illa vero, cognito hominis ardore ac temeritate, ejus commendatione parum mota fuit, præſertim cum ex odio adverſus Burleighum proficiſci eam animadvertiſſet. Imo tantum abfuit, ut quicquam ejus importunitas effecerit, ut potius Reginam in Bodlejum antea propenſisſimam ab eo paulatim abalienarit. Inſuper cum tanta benevolentiæ Eſſexii ſignificatio aliqua gratæ mentis indicia a Bodlejo poſtularet, ea Burleighus ita eſt interpretatus, quaſi ad illius partes trahi ſe fuiſſet paſſus; unde Bodlejus utriuſque ſtudioſus in hoc quaſi bello concidit, ſpemque omnem dignitatis potiundæ penitus abjecit. Integris itaque duodecim annis fidem ſuam diligentiamque cum Reginæ approbaſſet, ſtatuit tandem integra exiſtimatione a Republica recedere, legationemque ſibi poſtea denuo oblatam modeſte recuſavit, ac receſſus ſuavitatem omnibus honoribus anteponendam duxit. Otio tamen inerti ac deſidioſo langueſcere parum glorioſum fore intelligens, de patria, literis & religione bene mereri voluit, ac Bibliothecam Oxonienſem miſere tunc deſertam ut reficeret, librariaque ſupellectile inſtrueret, conſilium cepit. Inde eruditione ſua ſingulari, lauta ſine liberis hæreditate, otii abundantia, potentiumque amicorum multitudine adjutus, opus hoc per annos quindecim magna perfecit diligentia, perfectum prudentisſimis munivit legibus, vivens perpetuo auxit, & ante mortem amplis reditibus locupletavit. Ita cum annos ſeptem & ſexaginta vixiſſet, Londini, (quorſum ob Bibliothecæ ſuæ negotium ſe contulerat,) d. 28 Januarii A. 1612 ſupremum diem obiit.

Sicut itaque condita a Bodlejo Bibliotheca laudes ei citra dubium præcipuas & maxime perennaturas peperit: ita nunc de ea ſigillatim plura in medium afferuntur, antequam in ipſum manuſcriptorum

rum

rum intromittamur Catalogum. Fata nempe ſtudiorum nimis adverſa ſub Eduardo IV, uti paſſim alibi in Anglia, ſic Oxoniæ quoque, libros omnes abſtulerunt ex bibliotheca Academiæ publica, ( quæ A. 1427 inſtituta, & ob Humfredi, Gloceſtrienſis Ducis, collatas in eam opes Humfrediana appellari fuit ſolita,) uſque adeo, ut, habita ſub Maria Regina inquiſitione, ne unus quidem amplius compareret, præter Valerium Maximum. Detracto poſt apparatu, ipſum quoque ædificium ſordidisſimis addictum fuerat uſibus, & A. 1555, cum nulla ſupereſſet ſpes Bibliothecam in priſtinum ſtatum reſtituendi, Academici ſubſellia vendenda cenſuerant. Miſera proinde iſthac rerum facie commotus Bodlejus, ſuum de Bibliotheca reſtauranda conſilium per literas Vice-Cancellario expoſuit, & quam deſiderabat, Academiæ approbationem mox cum ingenti gratiarum actione obtinuit. Hinc opus ſtrenue urgens, collocatis ſpatio biennii commode librorum receptaculis, ad ipſos libros comparandos omnes cogitationes convertit, idque dum Londini egit ſedulo, Thomæ Jameſio negotium dedit, ut libros Oxonium miſſos in bibliotheca diſponeret. Ipſe interea omnes catalogos evolvit, ſuas facultates in codices & impreſſos & manuſcriptos liberaliter profudit, doctorumque inſuper & divitum auxilium maximopere ſolicitavit. Joannem Billium, bibliopolam, in Galliam, Italiam, Germaniam & Hiſpaniam miſit, ad libros rariores emendos. Ne Orientales deeſſent, juvenem harum linguarum peritum in Turcicas regiones eum mittere conſtituiſſe, epiſtolæ ipſius, quarum volumen integrum in Bibliotheca repoſitum adhuc cernitur, oſtendunt. Iſta ratione ditata fuit Bibliotheca intra ſeptennium bis mille voluminibus; quibus ordine diſpoſitis, A. 1602 Vice-Cancellarius, Ædium Præfecti, Doctores & Procuratores, bonis literis & uſibus ſtudioſorum ſolenniter eandem dedicarunt. Deliberatione habita cum Academicis, Bodlejus ad commodiorem Bibliothecæ adminiſtrationem, ſtatuta de illius prudentia ingenioque abunde teſtantia confecit. A Rege Jacobo diſpenſationem obtinuit, qua poteſtas Academiæ conceditur, terras & hæreditamenta, quæ vocantur, recipiendi, ut per annuos exinde reditus Bibliotheca augeretur atque conſervaretur. Tacemus alia, quæ de provida ipſius cura pro eadem affatim loquuntur, velut ubi poſt octo annos ædificium Bibliothecæ a parte orientali amplificavit, ac ad Scholas quoque erigendas magnam num-

nummorum vim Academiæ reliquit, & quæ ſunt his ſimilia. Quemadmodum autem, cum in vivis adhuc ageret Bodlejus, Eccleſiæ Exonienſis Decanus & Capitulum tractatus manuſcriptos centum & triginta duos ad hanc Bibliothecam tranſmiſere: ſic poſt mortem ejus, literarum & Oxonienſium amor multo plures ad munificentiam excitavit. Guilielmus Herbert, Comes Pembrochienſis & Academiæ Cancellarius, codices manuſcriptos Græcos Venetiis deportatos emit, eoſque Bibliothecæ donavit; qui quoniam ex Bibliotheca Baroccii prodierunt, communiter Barocciani libri nuncupantur. Poſt Kenelmus Digby, Eques Auratus, Academiæ libros manuſcriptos ducentos triginta tres; Guilielmus vero Laud, Archi-Epiſcopus Cantuarienſis, eorum plusquam mille & trecentos exhibuit. A. 1659 amplum Jo. Seldeni Muſeum Bibliothecæ Bodlejanæ obtigit. A. 1673 Thomas Fairfax moriens eidem legavit Collectiones Antiquitatum D. Rogeri Dodſworth, 150 voluminibus conſtantes, una cum 28 codicibus manuſcriptis varii generis; A. 1677 Franciſcus Junius centum prope codices MSS. Saxonicos, Francicos, Gothicos, Teutonicos, aliiſque linguis ſeptentrionalibus exaratos; ut, quid Robertus Huntingdon, quid Thomas Mareſchallus, quid Thomas Barlovius præſtiterint, ſilentio prætereamus. Prope Bibliothecam Bodlejanam Muſæum habetur Ashmoleanum, ſeu locus, ubi A. 1683 Elias Ashmole, Regius Fecialis, ingentem rerum naturalium theſaurum ex omnibus gentibus collectum & Academiæ donatum repoſuit. Hæc integra Bibliothecæ Bodlejanæ Hiſtoria, celeberrimæ illius & inſtructiſſimæ, cui hinc a ſuis primordiis ad noſtra uſque tempora quinque Bibliothecarii, Thomas Jameſius, Jo. Rouſe, Thomas Barlow, Thomas Lockey, Thomas Hyde, cum laude & ſtudioſorum commodo inſigni præfuerunt. Poſtremus etiam, poſt primum, luculentum dedit A. 1674 librorum impreſſorum, qui inibi reperiuntur, Catalogum, cui tamen, ob crebriores librorum acceſſiones ab iſto tempore factas, ut nova propediem Supplementa accedant, merito exoptamus.

*IN MONUMENTA COPTICA SEU ÆGYPTIACA BIBLIOtheca Vaticanæ Brevis Exercitatio F. GUILLELMI BONJOUR Toloſani, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.*

Ro-

Romæ, typis F. M. Acſamitek a Kronenfeld, 1699. 4. plag. 4½.

INgenium ſuum, linguæq; Copticæ ſive Ægyptiacæ peritiam, jam in Diſſertatione de nomine Zaphnath Pahaneach Joſepho Patriarchæ a Pharaone impoſito, quam in Actis A. 1697 p. 6. ſeqq. recenſuimus, Orbi erudito dudum probavit Auctor doctiſſimus. Quid autem in hac Diſſertatione velit, vel ex titulo patet. Ex libris nimirum Copticis, qui in Bibliotheca Vaticana aſſervantur, nonnulla decerpit, eaque explicat, & illuſtrat, & ita utilitatem linguæ hujus omnibus commendat.

Agmen ducit Confeſſio quædam fidei, quam partim Græce, partim Coptice cum interpretatione Arabica, inter reliquas Liturgias Copto-Arabicas Bibliothecæ Vaticanæ extare memorat. Titulum ei eſſe dicit: *Anaphora S. Patris Baſilii.* Obſervat, egregie in ea ſtabiliri præſentiam realem corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia. Momentum autem trahere omnino hanc Confeſſionem, quod unus ex codicibus, in quo legatur hæc confeſſio, ſcriptus ſit menſe Amſcir ſeu Mechir anni milleſimi & quarti Martyrum, h. e. menſe Februario anni a C. N. ſecundum æram vulgarem milleſimi ducenteſimi octogeſimi octavi, adeoque integro fere ſeculo ante ſuſcitatam a Wiclefo Berengerianam, ut vocat, hæreſin. Magni quoque ponderis eſſe arbitratur ad levandam novitatis ſuſpicionem, qua Eccleſia Romana apud nonnullos laboret, quod Ægyptiorũ hæc ſit confeſſio, qui incepto jam ante mille ducentos & quadraginta annos ſchiſmate, defecerint ab Eccleſia Romana. Reprobaſſe enim eos concilium Chalcedonenſe, & Henoticon Zenonis admiſiſſe. Enaſcitur hinc Auctori occaſio aliud monumentum Ægyptiacum ex iiſdem codicibus proferendi, in quo Chalcedonenſis Synodus inter concilia Oecumenica omittitur, & Severus contra Patriarcha Antiochenus, hoſtis Synodi hujus acerrimus, Patribus annumeratur. Severi quoque hujus nomen in dyptichis extare refert, quæ in anaphoram S. Baſilii inſerta habeat Eccleſia Ægyptiaca. In quibus cum & *Patres noſtri Sancti Romani* memorentur, colligit inde, vel invitos retinuiſſe Ægyptios hoc Primatus Romani teſtimonium, ab ultima antiquitate. Subjicit hinc quædam ex iiſdem dyptichis excerpta, & poſtquam de Severo iſto iterum nonnulla monuit, profert formulam litterarum Synodalium, quas crea-

to Patriarcha Alexandrino electores ejus ſcribere ſoliti fuerint. Pertinet hoc ad notitiam Patriarchatus Alexandrini. In obſervationibus additis autem docet, Alexandriam, Patriarchatus metropolim, dictam Ægyptiorum lingua eſſe *Racotim*; *Phoſtatum* vero *Babylonis*, cujus in eodem monumento mentio injicitur, eſſe *Babylonem Ægyptiacam*: *Chemi* Ægyptum deſignare; *Nobadiam* autem Nubam ſeu Nubiam, Patriarchatus Alexandrini regionem, cujus partes ex Vanslebii Hiſtoria Eccleſiæ Alexandrinæ Auctor enarrat. Porro ex codice quodam Evangeliorum, qui inter Copticos ſeu Copto-Arabicos Bibliothecæ Vaticanæ quartus ſit, aliud monumentum producit, notitiæ Eccleſiæ Alexandrinæ itidem inſerviens. Sed cum præfationes Evangeliorum in eodem codice extantes plura notatu digna habeant, nonnulla inde depromit, quibus tempus definitur, quo quilibet Evangeliſta ſuum ſcripſerit. Sic de Evangelio ſecundum Matthæum ibidem hæc leguntur: *Scriptum eſt hoc Evangelium lingua Ebraica in Palæſtina, & promulgatum eſt in Jeruſalem. Tum interpretatus eſt illud S. Johannes filius Zebedei in Aſpoli, anno primo regni Claudii, qui eſt annus nonus aſſumptionis ſanctæ.* Epocham autem aſſumptionis neceſſario conjiciendam docet in annum æræ Chriſtianæ trigeſimum tertium labentem, ſeu quartum ducenteſimæ ſecundæ Olympiadis. De Evangelio ſecundum Johannem dicitur: *Scripſit Evangelium ſuum Epheſi lingua Græca anno ſexto regni Cæſaris Tarſos &c.* Tarſos Nero eſt Auctori, quod τὸ θάρσος idem ſit cum ἀνδρεία, & Nero juxta vetus Gloſſarium Latino-Græcum exponatur per ἀνδρεῖος. Pro anno ſexto autem nonum legendum eſſe putat, qui reſpondeat anno æræ Chriſtianæ ſexageſimo ſecundo. Arripit hinc occaſionem in annum nativitatis Chriſti inquirendi, & comprobandi ſententiam Eminentiſſimi Cardinalis Noriſii, quod verus Chriſti natalis quadriennio ſolido æram noſtram vulgarem antevertat. Aſt in viam ex hoc diverticulo & ad codices Ægyptiacos redit, & Heliopolin urbem *On*, Heroopolin autem *Pethom* apud Ægyptios dici, obſervat, & de utroque nomine nonnulla commentatur. Ultimo loco ex Ægyptiacis Bibliorum codicibus, quos celeberrimum virum Bernhardum de Montfaucon ſibi comparaſſe refert, nonnulla excerpit. Hoſce codices, præter Pentateuchum & omnes Novi Teſtamenti libros, qui etiam habeantur in codicibus Vaticanis, Danielem quoque, & duodecim Propehtas

phetas minores continere docet. Et iſtam quidem Ægyptiacam Danielis translationem hoc ſibi proprium & ſingulare habere, quod initium faciat a notatione temporis, quo Nabuchodonoſor oppugnare cœperit urbem Hieroſolymam. Cetera huic translationi cum codicibus Græcis eſſe communia. Nec illud prætermittit, quod viſio Danielis de quatuor beſtiis, ſumma Orbis imperia deſignantibus, per paraphraſin quandam liberiorem, in hac verſione longe aliter explicetur, ac vulgo explicari ſolet. Prima enim beſtia repræſentare dicitur Regem Perſarum, ſecunda Regem Romanorum, tertia Regem Græcorum, quarta Regem filiorum Iſmael, h. e. Sarracenorum. Memorat denique, ſe jam Grammaticam Ægyptiacam confeciſſe, multo quidem labore, quod ne primis quidem linguæ hujus elementis imbutus tam arduum opus aggreſſus ſit. Sed & nonnulla quoque, quæ ad confirmandam ſuam ſententiam de nomine Joſephi pertinere arbitratur, ſubjicit. Inter alia autem narrat, ſe ex litteris doctiſſimi viri Gisberti Cuperi accepiſſe, Campegum Vitringam I. Obſervat. Sacr. c. v. aſſerere, πι vel ϕι non fuiſſe præpoſitivum articulum apud veteres Ægyptios, & hodiernam Coptorum linguam veteri Ægyptiæ nequaquam eſſe ſimilem, & propterea alienum eſſe plane, ex lingua Coptorum hodierna vocum Moſis tempore uſitatarum originem repetere. Sed quibus argumentis hæc Vitringa confirmet, ſe neſcire ait, cum Obſervationes ejus Sacras nondum viderit; credit tamen ea non eſſe decretoria. Interim contrarium aliquot exemplis docere conatur.

Subjuncta huic Exercitationi eſt ejusdem Auctoris digreſſio de ſeptuaginta hebdomadibus Danielis revocatis ad novos calculos, ut Chronologiæ, quam prælo paratam Auctor habet, ſpecimen aliquod præberet. Supponit primo, ſexaginta novem hebdomadas eſſe ſeptimanas annorum, quarum character ſint ſexaginta novem anni Sabbatici. Deinde vigeſimum annum Artaxerſis Longimani a Xerſis obitu numeratum eſſe annum, *quo exiit ſermo, ut iterum ædificaretur Jeruſalem*; & denique annum iſtum vigeſimum Artaxerſis Longimani eſſe annum periodi Julianæ 4268, ante æram Chriſtianam 446: annum autem quo Chriſtus occiſus eſt, citra controverſiam unum eſſe ex quinque, qui numerantur in æra Chriſtiana, 29, 30, 31, 32, 33; in periodo Juliana 4742, 4743, 4744, 4745, 4746. His ita præmiſſis, & notatis quoque annis Sabbaticis, quorum in Hiſtoria Maccabæorum &

apud Josephum mentio injiciatur, tabulam LXIX istorum annorum Sabbaticorum lectorum oculis subjicit, ita ut annus primus Sabbaticus ineat anno Periodi Julianæ 4270, claudatque adeo hebdomadam, quæ iniit anno ejusdē periodi 4264, & annus Sabbaticus sexagesimus nonus respondeat anno P. J. 4746, compleatque hebdomadam quæ incepit anno 4740. Edictum autem de ædificanda iterum urbe Hierosolyma, exiisse docet intra primam hebdomadam, sicut Christus quoque intra sexagesimam nonam occisus sit. Nec enim necesse esse, ut asseratur, eum finita sexagesima nona hebdomade demum cru i esse affixum. Quod autem ad septuagesimam hebdomadam attinet, eam de cyclo hebdomatico annorum sexaginta novem hebdomadas proxime excipiente intelligendam esse negat, cum vago dicendi genere vocetur *una:* hinc sufficere putat, si una hebdomas extra septem & sexaginta duas reperiatur, intra quam completa fuerint, quæ de ista sunt prædicta. Habita itaque, ex annorum Sabbaticorum characterismo, hebdomadarum ratione, iniisse eam docet anno P. J. 4782, æræ Christianæ 69; finem autem ejus incidisse in annum P. J. 4788: eo enim tempore & templum solo æquatum, & Rempublicam Judaicam penitus eversam fuisse docet. Sed observationum Chronologicarum nondum finis est. Subjicit enim aliquid, quo totam Danielis chronotaxin se expeditam & claram redditurum confidit. Tres enim libri (prout in vulgata versione & Græcis codicibus extat,) hujus esse partes. Primam complecti visiones & adjuncta visionum, quas aliis factas solus Daniel expediverit. Secundam continere visiones soli Danieli factas. Tertiam denique non visiones, sed res alias a Daniele gestas describere. Primam porrigi ab initio primi capitis usq; ad finem sexti, Regesque justo ordine in ea memorari, Nabochodonosorem, Balthsarem, Darium Medum, Cyrum. Persam. Secundam usque ad finem capitis duodecimi, memorarique in ea itidem justo ordine, Balthasarem, Darium Medum, Cyrum. Tertiam denique duobus extremis capitibus definiri, nempe XIII & XIV, incipereque ab historia Susannæ, & desinere in historia Beli & draconis.

## *THEOCRITI QUÆ EXTANT, CUM GRÆCIS SCHOLIIS, Notis & Indicibus.*

Oxoniæ

Oxoniæ e Theatro Sheldoniano, impensis S. Smith & B. Walford, 1699. in 8. Alph. 1. pl. 7.

DE Poeta hoc Bucolico ut multa dicamus non attinet, nemini, ut arbitramur, facile ignoto. Neque forte præter ea, quæ *Laurentius Crassus* in Historia Poetarum Græcorum pag. 498. seqq. & *Adrianus Bailletus* in Judiciis Eruditorum de præcipuis Auctorum operibus Tomo IV pag. 247 seqq. studiose collegerunt, dici de eo quicquam potest. Nova vero hæc eaque nitidissima operum ejus editio, non plane fuit a nobis silentio prætereunda. Exhibet ea primum quidem ipsa Theocriti Idyllia & Epigrammata Græca, dein Latinam eorum versionem juxta libri Heinsiani fidem (quam quidem in proxime prægressa editione Sheldoniana curatoribus illius visum fuerat omittere) denique & Græca Scholia. Notarum locum tum *Josephi Scaligeri*, perbreves quidem illæ, ad Theocritum Emendationes, tum *Isaaci Casauboni* Theocriticarum Lectionum libellus, tum *Danielis Heinsii* Scholæ Theocriticæ, quæ omnia jam dudum typis exscripta Eruditisque probata fuerunt, sustinent, quibus & Variantes quædam Lectiones subjiciuntur. Denique duplex Index, alter rerum memorabilium in Theocrito aut Scholiaste ejus obviarum, alter Auctorum qui in Scholiis citantur, opus finit.

*PARADISUS BATAVUS CONTINENS PLUS CENTUM PLANTAS affabre ære incisas & descriptionibus illustratas. Cui accessit Catalogus Plantarum, quas pro tomis nondum editis delineandas curaverat PAULUS HERMANNUS M. D. Opus Posthumum.*

Lugduni Batav. apud Abrah. Elzevier, 1698. in 4. Constat plag. 34.

MOestissimum Hermanni fatum haud levem intulisse calamitatem Orbi literario, elucescit imprimis exin, quod doctissimus hic Botanicus elegantissima divulgare scripta habuerit in animo, quæ tamen ob inopinatam ejus mortem manca mutilave posteritati reliquit. Non nisi prima enim posuit fundamenta secundæ Floræ Batavæ editionis, Indicis Plantarum utriusque Indiæ in certas redactarum clas-

ſes, Muſæi Zeylanici, Catalogi Plantarum in Promontorio bonæ ſpei ſponte naſcentium, Tractatus de Materia Medica, nec non Paradiſi Batavi. Ne autem inelaborata licet ac imperfecta hujus Viri monumenta perirent penitus, *Guilielmus Sherardus*, Botanicus inſignis, Sociuſque Collegii S. Joannis in Illuſtri Academia Oxonienſi meritiſſimus, in ſe ſuſcepit curam, & ex ſchedulis pluribus conſtruxit Paradiſum, quem hic ſiſtimus, Batavum, promittens inſuper in Præfatione, & Catalogum Plantarum in Promontorio bonæ ſpei ſponte naſcentium, & Tractatum de Materia Medica, brevi in lucem ſua opera prodituros.

Præſens Opus Botanicum plus centum exhibet Plantas raras ſatis atque elegantes, ſerie alphabetica diſpoſitas, atque figuris æneis non minus, quam deſcriptionibus illuſtratas. Equidem olim in Plantarum deſcriptione ad fructificationem imprimis reſpiciebat Hermannus, deſumens notam, uti loquuntur, characteriſticam a ſeminum eorumque capſularum diſpoſitione: attamen in hoc Opere normam hancce non æque ſecutus, a totius Plantæ habitu petiit deſcriptionem. Quantum enim ex Præfatione conſtat, mutavit Clariſſimus Autor ſuam de methodo Plantarum ſententiam, agnovitque omnem characterem inſufficientem minuſque univerſalem eſſe, qui depromitur vel a fructificatione ſola, vel a florendi modo, vel ab utroque ſimul juncto. Quippe character, qui a ſola derivatur fructificatione, exceptiones patitur in Fumariæ ſpeciebus, quarum aliæ ſunt ſiliculoſæ, aliæ ſiliquoſæ, aliæ ſemina inflatis veſiculis incluſa producentes, uti apparet in Fumaria Africana Veſicaria ſcandente; quæ difficultates annotantur porro in Papavere, Hyperico, Ciſto &c. Floris conſtitutionem præbere characterem incertum, probatur exemplo ſpecierum Solani, quarum aliæ florem gerunt tetrapetalum, ut Solanum tinctorium Barbadenſe & Zeylanicum, aliæ pentapetalum, ut Solanum ſeu Amarunthes Indicus baccifer. Sic Verbera urticæ folio, nec non Verbena ſpica multiplici, flores proferunt regulares; ſpecies reliquæ congeneres, irregulares. Inter Corymbiferos Plantæ ejusdem generis proferunt flores diverſos, ſcilicet radiatos, nudos, nunc nudos, nunc radiatos. Deniq; & incerta pronunciatur methodus, quæ pro fundamento agnoſcit & florem & fructum ſimul ſumptos. Exiſtimatur

tur proinde, non ab his tantum sed a totius Plantæ habitu crescendiq; modo characterem esse derivandum. Quamvis vero Plantæ in Paradiso Batavo traditæ in certas classes haud sint redactæ, describuntur tamen secundum methodum jam indicatam.

---

## LIBRI NOVI.

*Raphaelis Fabretti Gasparis F. Urbinatis Inscriptionum antiquarum, quæ in ædibus Paternis asservantur, Explicatio & Additamentum. Romæ ex officina Dom. Ant. Herculis, 1699. fol.*

*Alcorani Textus universus ex correctioribus Arabum exemplaribus descriptus, & ex Arabico idiomate in Latinum translatus, appositis unicuique capiti Notis atque Refutatione, Auctore Ludovico Marraccio. Patavii ex typographia Seminarii, 1698. fol.*

*Harmonia Evangelica, cui subjecta est Historia Christi ex quatuor Evangeliis concinnata. Auctore Joanne Clerico. Amstelod. sumptibus Huguetanorum, 1699. fol.*

*Histoire de l'Eglise, depuis Jesus-Christ jusqu' à present. Par Mr. Basnage. A Rotterdam chez Reinier Leers, 1699. fol.*

*Racemationes & Florum Sparsiones totius Corporis Juris Civilis. Tomus I. Auctore & per 50 circiter annos collectore Jo. Friderico Polman. Groningæ apud Gisbertum & Jo. Lens, 1699 fol.*

*Dissertations sur le Messie, ou l'on prouve aux Juifs, que Jesus-Christ est le Messie. Par Mr. Jaquelot. A la Haye chez Franc. l'Honore, 1699. 8.*

*A Demonstration of the Messias, especially against the Jews. Part II. By the R. R. F. Richard Lord Bishop of Bath and Wells. London, for W. Rogers, 1699. 8.*

*The Certainty of the Christian Revelation, and the Necessity of Believing it, establisset by Francis Gastrel. London for Thomas Bennet, 1699. 8.*

*Mr. Locke's Reply to the R. R. the Lord Bishop of Worcester's Answer to his Second Lettre. London for A. and J. Churchill, 1699. 8.*

*A Journey to Paris in the Year 1698. By D. Martin Lister. London for Jacob Tonson, 1699. 8.*

Vo-

*Voyages and Descriptions. Vol. II. By Captain William Dampier. London for James Knapton, 1699. 8.*

*The Life of John Milton. London by John Darby, 1699. 8.*

*Remarks on the Life of Mr. Milton. London by J. Nutt, 1699. 8.*

*Chronicon Hebraeorum Majus & Minus. Latine vertit & Commentario perpetuo illustravit Jo. Meyer. Amstelodami apud Jo. Wolters, 1699. 4.*

*Causa Arnaldina, seu Antonius Arnaldus Doctor & Socius Sorbonicus vindicatus. Leodii apud Jo. Hoyous, 1699. 8.*

*Sex. Pompeji Festi & Mar. Verrii Flacci de Verborum Significatione Lib. XX. cum notis Andreae Dacerii. Accedunt Notae integrae Josephi Scaligeri, F. Ursini, &c. Amstelod. sumptibus Huguetanorum, 1699. 4.*

*Danielis Georgii Morhofii Dissertationes Academicae & Epistolicae. Accessit Autoris Vita, & Praefatio Jo. Burchardi Maji. Hamburgi, apud Gotfr. Libernickel, 1699. 4.*

*Johannis Fabricii D. & Prof. in Acad. Julia Ordinarii Amoenitates Theologicae varii & selecti argumenti. Helmestadii apud G. W. Hammium, 1699. 4.*

*Vita D. Martini Lutheri nummis atque iconibus illustrata, studio M. Christiani Juncker. Francof. & Lipsiae apud Georg. Andr. Endterum, 1699. 8.*

*Petri Van Mastricht Theologia Theoretico-Practica. Trajecti ad Rhenum, apud Th. Appels, 1699. 4.*

*Galilaei Galilaei Systema Cosmicum. Ejusdem Tractatus de Motu, nunc primum ex Italico sermone in Latinum versus. Lugd. Bat. apud F. Haaring & D. Severinum, 1699. 4.*

*Vita di Don Pietro Giron, Duca d' Ossuna, scritta da Gregorio Leti. Amsterdamo appresso Georgio Gallet, 1699. 12.*

*Jo. Vander Waeyen Sermo Academicus de Numero Septenario iterum editus, additis Vindiciis &c. Franequerae 1699. 4.*

---

Pag. 207. lin. 26. pro *exotericos* lege ἐξοχωτέρως.

* * * * * *

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipsiæ*
*Calendis Junii, Anno M DC XCIX.*

## A DEMONSTRATION OF THE MESSIAS &c.

h. e.

*DEMONSTRATIO MESSIÆ, QUA VERITAS RELIGIOnis Christianæ, contra Judæos potissimum, defenditur. P. II. Autore Maxime Reverendo in Deo Patre RICHARDO Episcopo Bathoniensi & Wellensi.*

Londini apud W. Rogers, 1699. 8. Alph. 1. plag. 12.

INtegra tria abiere lustra, ex quo Vir Maxime Venerandus Richardus Kidderus, Bathoniensis & Wellensis hodie Episcopus, primam partem hujus Demonstrationis suæ edidit. Quæ quod in Actis nostris hactenus locum non invenerit, infelicitati nostræ est tribuendum: siquidem cum recens in lucem producta esset, ad manus nostras non pervenit; nunc autem prolixius eam recensere, postquam tanto tempore doctorum virorum manibus versata fuit, supervacaneum foret. Quin & ex altera parte prolixius enarranda, facile de eo, quod priori ponendum est, pretio secum unusquisque statuere poterit. Cum itaque in parte priori Autor Maxime Reverendus argumenta, quæ cuivis non iniquo rerum æstimatori, potissimum autem Judaismi principiis imbuto, religionis Christianæ veritatem persuadere possint, luculenter proposuerit; in altera hac parte accuratissime omnibus Judæorum argumentis ad evertendam eam proferri solitis respondet. Ea summo studio ex libro Nizachon, R. Isaaci Chizuk Emunach, aliisque hujus furfuris libris conquisivit; imo & peculiari industria manuscriptum Lusitanum, a Menasse Ben Israel, quem ipsum hujus fœtus parentem esse existimat, Richardo Cudwor-

tho olim, tanquam omni apparatu ad religionis Christanæ perniciem tendente instructissimum armamentarium monstratum, examinandum suscepit: nec ea quæ eruditus Judæus contra Limborchium, & Abarbanel in Commentariis ad Prophetas posteriores expediere arma, trepide evitavit, sed inutilia reddere omnia sustinuit. Exordium autem huic disceptationi ejus dedit luculenta comparatio argumentorum, veritatem divinitatemque missionis atque scriptorum Mosaicorum Judæis, Christi vero & Apostolorum nobis persuadentium, quæ statim a cavillationibus Judæorum vindicantur. Cumque Christum & miraculorum sive copia sive magnitudine, & prædictionum veritate, Mosen longissime superare planissime constet; historia vero eorum, quæ a Christo & Apostolis ejus gesta sunt, traditione non minus firma quam gesta Mosis nitantur; & denique scripta, quibus Christiana nititur religio, non minus luculente impressos præ se ferant divinæ originis characteres quam Mosaica: invicte inde concluditur, vel nimiæ credulitatis adversus Mosen, vel incredulitatis nimiæ adversus Christum, Judæos reos peragendos esse. Incredulitatis vero hujus causa cum in argumentorum pro Christo militantium infirmitate quæri non possit, verior ejus ratio inquiritur: quam Maxime Ven. Autor præcipue in ingenio eorum ad carnis delicias nimis proclivi, in malitia & pertinacia, in fastu denique & superbia eorum collocat; tum etiam porro in superstitiosa, ac cum neglectu solidorum mage officiorum conjuncta rituum & ceremoniarum observatione, in cœco quo ferantur in doctores suos studio, in stulta traditionum sive legis oralis veneratione, in insecuta vitia ista induratione. Quæ omnia, ut ferat hujusmodi rerum natura, aliam adhuc incredulitatis Judaicæ causam pepererint, mediorum scilicet, quibus ad veritatem perducerentur, raritatem. Accessisse postremo omnium scandala ab ipsis Christianis miseræ genti, & vivendo improbe, & absona multa docendo atque agendo, quod in Romana Ecclesia præcipue fiat, & feralia odia ac intestina bella gerendo, objecta. Præcipuis hisce causis insuperabilis fere Judæorum incredulitatis expositis, alia adhuc impedimenta quædam supersunt, a Max. Ven. Autore observata, charitatis scilicet Judæis a Christianis exhibendæ raritas, eorum in liberis suis instituendis ac contra Christianam religionem mature armandis infausta diligentia, horrenda eorum, qui Synagoga ejurata Christo nomen

men dant, inter Judæos deteſtatio, & denique quorundam, qui a Judaicis ad Chriſtiana caſtra tranſierunt, hypocriſis perfidaque malitia. Jam vero quantum ad rem ipſam, dubiaque a Judæis ſanctiſſimæ religioni noſtræ opponi ſolita, præcipua fere eorum vis in oppugnandis quatuor Evangeliſtis verſatur. In quatuor claſſes argumenta, quibus fidem eorum impugnant, Max. Rer. Autor diſpeſcuit. In prima claſſe ea collocat, quibus miſeri Apellæ quatuor Evangeliorum hiſtoriam neq; ſibi ipſi ſatis conſtare, neq; cum perſpecta omnibus rei veritate conſentire, conantur evincere, atque huc refert objectiunculas, quas narrationes de ficu a Chriſto maledicta, de Chriſto pro hoſtibus ſuis in cruce apud Patrem ſuum intercedente, (quæ cum Chriſtianorum opinione de efficacia interceſſionis Chriſti, & calamitatum Judaicarum cauſa nequeat conciliari) de tempore quo ad Chriſti reſuſcitati ſepulchrum proceſſere mulieres, Angelorumque qui ipſis apparuere numero, & denique de templo Herodis ſpatio annorum XLVI extructo, ipſis ſuppeditant: cavillationibus enim contra genealogiam Chriſti, a Matthæo & Luca traditam, ad hoc caput referendis, ob rerum dicendarum copiam, peculiarem inferius locum conceſſit. Reliquis vero objectionibus iſtis non tantum datas ab aliis reſponſiones nova luce colluſtratas opponit, ſed & majoribus longe Veteris Teſtamenti hiſtoriam laborare oſtendit. Secundam argumentorum Judaicorum claſſem contra religionem Chriſtianam abſolvunt ea, quibus quatuor Evangeliorum hiſtoriam legi Moſaicæ contradicere, ſatis infeliciter probant. Quam futilis enim ſit Moſis, juramentum per nomen Dei jubentis, & Chriſti, jurare ſuos omnino nolentis; Moſis, polygamiam & divortia permittentis, & Chriſti, obicem licentiæ iſti ponentis oppoſitio: quam inepta verborum Chriſti mandatum ſuum de charitate fraterna novum appellantis, cum vetus tamen ſit & a Moſe jam traditum, interpretatio, perſpicue poſt alios Maxime Rever. Autor docuit. In tertia claſſe argumentorum ea collocantur, in quibus ab Evangeliis communis omnium Chriſtianorum fides, ex falſa Judæorum perſuaſione, abit. Talia ſunt loca Matth. I, 25. XII, 46. XIII, 55. 56, quæ receptæ Chriſtianorum de perpetua virginitate Mariæ: loca Matt. XIX, 17. XX, 23. Marc. VI, 5. XIII, 32, quæ doctrinæ de divinitate Chriſti: locus Matth. XII, 40. qui Chriſtianorum ſententiæ de reſurrectionis Chriſti tempore, repugnare ab ipſis creduntur. Quartam

tam denique classem argumentorum Judaicorum, quibus respondetur, constituunt loca V. T. perperam ab Evangelistis ex eorum sententia allegata. Citare enim eos loca quædam nuspiam in sacris V. T. libris obvia sibi persuadent, quod fieri putant a Matth. c. II, 23. ubi tamen vel ad sensum respici Doctiss. Autor arbitratur, qui omnibus Prophetis (hic proinde etiam generatim citatis) communis sit, qui Nazaræum fore Christum crediderint, quocunque sensu vox illa hic accipiatur; vel ad vaticinium nonnisi per traditionem servatum, cujus, occasione commorationis Christi apud Nazarenos, facta mentio sit, utpote quæ istam seu compellationem, seu statum Christi, in memoriam omnibus revocaverit. Similes allegationes locorum nuspiam in V. T. obviorum occurrere Judæi, sed similiter confutati, putant Matth. V, 43, (quam allegationem, si sensum respicias, recte se habere, nec opus esse ut ad traditiones Pharisaismi corrupti confugiamus, Max. Rev. Autor putat, Exod. XXXIV, 12. 16. Devt. VII, 2. 3. Devt. XXV, 17. 19. cum Exodi XVII collata, consuli jubens: legemque de charitate adversus hostes Judæis datam ad συγγενεῖς tantum pertinere existimans, quod ex collatione Exod. XXXII, 4. cum Devt. XXII, 1. 2. 3 & praxi Judæorum confirmat,) item Joh. VII, 38. XIX, 28. 36. At porro in vere allegatis, Evangelistas aberrare tamen quandoque in circumstantiis nonnullis, objicientibus Judæis respondet, atque adeo loca Marc. II, 26. Matth. XXV, 32. XXVII, 9. vindicat; de quorum ultimo observandum esse duximus, non improbabile Autori nostro videri, Jeremiæ esse caput IX, X, XI, XII, XIII & XIV vaticiniorum, quæ Zachariæ tribuuntur, cum illius longe rectius quam hujus temporibus ista conveniant. At neq; , quod calumniantur Judæi, præter rem atque inepte V. T. Scripturas ab Evangelistis allegari, ostendit, meritoq; applicari rebus, de quibus agit, a Matth. c. II, 15, 17, 18, typice & μυστικωτέρως in V. T. prolata, evincit. Quid quod alludendi quoque libertatem integram Evangelistis relinquendam esse existimet? Examinatis autem contra quatuor Evangeliorum historiam proferri solitis objectiunculis, ad eas progreditur, quibus reliquorum N. T. librorum fidem enervare nituntur, idque eo ordine, quem R. Isaac in iis proferendis fuit secutus. Sic ut unum solum adducamus exemplum, omnes R. Isaaci evanescere ostendit scrupulos circa locum Act. VII, 16. si observetur, post ἀργυρίου omitti per ellipsin conjunctionē καὶ, & verba ἐν τῷ μνήματι, ex proxime præcedentibus esse repetenda; quo observato, istam

totius

totius textus affert paraphrasin, nulli dubiorum Judaicorum obnoxi-
„am: Jacob & Patres nostri, in Ægypto vita functi, inde in Sichem
„deportati fuerunt; & nonnulli quidem eorum cum Jacobo in se-
„pulchro, quod Abrahamus certa pecuniæ summa emit, fuere conditi:
„alii vero cum Josepho repositi fuere in eo sepulchro, quod a filiis
„Emmor, parentis Sichem, mercatus est Jacobus". At maximam
longe libri hujus partem implent ea, quæ Judæis historiam nativitatis
Christi, prout a Matthæo traditur, arrodentibus, & genealogiam ejus
ex dissensu inter Matthæum & Lucam omnimodæ falsitatis argu-
entibus opposuit. Horum argumentorum priori integrum caput V
dicavit, in quo tamen potissimum allegatio prophetica apud Matthæ-
um c. I, comm. 22 & 23 examinatur & vindicatur. Genealogiæ Chri-
sti vero capita sequentia decem impenduntur: & quantum ad difficul-
tates scopulosq; in genealogia a Matthæo concinnata obvios, sigilla-
tim eas omnes examinat, atq; adeo in amovendis iis quæ comma 11 ca-
pitis I Matthæi impeditũ reddunt, Hieronymum, Gomarum & Span-
hemium; quæ v. 12, Gomarum, Spanhemium, Piscatorem; quæ v. 13.
Lucam Brugensem, & Lightfootum in Harmonia; quæ v. 8, Grotium,
Lightfootum, Spanhemium & Possinum potissimum secutus esse vi-
detur. De Cainane apud Lucam c. III, v. 36, præter Hebraicorum co-
dicum fidem commemorato, ipse quidem cum Cordesio, Grotio &
Spanhemio sentit, irrepsisse, nescio cujus vitio, istud nomen, tam in
versionis LXX Senum, quam in Lucæ Evangelistæ codices: satis com-
mode tamen etiam a nonnullis, Cainanis nomen ab ipso Luca profe-
ctum esse defendentibus, excusari Evangelistam observat, eorumque
ἐπίλυσιν ex Usserio, Junio & Lightfooto, uti videtur, decerptã, prolixe
satis exponit. Eosdem aliosque Viros doctos sequitur in sequentibus
capitibus, in quibus dubiis, quæ ex instituta genealogiæ a Matthæo &
Luca traditæ collatione nascuntur, una cum aliis quibusdam huc per-
tinentibus quæstiunculis respondet. Ast ultimum denique caput
alterius generis objectionem explodit, eam nimirum quæ Eliam, Mes-
siæ adventum præcessurum, nondum venisse, adeoque Jesum non
esse posse Christum urget. Qua prolixissime discussa, finis huic vo-
lumini imponitur, ita tamen ut tertii adhuc voluminis spes nobis re-
linquatur. Cujus lemmata hic exhiberi cum haud invitos passuros
speremus Lectores, nos quoque volentes lubentesque ea nunc repræ-

ſentabimus. Complectetur itaque illud de æternitate Legis Moſaicæ; de pace temporibus Meſſiæ promiſſa; de promiſſione Meſſiæ nulla conditione reſtricta; de ſenſu verborum *in ultimis diebus*; de vaticinio Jacobi Geneſ. 49, 10 & de loco Haggæi c. II comm. 6 diſſertationes nonnullas: hiſtoricam item Pſeudo-Meſſiarum enumerationem; demonſtrationem, quod doctrina de SS. Trinitate in N. T. tradita idoneum non ſit obſtaculum, quo ab Eccleſia Chriſtiana Judæi prohibeantur; diſquiſitionem de fundamentis expectatæ illuſtrioris Judæorum converſionis, & denique de noſtris, pro varia conditione noſtra, in promovenda Judæorum converſione officiis diſſertationem. Quæ omnia uti diſpellendis, quibus infelix Judæorum gens opprimitur, tenebris egregie non conducere non poſſunt: ita prætereundum non eſt, potiorem voluminis, quod nunc præ manibus habemus partem, illuſtris quondã Viri R. Boylii laudabili inſtituto deberi, qui contra Judæos alioſque infideles quotannis, ſuppeditatis in eam rem ſumtibus, publice diſputari voluit. Priora namque hujus libri capita Maxime Ven. Autor, ut Boylianæ voluntati ſatisfaceret delectus, publice edisſeruit: id quod propterea monendum duximus, ut ob hoc quoque illius meritum, Viri omnes laudes ſupergreſſi Manibus Lectores noſtri occaſione iſta bene precarentur.

*M. MINUCII FELICIS OCTAVIUS, ET COECILII CYPRIANI de Vanitate Idolorum Liber: uterque recenſitus & illuſtratus a CHRISTOPHORO CELLARIO.*

Halæ, ſumptibus Zeitleri & Muſſelii, 1699. in 8. plag. 16. & dimid.

QUi nuper Lactantium inſigniter illuſtratum in lucem ediderat, quem ſuperiore Novembri pag. 535 recenſuimus: idem nunc Marcum Minucium Felicem, ejusdem argumenti, nec minoris ingenii Scriptorem elegantiſſimum, quo ipſe Lactantius uſus fuerat, pari induſtria ornatum exhibet. Cauſſam eandem ſibi editionis dicit fuiſſe, quæ in edendo Lactantio fuerat, ut puræ Latinitatis Scriptores, iique Chriſtiani, in noſtris oris excuſi, notiores juventuti noſtræ fiant, &, quod maximopere ſuadet, in ipſis quoque Scholis Chriſtianis cum ceteris receptis auctoribus Latini ſermonis, ad explicandum conjungantur. Multiplicem uſum ejus conjunctionis præfatione oſten-

ostendit, quod ita futurum omnino sit, ut æque adolescentes in pietate, & in Lingua Latina proficiant: etiam Antiquitates Ecclesiæ simul condiscant, quas non nescire, Christianæ rei tantum, aut etiam plus intersit, quam Romanorum Græcorumque mores atque ritus, quibus multum temporis impendamus, cognovisse. Addit, Mythologiam & de Diis notitiam, vanam quidem per se & inutilem, sine qua tamen utiliores Gentium scriptores nequaquam possimus intelligere, ex Christiano, qui vanitatem simul ostendat, salubrius cognosci, quam ex profanis, qui superstitionibus fucum & speciem adlinant. In his usibus æque præstantem Lactantium esse, sed Minucium brevitate gratiorem, præsertim adolescentiæ, cui tædio sint longiores sermones; perspicua brevitas, multum paucis eleganter complexa, propter ætatis impatientiam & utilior longe, atque etiam jucundior. Ipsa editione hæc sunt præstita: Ipsum Minucium Editor cum cura emendavit, usus ad id observationibus omnium, qui de Auctore hoc meriti unquam fuerant: in quibus primas Viro accuratissimo Jo. Friderico Gronovio defert. Erat etiam quod a clarissimo Viro, Jacobo Perizonio, exspectaverat, sed cum sero ejus litteræ allatæ fuissent, in fine adjecit, quæ ab illius ingenio acceperat. Notas & interpretationes non parce addidit, quibus tam Latinitatis rationem habet, quam antiquitates & historias illustrat. Celebris Jurisconsulti, Francisci Balduini, Dissertationem de Minucio apposuit, quæ instar commentarii est, & Antiquitates Ecclesiasticas maximopere commendat, etiam Jurisconsulti Christiani ideam sub exemplo præscribit; ut nihil desit huic commodæ editioni. Accedit S. Cypriani libellus de Idolorum Vanitate, ex Minucii Octavio, id est Dialogo ab Octavio, principe colloquentium persona dicto, expressus, nec minus, quam ille, Notis Editoris celeberrimi ubique illustratus. Testimonia & Judicia, & Indices tres adjecti: primus Auctorum, quibus Minucius & Cyprianus, etiam erudita Dissertatione Balduinus usi fuerunt: alter Rerum notabiliorum: & ultimus Verborum sive Latinitatis.

*ALCORANI TEXTUS UNIVERSUS EX CORRECTIORIBUS Arabum exemplaribus descriptus, ac ex Arabico idiomate in Latinum translatus; appositis unicuique capiti Notis atque Refutatione. Præmissus est Prodromus totum priorem Tomum implens, Auctore LUDOVICO MARRACCIO, e Congregatione Clericorum Regularium Matris Dei &c.*

Pata-

Patavii ex typographia Seminarii, 1698. in fol. Alph. 14.

CUm quadripartitum Prodromum ad Refutationem Alcorani ante octennium primum in lucem ediderat Reverendus Marraccius, cujus præcipua capita nos in Actis hisce, mensibus Julio ac Augusto anni post nonagesimum secundi exhibuimus; spes, quam dudum Wagenseilius (in Præf. Tel. Ign. Sat. p. 47) aliique fecerant, de integro opere mox secuturo augebatur: cujus etiam eventus citius subsecutus fuisset, nisi immaturus Eminentissimi Barbadici Cardinalis ac Episcopi Patavini, cujus auspiciis illud adornatum fuit, obitus intervenisset. Nunc vero demum magnificum illud ac plusquam quadraginta annorum opus, de quo felicissime absoluto merito omnes gratulantur octogenario Seni, integrum in publicum prodiit, cujus œconomiam paucis juxta nobis consuetum morem declarabimus. Integer Liber in duas partes distribuitur, quarum altera *Prodromum* Romæ olim excusum complectitur, ac præter Indices Alphabeticos rerum notabilium nihil novi continet: altera vero ipsum *Alcorani textum*, ex correctissimis Arabum codicibus summa fide descriptum & pulcherrimis characteribus depictum sistit, cui præter *Latinam Versionem*, *Notæ* sive Scholia, quibus juxta Arabum Interpretum mentem, obscuriora, & præsertim quæ ad historiam spectant, dilucidantur, ac tandem *Refutata* illorum subjecta sunt. Huic posteriori parti, (nam de priori plura jam repetere nihil attinet) amplam quoque Autor præfationem præmisit, in qua, quid ad opus isthoc hac forma evulgandum ipsum potissimum impulerit, quodque commodum inde in Ecclesiam Christianã redundare posſit, prolixe exponit. Ac primum quidem postquam ex multiplici Arabicorum librorum lectione, imprimis vero ex correctione seu potius nova translatione sacrorum Bibliorum Arabicorum, cujus curam sub Innocentio X & Clemente X Pontificibus ipse habuit, ejus linguæ cognitionem adeptus esset, jamque studiis suis Arabicis Christianæ religioni contra Agarenicam superstitionem subsidii aliquid se conferre posse crederet, nihil opportunius se facturum judicavit, quam si contra Alcoranum omnem suum conatum intenderet, calamumque ac ingenium acueret. Hoc itaque illum adduxit, ut laborem istum exantlandum susciperet, quem alii hactenus, exceptis paucis, quorum catalogum in Præfatione Prodromi texuerat (quibus

ex

ex recentioribus jungit P. Jo. Laurentium Luchesinium in opere, cui titulus: *Nova copia & series centum evidentium signorum veræ fidei*, nobis etiam Tomo I Supplementorum p. 227 seqq. recensito; & P. Emmanuelem Sanzianum, in libro Italico, inscripto: *Breve Trattato, nel quale con ragioni demonstrative si convincono manifestamente i Turchi*) neglexerant. Cum vero præstari id a se non posse cognovisset, nisi Alcorani ipsius verbis, Arabice ac Latine, a capite ad calcem fideliter expressis, ea quæ contra eundem dicturus erat, planiora fierent, & confirmarentur, Alcoranum integrum simul exhiberi necessarium judicabat. Ast hic maxima se offerebat difficultas, quæ etiam initium ac progressum instituti diu remorata est. Adversabantur enim non modo decretum a S. Romanorum Censorum Congregatione sub Alexandro VII Pontifice latum, quo *Alcoranus cujuscumque impressionis & idiomatis proscriptus erat*; verum etiam aliorum præjudicia, qui tam pestilentem ac perniciosum librum, si in apricum produceretur, plus damni quam commodi Catholicæ Ecclesiæ allaturum esse censebant. Hæc ergo Adversariorum tela quomodo tunc prius sibi retundenda fuerint, Auctor enarrat, eademque nunc iterum examinat ac magno robore reprimit. Nam quod primo Romanorum Patrum censuram attinet, aliud Alcoranum, aliud vero Alcorani Refutationem esse censet, quæ ab illis Censoribus nunquam interdicta fuerit; cum alioquin omnes controversiarum de rebus religionis Auctores, qui adversus Heterodoxorum errores scripserunt, prohibendi fuissent. Regesserant quidem illi, prædictos Auctores ita Hæreticorum libros impugnasse, ut ex illis ea solum producerent, quæ errorem refellendum continerent, ab integro vero eorum opere cum suo commiscendo abstinuisse. Noster vero non mirum fuisse regessit, quod illi integra Adversariorum volumina in opera sua non transtulerint; hoc enim & nimis onerosum ob magnitudinem vel multitudinem librorum, & inutile etiam futurum fuisset: at vero breviora opuscula, quale est Alcoranus, non semel a Catholicis scriptoribus, vel integre, vel quoad maximam partem, verbis suis relata atque impugnata fuisse ostendit. Nam ita S. Augustinum, contra Fausti Manichæi errores scripturum, integrum illius librum per partes allatum censoria virga castigasse; scribentem etiam contra Fortunatum Manichæorum presbyterum, contra Felicem Manichæum, contra epistolam Secundini

Manichæi, contra ſermonem Arianorum, contra Maximum Arianorum Epiſcopum & alios, fere ſemper Antagoniſtarum verba vel omnia vel pleraque adduxiſſe. Simile quid factum & ab aliis. Eſſe præterea peculiares rationes Auctor monet, quibus nullo modo, prout opus eſt, Alcoranum refelli poſſe demonſtratur, niſi totus non ſolum Latine, ſed etiam Arabice cum confutationibus exponatur. Earum præcipua eſt, quod in cæteris Heterodoxorum libris materia tantum, non vero forma caſtiganda veniat, in Alcorano vero utriuſque inſpectio attenta requiratur. Nam cum Mahumetus non ſemel in eo jactet, imo Deum affirmantem inducat, librum hunc tantæ eſſe excellentiæ, tamque perfectæ & abſolutæ ſtructuræ, & ſi homines univerſi una cum Geniis ſeu Dæmonibus ſimul convenirent, atque omne ſtudium totumque ingenium adhiberent, ut unam tantum Suram ſeu caput Alcoranicis ſimile conſcriberent, irrito conatu ſint deſudaturi; ac communiter Mahumedani enormibus Alcoranum elogiis venerentur: ut hanc prodigioſam inſaniam univerſus terrarum orbis cognoſceret, ac contra, quam mendax, quam impudens fuerit Mahumetus, qui tam mira ac magnifica de hoc ſuo libro prædicaverit, nec non mendacia, errores, blaſphemias, fabulas, nugas, quibus totus confertus eſt, maniſeſtiſſime agnoſceret, neceſſe omnino fuiſſe, Alcoranum ipſum totum, quantus eſt, cunctorum mortalium oculis exponi.

Tantum itaque aberat, ut quod ſecundo loco urgebant Adverſarii, iſte liber hoc modo vulgatus, Eccleſiæ Chriſtianæ aliquod incommodum afferre poſſet, ut potius Dæmonis aſtu factum fuiſſe Auctor exiſtimet, quod Eccleſiæ Chriſti tanto tempore incognitæ manſerint hoſtium ſuorum machinæ & arma, quo minus adverſus ea ſeſe præmunire poſſet. Neque enim impetus eorum repellere, neque aſtus eludere nos unquam poſſe, niſi ex eorum armamentario tela ſumamus, & eorum technas ab ipſis addiſcamus; quod ſine Alcorani ſubſidio nunquam aſſequemur. Quod ſi forte aliquod in Eccleſiam damnum inde redundaret, id tunc demum accidere poſſe ſcribit, ſi talis liber abſque congruis confutationibus & apologiis publice ederetur; quamquam non defuerint inter ipſos Catholicos Viri ſapientes ac probi, qui exiſtimarint, poſſe etiam ſine refutationibus Alcoranum tuto & utiliter omnium manibus oculisq; permitti, cum a nullo melius quam a ſe ipſo refutetur.

Jam

Jam vero maximam utilitatem considerari cupit, quam Reipublicæ Christianæ, imprimis vero Missionariis Apostolicis contra insultus Dervisiorum seu Sanctorum, qui apud Mahumetanos religiosam vitam & exactiorem Alcorani observantiam profitentur, ac superstitionem suam inter Ethnicos orientales jam diu disseminare cœperunt, hic liber afferre possit. Hos enim cum suis rationibus ac persuasionibus, naturæ ac dictamini rationis conformibus, quales sunt, unum esse Deum, preces esse fundendas, eleemosynas erogandas, justitiã servandam, virtutes excolendas, nemini injuriam faciendam, Deo operum suorum rationem reddendam esse, & similibus, plus apud ipsos profuturos, quam Christianos, cum illis Deum unum & trinum, Deum hominem factum, pauperem, crucifixum, mortuum ac sepultum, mysterium Eucharistiæ, monogamiam, vitam perpetuæ cruci conjunctam, beneficentiam erga inimicos, felicitatem summam sitam in bonis quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, & alia hujusmodi dogmata, vel humani intellectus captum excedentia, vel naturali conditioni difficillima, si non impossibilia, proposuerint: nisi antea Ethnici illi instruantur, etiam testimonio ipsius Alcorani, nihil religionem Christianam continere vel absurdum vel falsum, quantumvis captu arduum, sed omnia in ea vera, certa, & divino testimonio in Pentateucho & Evangelio (quos Mahumetus ipse libros a Deo traditos & certissimæ veritatis esse affirmat) comprobata; contra vero nihil in Alcorano veri sanique esse, seu circa mysteria a Deo revelata & virtutes theologicas, sive circa virtutes morales, quod non pluribus fabulis, ineptiis & erroribus plerumque commixtum sit, & quod in Evangelio & Christiana religione purum, integrum & sincerum, sed & uberius non doceatur: Mahumetum porro nihil aliud fecisse, quam quod veram & prope universalem in orbe religionem corruperit, novamque ac perversam superstitionem armis, fraudibus, aliisque malis artibus invexerit. Si hoc modo idololatræ præoccupentur, non ita facile eos a Mahumetanis seduci posse ostendit; quod vero aliter fieri non possit, nisi Alcoranus ipse illis exhibeatur ac prælegatur, iique coram ipsis Mahumetanis ejusdem testimonio convincantur.

His ita solide deductis, de præsentis operis ordine ac dispositione disserit. Ac primum quidem monet, se textum Alcorani Arabicum cum omnibus motionibus seu vocalibus aliisque signis & no-

tis Grammaticalibus, aliquandiu post scriptum a Mahumeto Alcoranum, ab Arabibus ad Rabbinorum Judæorum imitationem inventis, quæ in antiquis exemplaribus non reperiantur, exhibuisse. Porro rationem reddit, cur verbotenus & ad literam Arabicum textum exprimere maluerit, quam optimum alias interpretandi genus, a D. Hieronymo, Cicerone aliisque Sapientibus traditum sequi, quo non verbum e verbo, sed sensus e sensu exprimitur. Denique quod isti versioni notas subjecerit, id ideo potissimum factum esse dicit, ut in sensu Alcorani cum Adversariis conveniret, adeoque propriis armis ipsos legitime oppugnaret; quod Alcoranici Glossatores sæpius quamplurima Alcorani loca deformarint ac defœdarint, quæ ad bonum sensum trahi aliquo modo potuissent.

Nunc autem tempus erit, ut tum ex ipsis illis Notis, tum ex Refutatis, exempla quædam proferamus, quæ de Auctoris industria ac dexteritate testificari queant. Ac ad primam statim Suram sive caput, præter diversas ejus inscriptiones, ex Alhasan notat, quan-„ta in veneratione illam Moslemi habeant, dum Deum primum cen-„tum & quatuor libros e cœlo demisisse; horumque scientiam in qua-„tuor ex illis, nempe Pentateucho, Evangelio, Psalterio & Phorcano „posuisse; deinde totam horum quatuor scientiam in Alcorano col-„locavisse; denique totam Alcorani scientiam in prima ejus Sura con-„clusisse nugantur. Porro ad prima hujus Suræ verba, *in nomine Dei* &c. diversas Arabum expositiones affert, quas inter illa Ahmedi Thalebiensis notari meretur, qui ex Abu Said Hadriensi narrat, dixisse Ma-„humetum, Jesum Mariæ Filium a Matre sua missum fuisse, ut literas „sub præceptore addisceret, cui præceptor, ut diceret, *In nomine Dei* „*miseratoris misericordis*, imperaverit: Jesu vero, quid significent in „dictione *Besmi* tres characteres *B. S. M.* interrogante, respondisse „præceptorem, nescio; cui Jesus: litera *B.* significat *Babà Allah* (id „est majestas Dei) *S. Sanà Allah* (celsitudo Dei) *M. Molcobo* (regnum ejus.) Bene est quod Mahumetani credant Jesum, licet puerum, magistri sui fuisse doctorem; at ridicule satis putant, in Hebræorum scholis Arabicæ linguæ Magisterium fuisse. Nec minus prolixus est in recensendis Mahumetanorum opinionibus, quas de infinitis Mundis habent, eosque hanc Mundorum multitudinem, veteribus quoque Manichæis, & Philosophis, Democrito, Metrodoro, Anaximandro aliisque

liisque cognitam, ab Hebræis potissimum didicisse ostendit. In Refutatis, præter alia, adversus Mahumetanos solide demonstrat, Christianos nunquam a vera religione discessisse aut aberrasse, nec religione Christiana perfectiorem fuisse eam, quam Mahumetus deinde docuit per Alcoranum. In altero capite lectu dignissima sunt, quæ ex Arabicis Scriptoribus de Paradiso, fluviisque, ac mulieribus in eo latentibus (p. 12 19. 20.) de creatione Adæ (p. 22) de modo orationis & eleemosynarum (p. 25.) de discrimine ciborum, ac jejunio quod Mahumetani servant (p. 70. coll. cum p. 195.) de miraculis quæ Mahumetus patrasse dicitur (p. 54) de sociis & successoribus Mahumeti (p. 62) de peregrinatione Meccana (p. 77) de antiquitate prohibitionis vini, rationibusque hujus interdicti (p. 86. & 237) Author Clarissimus studiose collegit: uti non minus calculum merentur, quæ adversus Mahumetanos in vindicandis Christianæ religionis capitibus, circa integritatem sacrarum Scripturarum (p. 13.) circa fidem de Dei Filio (p. 54.) circa salutem in una religione (p. 48;) ac removendis Scripturæ testimoniis, quibus Mahumetum prædictum fuisse, illi adstruere conantur (p. 26;) nec non contra absolutum decretum a Mahumetanis credi solitum p. 17,) Noster in medium adduxit. In tertiæ Suræ notis (p. 112.) peculiarem Mahumetanorum circa peccatum originis sententiam, ex Gelale, Cottada & Thalebiensi adducit, quando nullum nasci existimant, nisi eo momento, quo nascitur, tangat eum Satanas, præter Mariam & Filium ejus, quos ab hac originali culpa immunes mansisse, ideoque nullum postea quoque peccatum commisisse, isti constanter credunt. In eodem capite (p. 113) Christum ex testimonio Mahumetanorum in futuro seculo intercessorem hominum fore probat, quamvis alio loco (p. 3. & 837) id ipsos Mahumeto suo tribuere, per cujus intercessionem illi, qui unum Deum coluerunt, tandem ex igne gehennæ exituri sint, asseruerat; quæ etiam Judæorum sententia est, qui nullũ, quantumvis scelestum & flagitiosum, cujuscunq; tandem ille sectæ sit, in gehenna ultra undecim menses, vel ad summum ultra annum, permansurum credunt, præter forte Dathan, Abiron & Atheistas, qui in ea cruciabuntur in æternum. (Vid. Bartolocc. Part. 2. Bibl. Rabbin. p. 128 & Part. 3. p. 421. & Noster p. 39.) Istam quoque Mahumetanorum de morte Jesu sententiam, qua non ipsum Jesum cruci affixum (quem a duobus Angelis in cœlum raptum

fuiſſe dicunt) ſed alium, cujus vultui ſuam figuram impreſſerit, captum, crucifixum & occiſum fuiſſe, iſti inepte credunt, Auctor ſedulo (p. 113) recenſet, ac in mox ſequenti capite (p. 172 ſeq.) ſolide confutat. Nec minus in hoc ac proximo quinto capite, multa argumenta pro adſtruendo myſterio Trinitatis, (p. 179) & ſtabilienda Divinitate Chriſti (p. 208) coacervat, rationeſque, quas contra hanc Chriſtianorum fidem Mahumetani proferre ſolent, (p. 196.) ſtrenue refellit. Præcipue vero ad id, quod ex cap. 13. Marci objicitur, Filium, nempe Chriſtum, neſcire diem & horam ſupremi judicii, ſed ſolum Patrem, præter ea, quæ vulgo ad id regeri ſolent, reſpondet, (p. 205) vere dici poſſe, ſolum Patrem ſcire diem judicii, quatenus Pater eſt fons ſcientiæ Divinæ, cum Chriſtus, etiam ut Deus, nullam habeat ſcientiam, niſi ſcientiam Patris. Quemadmodum pari ſenſu Chriſtus alibi quoque dixerit: *mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me*; ut ita ad Patrem velut primum Divinitatis fontem hæc doctrina potiſſimum referatur.

Has priores Suras prolixe Auctor pertractaverat; in reliquarum vero explanatione parcior eſt, ex qua pauca tamen adhuc delibabimus. Sæpiſſime in Alcorano dies reſurrectionis vocatur occurſus Dei, itemque hora & tuba noviſſima: aſt iiſdem nominibus diem illum in Novo quoque Teſtamento, 1. Theſſ. 4, Joh. 5, 1. Cor. 15. &c. ſalutari, Auctor obſervat (p. 249. 250. 581 & 617.) Paſſim quoque in eodem libro, veterum Patriarcharum, Prophetarum & Evangeliſtarum mentio occurrit; qua occaſione Noſter integras horum ſanctorum Virorum hiſtorias, prout a ſcriptoribus Mahumeticis traduntur, ex illorum codicibus ſparſim affert, ac quomodo pleræque fabulis ac mendaciis intermixtæ ſint, ad oculum demonſtrat. Sic de Hud ſeu Hebero propheta (p. 282,) de Scioaib ſeu Jetro, itemque de Moyſe (p. 284,) de Jona (p. 332,) de arca Noæ (p. 340) de Joſepho (p. 362,) de Bicorni ſive Alexandro Macedone (p. 426) de Jobo (p. 457) de Dulkephlo Propheta (ibid.) de intelligentia Salomonis, & muneribus eidem a Balcaiſa miſſis, deque regio ejusdem palatio (p. 511) de Carone ſeu Core, qui ſe Moſi oppoſuit (p. 526.) de Locmane ſive Æſopo (p. 546. ſeqq.) aliiſque ſimilibus viris, partim in Scriptura S. memoratis, partim ex Arabum ingenio confictis, multa ac præclara annotat, quæ intra hos cancellos quidem comprehendi ne-

que-

queunt, digna tamen ſunt, ut peculiarem illis perluſtrandis curioſus Lector diligentiam impendat. Dignum quoque memoratu eſt, quod ad Sur. 8. & 14. (p. 300 & 378) de tormento ſeu examine ſepulchri, ex Mahumetanorum ſententia adducit, qui nimirum unumquemque in ſepulchro poſt mortem, tranſactæ vitæ examen ſubire, ac tormentum foveæ ſeu ſepulchri ſuſtinere credunt; de quo ex Algazalis Profeſſione fidei Moslemicæ ſequentia annotat: Non eſt accepta „fides hominis, donec credat in id, quod traditum eſt poſt mortem e„venturum. Et primum eſt examẽ Amer Monker & Nakir. Sunt autem „hi duæ perſonæ terribiles & horrendæ ſpeciei, quæ hominem in ſe„pulchro ſuo erectum ſtatuent, anima corporeq; conſtantem. Et in„terrogabunt eum de unitate Dei, & de miſſione legati, dicentes: quis „eſt Dominus tuus, & quæ religio tua, & quis Propheta tuus? Et hi „ambo ſunt exploratores ſepulchri, & examen eorum eſt prima pro„batio poſt mortem. Et etiam credendum eſt in tormentum ſepul„chri, atque illud eſſe debitum, & judicium, & juſtitiam erga cor„pus & animam, juxta id, quod Deus voluerit. Quæ omnia ex Judæorum ſchola proveniſſe, Auctor ſuſpicatur. Interim nec iſtud prætermitti debet, quod ad Suram 15. (p. 384. coll. cum p. 386. & 589) de duodecim cœli turribus ſive Zodiaci ſignis ex commentatoribus Alcoranicis affert. Hæc duodecim Zodiaci ſigna juxta Gelalem ſunt, Agnus, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Spica, Statera, Scorpius, Arcus, Hædus, Aquarius, Piſcis. Fingunt autem Mahumetani, conſueviſſe Dæmones ante ortum Mahumeti in has turres cœleſtes ſeu ſigna Zodiaci aſcendere, atque inde arrectis auribus arcana Angelorum colloquia furtim excipere, quæ deinde ariolis & magis revelarint. Ubi vero Mahumetus ortus eſt, Deum flammis ardentibus conjectis Dæmonas illos exturbaſſe, & nihilominus identidem redire tentantes, iisdem flammis territaſſe ac in fugam convertiſſe. In Suræ decimæ ſeptimæ notis (p. 414.) nonaginta & novem nomina Divina exponit, quot Mahumetani Deo tribuunt; per centeſimum nomen vero, quod ipſis incognitum vulgo audit, nomen יהוה intelligi debere autumat. Porro ad trigeſimam ſextam Suram *Jas* vulgo inſcriptam, (p. 580,) illam cor imprimis Alcorani appellari, atque a Mahumetanis maxime in funeribus mortuorum adhiberi obſervat. Alias Auctoris noſtri obſervationes, quas reliquis Alcorani Suris ſubjecit, prætermittimus,

inter quas præcipuæ ſunt, de fumo, qui extremum diem antecedet (p. 643;) de primis quatuor Suræ 48 verſiculis, qui in vexillis ſcribi ſolent (p. 662;) de ſcindenda Luna in die reſurrectionis (p. 689;) de peculiari formula in repudiis: *Tu es apud me, ſicut dorſum matris meæ* (p 709.) de Geniis (p. 755) de Coraiſitis (p. 824,) &c Ex illis autem, quæ hactenus in medium adduximus, facile quoque de reliquis judicium ferri poterit, quod auſpicatiſſimum ab omnibus Auctori pollicemur.

*SPICILEGIUM SS. PATRUM, UT ET HÆRETICORUM Seculi poſt Chriſtum natum I. II & III. Autore JOANNE ERNESTO GRABIO. Tomus I. ſive Seculum I.*

Oxoniæ, e Theatro Sheldoniano, 1698. in 8. plag. dimid. 49.

PAuca adeo ex monumentis antiquisſimorum Patrum, qui primis tribus Eccleſiæ ſeculis floruerunt, hodienum ſupereſſe, plura vero, magno Eccleſiæ & eccleſiaſticæ traditionis detrimento, periiſſe dolens Clarisſimus Auctor, fragmenta tractatuum ejuſmodi deperditorum cura eo majori colligenda ratus eſt, ſive ea in recentiorum Patrum libris excuſis hic illic diſperſa haberentur, ſive in codicibus manuſcriptis adhuc laterent. Minora tamen eorum ſcripta eodem loco atque cenſu habuit, nec quæ illorum temporum Hæretici in lucem publicam protruſerunt, indigna judicavit, quæ his immiſcerentur, eo imprimis, quod ad hiſtoricam priſcarum rerum notitiam non parum conferre valeant. Volumina proinde aliquot his talibus complere, & ſcripta partim integra, partim mutila, eaque vel prorſus inedita, vel Latine ſolum edita, Græce ſimul dare, aut quæ Græce hactenus modo extitere, iis Latinam verſionem addere, imo & utroque quidem idiomate antea vulgata cum codicibus manuſcriptis conferre inſtituit, uſurus ita maxime occaſione, qua ad Anglicanas, & imprimis Oxonienſes Bibliothecas liber ipſi, in Angliam quippe nunc delato, acceſſus patet. Singulis vero Præfationem, quæ notitiam ſcriptoris, vel ſcripti ſaltem iſtius, tradat, præmittere, notas quoque vel textui immediate ſubnectere, vel per ſignum ſtellulæ promiſſas ſub finem cujuslibet tomi addere, inque iis obſcuriora quædam loca illuſtrare, dubia diſcutere, eorum uſum oſtendere, parallelaque ex a-

liis

liis Autoribus afferre, varias autem lectiones ad oram cujusvis paginæ, indicatis, e quibus petitæ fuerint, codicibus manuscriptis, subjungere decrevit.

Dum itaque primum Tomum Seculumque primum nunc exhibet, nostrum est, ut quænam in eo contineantur, paucis innuamus. Primo nempe statim loco comparent *Abgari & Christi amœbææ epistolæ*, quas ut ut pro indubiis haud venditet, aut pro genuinis habendas firmiter haud asserat, nulla tamen demonstratione adeo certa pro supposititiis venditari posse contendit, remque in medio quidem relinquens, objectiones nihilominus a Natali Alexandro & Du Pinio adversus eas motas discutit in additis ad calcem tomi integri Notis, in quibus etiam Abgarorum, seu, ut frequenter vocat, Augarorum, i. e. Toparcharum Edessæ seriem prolixam, atque hactenus a nemine tentatam, pandit; textui autem epistolarum ipsi ea Græce addit, quæ iis in archivis Edessenis Syriaco sermone subjuncta, & apud Eusebium, sed Græce itidem, repetita sunt. Mox *dicta quædam Christi* sequuntur, quæ non in Evangeliorum quidem libris extant, sed apud Barnabam tamen, Clementem Romanum, Justinum Martyrem, & alios habentur. Succedunt fragmenta *Evangelii duodecim Apostolorum* ex Ignatio aliisque Patribus collecta, ubi Autor in Præfatione istud minime agnoscit pro hæretico, sed scriptis potius Ecclesiasticis accenset, idque Evangelium secundum Hebræos appellari quoque notat, eam fortassis ob rem, quod a primis Christianis Hebræis, qui Hierosolymis vixerint, & quidem ante quatuor Canonica Evangelia, literis consignatum fuerit. Apostolorum vocari putat eo sensu, quo certum quoddam Symbolum nomine Apostolorum insigniatur, non, quod ab Apostolis ipsis compositum id judicarint Veteres, sed quod fidei ab Apostolis traditæ summam contineret. Quod interdum quoq; Evangelium juxta Matthæum dicatur, id interpolatoribus ejus tribuendum affirmat, Nazaræis nempe atque Ebionitis; hos enim non ipso Matthæi Evangelio, additis aliis, & aliis contra detractis, (ut plerique, Ignatium & Epiphanium secuti, velint,) sed hoc potius, quod alias secundum Hebræos nuncupetur, usos fuisse existimat. Comes huic datur ab Autore *Evangelium secundum Ægyptios*, cui, perinde ut illi, titulum inditum arbitratur a primis ejus autoribus, quos Christianos Ægyptios fuisse, ipse hujus libri textus, mysticis verbis more Ægyptio-

Kk rum

rum pleraque involvens, satis indicet. Ad hoc inter alia, si non præcipue, respexisse monet Lucam, dum in procemio suo plures memoret historias Evangelicas, ad quas emendandas, & defectus earum supplendos, suum se Evangelium literis consignasse perhibeat. Nec tamen istud heic habetur integrum; verum ejus, æque ac præcedentis, fragmenta tantum aliqua ex Pseudo-Clemente Romano & Clemente Alexandrino apponuntur. Post de *Actibus Apostolicis* differit, non istis quidem, quos hæretici confinxere, & quorum apud Epiphanium habetur mentio, sed de aliis melioris notæ, quos Varadatus, seculi V Monachus, & Isidorus Pelusiota allegent, e quorum postremo fragmentum eorum Græco-Latinum repetit. Hinc *Institutiones sive Constitutiones Apostolorum* ex Epiphanio & aliis collectas exhibet, easque, licet ab ipsis Apostolis scriptas dictatasve haud existimet, ex istis tamen traditionibus, quas Ecclesiæ ab Apostolis hic illic prædicantibus & ecclesiastica negotia rite constituentibus acceperint & religiose observarint, sub finem primi, aut saltem ipso seculi secundi initio compositas fuisse judicat. Ad scripta *Petri* Apocrypha ubi accedit, *Prædicationis*, quæ nomen ejus indepta est, fragmenta primum exhibet, opusque ipsum non Hæreticis, sed Catholicis Christianis autoribus tribuit. Idem format judicium de *Petri*, quæ subsequitur, *Apocalypsi*. Utut enim mira hæc illius fragmenta interdum videri queant, idem tamen & Apocalypsi Johannis accidere posse respondet, si quis secundum literam dicta ejus interpretari & dijudicare voluerit. Denique & *Actus Petri*, quatenus eorum contenta nonnulla servarunt Clemens Alexandrinus & Origenes, superaddit. Quæ Paulo tribuuntur scripta supposititia, ea heic repetere omnia Auctor noluit, sed de præcipuis, utpote *Epistola ad Laodicenses*, de iis, *quas ad Senecam scripsisse traditur*, de *Pauli Apocalypsi*, ejusdemque *Anabatico* & *Actis* disseruisse tantum contentus, libellum *Actorum vel* Περιόδων *Pauli & Theclæ* integrum exhibet, & illum quidem ipsum, ceu autumat, quem a Presbytero Asiatico sub finem seculi primi scriptum fuisse testetur post Tertullianum Hieronymus, multum ideo præferendum duobus Græcis Commentariis de vita Theclæ a Petro Pantino editis, quorum unus Basilii Seleuciensis, alter Simeonis Metaphrastæ nomen sibi inditum gerat. Præstantissimi vero hujus ob antiquitatem suam libelli textum Græcum ex codice manuscripto Bibliothecæ Bodlejanæ primus nunc in lucem pro-

profert, Latinamque interpretationem ſuam cum notis addit, ſubjuncta ad calcem verſione antiqua, quam itidem ex codice quodam Bibliothecæ modo memoratæ deſcripſit. Mentionem quoque paucis injicit fragmenti cujusdam, quod ex Actibus Pauli alleget Origenes, ita ex verſione Ruffini ſcribens: *Unde & recte mihi dictus videtur ſermo ille, qui in Actibus Pauli ſcriptus eſt, quia hic eſt verbum animal vivens.* Uti autem de Chriſto ibi ſermonem eſſe, agnoſcit Autor: ita ſuſpicatur, vel Origenem vitioſo Actorum Pauli, vel Ruffinum malo Origenis exemplari uſum, ac in Græco ſcriptum fuiſſe ſimplex ζῶν, non autem ζῶον, vel ζῶον ζῶν, qua ratione Actorum Pauli conſarcinator fortean reſpexerit ad verba Apoſtoli: ζῶν γὰρ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, Hebr. IV, 22. Pergit ad *Teſtamenta duodecim Patriarcharum, filiorum Jacob*, quæ a Judæo olim ſcripta, a Chriſtiano autem poſt interpolata fuiſſe ſuſpicatur, eademque forſan locum ſortita cenſet inter LXXII libros Apocryphos Veteris Teſtamenti, quot olim extitiſſe, & una cum XXII ſcriptis Canonicis ad Ptolomæum, Ægypti Regem, miſſos fuiſſe referat Epiphanius. Hebræo primum idiomate compoſita in Græcum poſt translata a Joanne Chryſoſtomo, perhiberi notat in codice manuſcripto Bibliothecæ Bodlejanæ, ſed fidem huic aſſertioni nullam tribuit. Interea tamen, cum Græci textus nihil hactenus lucem viderit, exceptis paucis periodis a Cotelerio, Galeo & Whartono hinc inde exhibitis, idcirco eum integrum, juxta membranaceum codicem manuſcriptum in Bibliotheca Academiæ Cantabrigienſis aſſervatum ſiſtit, una cum verſione Latina Roberti, Epiſcopi Lincolnienſis, jam olim quidem A. 1549 Pariſiis excuſa, inque Orthodoxographis & Bibliothecis Patrum recuſa, ſed tot tantiſque cum ſphalmatibus, ut ſæpius nullum, aut ineptum, imo abſurdum quandoque ſenſum fundat. Quamvis ergo Autor editionem illam Pariſinam per omnia ſecutus fuerit, ad oram tamen paginæ cujuſcunque ſphalmata plurima emendavit, nec typographi ſolum, verum & ipſiuſmet interpretis errores ſubinde correxit. Prolixiſſima omnium eſt, quæ nonnullis *Clementis Romani fragmentis* præmittitur, Diſſertatio, ſcripta ſancti hujus Patris & genuina & ſuppoſititia excutiens. Tanquam genuinam maxime primam ad Corinthios Epiſtolam celebrat & vindicat; ſuppoſititia vero opera perluſtrans, inter alia iis contradicit, qui Petri & Apionis Diſputationem pro parte vel appendice

Recognitionum Clementis venditent. Recognitiones has Clementi tributas, non a Bardesane aut alio Hæretico, sed a Catholico quodam scriptas sibi persuadet, ast per hæreticos tamen corruptas fuisse haud inficiatur. Κλημέντια ab Athanasio & Nicephoro memorata, diversa fuisse putat ab istis Homiliis, quas Cotelerius ex Bibliotheca Regis Galliæ primum ediderit. Fragmentorum de cætero Clementis maximum vocari meretur pericope Græci textus e libris Recognitionum, quam ex codice Eusebii MSto, textu Latino ex Cotelerii versione adjuncto, Noster repræsentat. Post fragmenta Scriptorum Catholicorum, sequitur spicilegium Hæreticorum Seculi I, in quo tamen utramque paginam solus facit *Simon Magus*, cujus librorum fragmenta paucula ex Hieronymo & Mose Bar-Cepha repetuntur. Reliquorum libros aliquos a Scriptoribus Ecclesiasticis nominatos quidem, sed nulla eorundem fragmenta inde descripta se reperisse testatur. Cerinthum Apocalypsin condidisse, perperā a nonnullis observat colligi ex verbis Caji, Presbyteri Romani, in dissertatione adversus Proclum apud Eusebium prolatis, cum in his potius Cajus ipsam S. Johannis Apocalypsin Cerintho adjudicet.

Quod ad Notas Operi absoluto subnexas attinet, præter ea quæ jam superius exin producta sunt, aliqua adhuc referenda nobis videntur. Occasione nempe librorum Henochi in Testamentis XII Patriarcharum citatorum, amplissima duo fragmenta libri istius primi, quæ Georgius Syncellus in suam Chronographiam transtulit, describit, Græcumque textum pariter ac Latinam versionem in uno atque altero loco emendat, & ad oram paginæ antiquiorum, qui ea citarunt, Patrum verba subnotat. Quidnam denotent πλάκες τῶν ὀυρανῶν, seu Tabulæ cœli, in Testamento Levi nominatæ, fusius exponit verbis Clar. Dodwelli, qui in peculiari dissertatiuncula in gratiam Autoris conscripta id egit, ut legem in cœlis archetypam iisdem significari ostenderet; prout & idem Chronologiam Patriarchalem in Tabulas redegit, quas Noster integras cum Lectoribus suis communicat.

## LETTRES ET MEMOIRES DE FRANCOIS DE VARGAS, &c.

i. e.

i. .e

*EPISTOLÆ ET COMMENTARII FRANCISCI DE VARGAS, Petri de Malvenda, ac quorundam Hispaniæ Episcoporum, Concilium Tridentinum concernentes. Ex Hispanico sermone in Gallicum translatæ & Notis illustratæ a MICHAELE LE VASSOR.*

Amstelodami, apud Petrum Brunel, 1699. 8. Alph. 1. pl. 15.

SUnt hæc Epistolarum & Commentariorum manuscriptorum plerumque fata, ut in bibliothecis Virorum illustrium delitescentes, cum blattis & tineis colluctentur, aut si foras prodire illis contingat, in manus incidant hominum imperitorum, qui pretium ejusmodi monumentorum non intelligentes, præstantissimos thesauros aut perdunt ipsi, aut perire patiuntur. Ast benigniorem fortunam expertæ sunt Virorum celeberrimorum Epistolæ aliaque monumenta, in Gallicam linguam translata, notisque doctissimis illustrata, & luci publicæ exposita a Viro jam ob alios ingenii fœtus orbi erudito satis cognito, Michaele Le Vassor. Singularem ejusmodi epistolarum & monumentorum apparatum ex Belgio in Angliam secum anno 1625 retulit Guilielmus Trumbul, Eques, Vir dignitate, munerumque, quibus functus est, splendore, prudentia quoque & eruditione, maxime, dum viveret, conspicuus. Is Jacobo I rerum summam in Britannia tenente, Legatis quos Rex in Belgium miserat, ut tractatui pacis, qua Hispani Belgæque bellum utrique genti molestissimum finire aut saltem suspendere nitebantur, interessent, ab Epistolis fuit secretioribus; post sancitas vero A. 160; inducias, Bruxellis, ut Regis negotia ibi curaret, ejusque commodis invigilaret, remanere jussus est. Quo quidem tempore hæ Epistolæ & Commentarii, quos nunc publicæ luci expositos videmus, ad eum pervenere: at quo fato, Michael Le Vassor, qui in præfatione hæc commemorat, definire non audet. Ast si conjecturis indulgere fas sit, a vero haud omnino abhorrere putat, cum Cardinalis Granvellanus, ad quem pleræque harum epistolarum scriptæ sunt, Belgio excedere juberetur, partem suppellectilis ejus librariæ, & hasce inter alia quoque epistolas, penes quendam, qui ab Epistolis illi fuerit, fuisse relictam, a quo cuncta tandem acceperit Trambulli-

bullius. Quicquid hujus sit, asservavit hunc thesaurum diligenter Vir illustris, nec quicquam edidit harum epistolarum, forte, ut suspicatur Editor, quod promisisset illi, a quo eas acceperat, se non commissurum, ut ullum inde in ipsum redundare incommodum posset, aut quod aliis causis fuerit impeditus. Hæreditario itaque jure transierunt ad Trumbullii hujus nepotem, Virum tum honorum quibus fulget titulis, tum meritis in Rempublicam Anglicanam, illustrem, cui Michael Le Vassor quoque hanc editionem sacram devotamque esse jussit. Iste diutius hocce κειμήλιον Orbi erudito invidere noluit, deditque adeo has epistolas doctissimo celeberrimoque Viro Stillingfleeto, tum quidem Decano templi Londinensis quod D. Paulo sacrum est, postea autem Vigorniensi Episcopo, non ita pridem magno cum luctu Eruditi Orbis mortuo, qui a Michaele Geddesio in linguam Anglicanam eas transferri atque edi curavit. Prodiit hæc editio Londini A. 1697 in 8: sed quam in Gallicana lingua adornavit Le Vassor Anglicanæ dubiam forte reddet palmam, tum ob annotationes eruditas utique & ad rem apprime facientes, & ex Historia lucem hisce Epistolis affundentes, tum ob alia monumenta, jam quidem typis exscripta, sed non ubivis obvia, passim inserta. Namque accepit Editor ab ipso Trumbullio Equite autographa harum Epistolarum, & eas ex Hispanico sermone, quanta potuit fide & diligentia, in Gallicum transtulit, Hispanicis quoq; verbis interdum margini adscriptis, cum aut emphasis, aut alia quædam ratio hoc requirere illi visa est.

Ceterum ut nunc ad rem ipsam accedamus, Epistolæ pleræque, quæ hic exhibentur, a Francisco de Vargas, Viro docto & cordato (cujus elogium ex Nicolai Antonii Bibliotheca Hispanica Le Vassor præmittit) scriptæ sunt ad Antonium Perrenottum, Atrebatensem tum temporis Episcopum, postea Cardinalis Granvellani nomine per orbem universum celebratum. Franciscus nimirum iste Vargas, jussu Caroli V Imperatoris, Concilio Tridentino intererat, ut Legatis Imperatoriis consilio & opera sua præsto esset, præsertim si res occurrerent, quæ majorem rerum Theologicarum notitiam eruditionemque requirunt, quam in Viros politicos & civilium solum rerum tractatione occupare ætatem consuetos, plerumque cadit. Hinc omnium rerum, quæ in Concilio isto gerebantur, probe fuit conscius Vargas, idemque idoneus censor, quod eruditionem tantam secum attulerat,

quanta

quanta ad res ejusmodi dijudicandas requiritur. Sed non pauciores fere hic conspiciuntur Epistolæ Petri de Malvenda Hispani, Doctoris & Theologi Parisiensis, Protestantium hostis acerrimi, ad eundem Atrebatensem Episcopum. Hujus & Sleidanus & Seckendorffius meminerunt, sed ita ut intelligere inde liceat, Virum apud suos magnæ olim fuisse auctoritatis. Et nihilominus cum Francisco de Vargas, quoties de Concilio Tridentino loquitur, consentit, gravissimosque ejus nævos non dissimulat, sed acerbissime potius de iis conqueritur. Ceteræ Epistolæ maximam partem aut Francisci Toletani, Legati Caroli V, aut Episcoporum quorundam Hispanicorum sunt, itidem ad Atrebatensem Præsulem perscriptæ. Sed multæ quoque ipsius Episcopi Atrebatensis hic leguntur Epistolæ, quibus Francisco de Vargas, aut Malvendæ, aut Legato Imperatoris, aut ceteris respondet, & ob Viri celebritatem auctoritatemque, qua tum floruit, haudquaquam negligendæ. Idque eo minus, quod reliquorum sententiam de Concilio Tridentino approbet, defectus agnoscat, simul tamen de remediis huic malo afferendis desperet. Denique & alia monumenta hic conspiciuntur. Sic primum statim locum occupat commentatiuncula Francisci de Vargas de modo Concilium dirigendi, & quænam Legati hic sint officia &c. Porro inseruit doctissimus Editor formulam, qua Carolus V Legatos suos ea auctoritate, qua eos pollere in hoc Concilio volebat, instruxit, itemque formulam qua Galliæ Rex contra Concilium Tridentinum protestatus est, & id genus alia.

Historiæ itaque Concilii Tridentini illustrandæ has Epistolas ceteraque monumenta inservire, vel ex fronte libri quilibet intelligit. Summam autem earum omnium forte non male exhiberemus, si diceremus, iis ea fere omnia confirmari, quæ de hocce Concilio jam pridem Petrus Suavis, vel potius Paulus Sarpius litteris prodidit. Nec tantum confirmantur, sed & multa indicantur, quæ Paulum Sarpium aut latuerunt, aut ab eo fuere prætermissa, & tamen momentum trahunt. Documento sequentia esse possunt. Edocemur in hisce Epistolis, Legatos Romani Pontificis Concilium in tres classes divisisse, unumque ex Legatis illi classi præfectum, in qua plurimi erant Romano Pontifici addicti, idque eo fine, ut ad nutum Pontificis eo facilius cuncta circumagi possent: edocemur, Viris doctissimis non placuisse summam istam festinationem, qua pridie sessionis controversiæ difficillimæ

cillimæ tanta præcipitantia definiebantur, ut nemini facultas accurata meditatione res propositas pertractandi daretur: edocemur, quanta diligentia Protestantium adventum, qui cum Romano Pontifice faciebant, amoliri aut impedire conati fuerint: edocemur, Carolum V Imperatorem promisisse Julio III, se non permissurum, ut Episcopi in reformatione morum statuerent quicquam aut definirent, quod displiceret Romano Pontifici: edocemur, Lovanienses & Colonienses Doctores in doctrina Sessionis XIV gravissimos deprehendisse errores, eosque postea fuisse correctos: edocemur, Cardinalem Crescentium, concilii præsidem, præ se ferentem, quod Episcoporum supra Presbyteros superioritas, ceu juri divino innixa, concilii decreto sit confirmanda, in doctrina de Sacramento Ordinis inseri curasse, Monarchiam absolutam Pontificis Romani a Deo esse institutam, &c. Ex hisce facile quidem intelligitur, quid quisque ex hisce Epistolis sperare possit: non tamen abs re fuerit, ex una alterave, prout quæque sese nobis obtulerit, afferre quæ speciminis ulterioris loco sint.

In prima statim epistola, quam Vargas ad Atrebatensem Præsulem scripsit, refert, Legatum Romani Pontificis, Crescentium Cardinalem, Francisco Toletano Caroli V Legato reformationem morum urgenti, ostendisse litteras a Carolo ad Romanum Pontificem scriptas, quibus huic promiserit, se non permissurum, ut in reformatione quicquam decerneretur, quod Romano Pontifici displiceret. Cum autem nihilo secius Carolus Legatis suis injunxisset, ut reformationem istam urgerent, quippe quæ ad discordias religionis causa exortas componendas plurimum esset collatura, Vargas quidem hæc vix inter se conciliare potest. Sed ipsi Francisco Toletano quoque hic aquam hæsisse refert, & hac de re conqueritur. In omnem tamen se vertit partem, ut hæc componat. Mox dicit, litteras Caroli forte non ita stricte & *Judaice* (sic loquitur) esse intelligendas, neque secundum interpretationem Cardinalis Crescentii: mox, Imperatorem hoc ideo solum scripsisse, ut ad continuationem Concilii eo facilius adduceret Pontificem: honoris causa ita scripsisse Imperatorem, meritoque annixum, ut Pontificem sibi faventem propitiumque haberet; non tamen statim inde inferendum, Pontifici nunc fas esse cuncta evertere, & pro lubitu & commodi sui ratione disponere: paucis, promisisse Imperatorem, quod Pontificis vota non sit facturus irrita, modo is

is nihil, quod ſibi concedere nefas foret, expeteret,adeoque Concilio poteſtatem emendandi abuſus & vitam eum non adimere. Ita conciliare hæc Vargas nititur,refertq; ſe non tantum apud Franciſcum Toletanum hunc in modum verba feciſſe, ſed plane menti ſuæ hanc ſedere ſententiam. Interim conqueritur, Pontificis Legatum intra juſtos limites non conſiſtere, & promiſſa Imperatoris ultra, quam fas ſit, extendere. Idem Vargas in altera ad eundem Atrebatenſem Epiſcopum epiſtola refert, Doctores Colonienſes & Lovanienſes in articulo de pœnitentia & extrema unctione errores quosdam graviſſimos deprehendiſſe, Electoremque Colonienſem hanc præcipitantiam Concilii ægerrime tuliſſe. Cumque diu multumque deliberatum eſſet,num diſſimulandi an corrigendi iſti errores eſſent,poſterius, quippe quod minus incommodi haberet, placuiſſe. Notatu digna quoque eſt epiſtola Jacobi Amyoti, tum quidem Abbatis Bellozauenſis, poſtea Antiſſiodorenſis Epiſcopi, Tridentum miſſi a Galliæ Rege, ut Concilii iſtius auctoritatem Regem non agnoſcere teſtaretur. Accurate in ea,quæ hac de re acta ſint, exponuntur. Inter alia refert, multum de voce *Conventus* diſputatum fuiſſe. Litteræ enim Regis ad Concilium inſcriptæ erant: *Sanctisſimis atque inprimis obſervandis in Chriſto Patribus Conventus Tridentini.* Multi hoc in malam trahebant partem, & per contemptum concilium hoc *conventus* nomine deſignari, clamabant. Amyotus id negabat, & ad locum Ciceronis, *venimus non in Senatum ſed in Conventum Senatorum*,qui illi objiciebatur, regerebat, non ignominiæ cauſa, ſed ob ademptam a Cæſare Senatui auctoritatem, Conventum Senatorum dici, & Senatui opponi. Sed cetera hic legiſſe,neminem forte pœnitebit. Epiſtolam Amyoti, eique additam formulam, qua Rex Galliæ contra Concilium proteſtatus eſt, excipit iterum epiſtola Franciſci de Vargas ad Atrebatenſem Præſulem, lectu ſane haud indigna. Refert, Creſcentium Cardinalem poſt duodecimam ſeſſionem voluiſſe, ut de S. Euchariſtia Concilium decerneret. Multi contra tum Epiſcoporum, tum Legatorum conſultius ducebant, ejusmodi controverſiarum deciſionem usque ad Proteſtantium adventum, cujus ſpes non inanis eo tempore illis facta erat, differri: quin capita,in quibus a Romanenſibus Proteſtantes diſſentiunt,& quæ jam a Concilio definita erant,rurſus in diſputationem trahi cupiebant, ne Proteſtantibus occaſio daretur conqueren-

di, ſe non auditos a Concilio eſſe damnatos. Hæc quoque erat ſententia Franciſci Toletani & Franciſci de Vargas. Aſt quoties hujus rei mentionem apud Legatum Pontificis injiciebant, ita eum irritabant, ut ſtatim ex Concilio ſe diſceſſurum minitaretur. Cauſam non aliam fuiſſe Vargas docet, quam quod Legatus & qui cum eo faciebant, nihil æque quam Proteſtantium adventum timuerint. Hinc omnia eorum conſilia eo collimaſſe, ut iſtorum adventum aut impedirent, aut de capitibus controverſis prius decernerent, quam advenirent, ut ita re irrita illis domum revertendum eſſet. In eadem epiſtola refert, Legatos Regis Romanorum (Ferdinandi) contendiſſe, communionem ſub utraque Divinæ conſtitutioni eſſe conformem; Cardinalem quoque Tridentinum multis rationibus comprobaſſe, Germanis eam eſſe concedendam: aſt oppoſuiſſe ſe Electorem Moguntinum cum Trevirenſi, & aſſeruiſſe, hac ratione diſſidia iſta componi non poſſe. Mirifice hinc ſe Legato Pontificis probaſſe Electorem Moguntinum, maximoque in honore apud omnes Pontificis aſſeclas eum fuiſſe, ex quo cuncta Legati placita calculo ſuo comprobare inceperit. Sed hæc Speciminis loco ſuffecerint.

## *SERIES REGUM HUNGARIÆ E NUMMIS AUREIS, QUOS vulgo Ducatos appellant, collecta & deſcripta a JACOBO a MELLEN.*

Lubecæ, apud Jo. Wiedemeyer, 1699. 4. plag. 9.


NOn ſacris ſolum ſtrenue operatur Doctisſimus Mellenus, ſed ad elegantiora quoque ſtudia ſubinde excurrit, præcipue vero in nummis, & iis quidem ævi ſequioris, illuſtrandis multus eſt, quippe integram uncialium ex argento, qui vulgari Thalerorum appellatione gaudent, ſeriem ex inſtituto poſthac declaraturus; cujus operis initium ſuperiori anno fecit, id quod tunc in Actis noſtris p. 422. ſeqq. Lectori benevolo pro inſtituti noſtri ratione indicavimus. Dum autem felices in iſto labore progreſſus expectamus, ad nummos interim aureos, quos Ducatos vocari uſus fert, paulo penitius contemplandos accedere, ſed ex eorum tamen cumulo nonniſi tales eligere Autori placuit, qui ad Regum Hungariæ Hiſtoriam noſcendam momentum quoddam afferre queant. Nummos igitur ejus generis octodecim

non

TAB. III. ad. A. 1699. p. 267. M. Jun.


SERIES REGVM HVNGARIAE E NVMMIS AVREIS.

Ludovicus.



1

Sigismundus.



2

Albertus. — Wladislaus

non æri modo incidi fecit, ſed prolixiori etiam diſcurſu faciem cujusvis ulterius dilucidavit. Exorſus eſt a Ludovico, qui non minus ac ſucceſſores plurimi, in altera parte nummorum ſuorum ſanctum Ladislaum, ſeculo poſt natum Chriſtum undecimo Hungariæ Regem, exhibuit, quod ob rerum ab ipſo geſtarum magnitudinem vitæque ejus ſanctitatem factum Rev. Autor exiſtimat, & Ladislai iſtius non minus ac Ludovici, qui A. 1342 patri Carolo in regni adminiſtratione ſuccesſit, hiſtoriam cum legentibus communicat: cumque altera nummi hujus ſub Ludovico cuſi pars, præter Hungarica inſignia, etiam Neapolitana ſpectanda ſiſtat, memoriam eum exhibere conjicit expeditionis in Italiam, ad ulciſcendam fratris Andreæ mortem, & Regnum Neapolitanum acquirendum, ab ipſo ſuſceptæ; qua occaſione de inſignium Neapolitanorum mutatione, & facie quam hodie obtineant, nonnihil diſſerit. Pergit hinc ad Sigiſmundum, ac de nummo aureo, quo ille Hungariæ Bohemiæque regna abs ſe conjuncta fuiſſe, per inſignia utriusque in averſo latere expreſſa monſtrarit, commentatur. Tertium locum Albertus obtinet, cujus tamen nummus, præter Regis nomen, pauca habet, quæ a priori diſcrepant, utut alias rariſſimum eundem eſſe Autor memoret. Quartus eſt Uladislaus, qui cum regimine Polonico Hungaricum ſibi oblatum conjunxit; unde cuſus ſub eodem nummus inſignia hujus æque ac illius repræſentat. In Hungaricis tamen notari cupit Autor crucem duplicem, ſive Patriarchalem, ita efformatam, ut ſcuti marginem haud attingat; cum ſeculis ſequentibus, Hungariæ Reges eandem crucem e corona erumpentem colliculoque triplici inſiſtentem finxerint. Regni equidem Hungarici Gubernatorem tantum ſub Uladislao egit, regioque adeo nomine caruit Joannes Hunniades, ob regiam tamen poteſtatem & virtutes regias, Hungariæ ipſum Regibus accenſet Autor, dumque nummum ejus delineat, gentilitium Corvinorum inſigne, quod inibi apparet, ut Lector probe contempletur, ſuadet, quippe quod corvum ſiſtat annuligerum, & commentum eorum explodat, qui Matthiam demum ſcutariam illam teſſeram in memoriam alicujus corvi, annulum matris ejus pronubum auferentis, ſed mox eundem, cum telis adſtantium peteretur, reſtituentis, aſſumſiſſe perhibeant. Brevis eſt, quam de Ladislao, poſthumo Alberti Auſtriaci Imperatoris filio, nectit, hiſtoria. Circa ejus vero nummum aureum, aſſociatam tæniis Hunga- TAB. III.

 ricis

ricis & leoni Bohemico fasciam Archiducatus Austriæ observat. In Matthiæ I (quem maxime ab amore erga literas & literatos commendat, conditamque ab eo Budensem Bibliothecam celebrat,) nummo, ad sinistrum latus S. Ladislai clypeum cum rota septem radiorum animadvertit; sed quorsum spectet isthoc symbolum, ignorare se lubens fatetur, nisi forsan loci cujusdam Hungariæ, ubi cusus ille nummus, notam esse suspiceris. In adversa parte primus & secundus laterculus δείγματα Hungariæ, tertiusque corvum cum annulo, Corvinæ nempe gentis symbolum ostendens, nullum eruditissimo Autori negotium facessit; sed de laterculo quarto, & de leone ibi conspicuo amplius disquirit. Bohemiæ certe tesseram dici imaginem hanc posse, negat. Utut enim regimen Bohemicum A. 1469 a Proceribus nonnullis Hussitarum factioni adversis Matthiæ oblatum fuerit; obstare tamen leonis hujus situm, qui, si regnum Bohemiæ denotaret, non in extremum parmulæ locum rejiciendus, nec symbolo Corvinorum gentilitio postponendus fuisset. Præterea leonem Bohemicum corpore erecto, & posterioribus pedibus insistentem exhiberi: hunc autem plane resupinum & veluti diagonali situ positum conspici observat. Aliam proin leoni huic patriam quærit, Bosniam scilicet, Croatiæ Dalmatiæque vicinam provinciam, quam Matthias A. 1463 Turcis eripuit, eosque anno sequenti Jaizam, regionis metropolin, repetituros sola adventus sui fama adeo terruit, ut obsidione subito soluta, præcipiti fuga sibi consuluerint. Uladislai II nummus novum in averso latere typum conspiciendum dat, Mariam puta τεκνοφόρον, tutelariam illam Hungariæ Divam, quam postea variis hujus regni nummis imprimi contigit. Sub istius effigie aquila expansis alis cernitur, quam gentilitiam Uladislai tesseram referre, Poloniamque, Regis hujus patriam, signare Autor reputat. Ludovici II, qui Uladislaum excepit, fata fere omnia prorsus immatura posteaquam admiratus est, in ejus nummo S. Ladislaum paulo aliter ac in præcedentibus effictum, totumque loricatum intueri jubet; in averso quoque latere, Divam Mariam Lunam crescentem sub pedibus habere dum notat, ad majorum id traditionem refert, qui conspectam a Johanne mulierem, Sole amictam Lunamque pedibus calcantem (Apoc. XII, 1.) Mariam denotasse crediderint. In Ferdinandi I nummo notabilis est inscriptio, quæ ELectum ROmanorum IMperatorem Semper AVgustum,

gustum, GErmaniæ, HVngariæ, BOhemiæque Regem ipsum salutat; sed reliqua a præcedenti nihil differunt, si adversi lateris siglas monetales, & aversi scutulum, fasciam Archi-Ducatus Austriæ continentem, excipias. Nec abit ab hactenus commemoratis nummus Joannis I, nisi quod scutum Regis gentilitium, Mariæ τεκνοφόρῳ substratum, lupum aut aliud id genus animal, quod e monticulo erumpit, ostendat. Ast Johannes II nova B. Virginem perigraphe ornavit, eamque Patronam Hungariæ appellari fecit. Alterum latus insignia ejus varia exhibet, interque hæc & boam auro coronatam gyrisque aliquot contortam, ex cujus ore infans cruentus erumpit. Hanc Mediolanensis Ducatus tesseram Joannem clypeo suo inseruisse monet, ob aviam suam Bonam, Johannis Galeacii, Mediolanensis Ducis filiam. Lemma autem, quod habeat JO. SE. D. G. ELE. REX. UN. quoad voces duas priores, non, ut velint aliqui, efferendum esse, *Johannes Sepusiensis*, sed *Johannes* potius *Secundus*, affatim patere autumat. Maximilianus, si non inter Hungariæ Reges (id enim in medio relinquit Autor,) inter Imperatores tamen Romanos citra controversiam secundus, nummum aureum ab eo, quem pater ipsius Ferdinandus edi curavit, haud diversum post se reliquit; prout & alius Rudolphi, quem subnectit Auctor, cum eodem ad amussim congruit. Quod Matthias in nummo aureo A. 1611 cuso secundi cognomen adipiscitur, ob Matthiam Hunniadem Corvinum fit, qui inter Hungariæ Reges istius nominis primus fuit. Matthias autem hic in S. Ladislai locum suam substituit effigiem, & eam quidem singulari ornatu in capite, pedibus, reliquoque corpore amictam, quem non describit modo Autor, sed & de corona Hungarica, de pallio seu paludamento S. Stephani ad clinodia regni Hungariæ spectante, deque aliis indumentis regalibus plura in medium affert. Qui sequuntur nummi tres residui, Ferdinandum secundum tertiumque, & Augustissimum *LEOPOLDUM* nostrum, sub Imperatoris coronati & armati, sceptrumque & globum tenentis forma, in aversa vero parte consuetam B. Mariæ Virginis imaginem, cum clypeis cuique familiaribus repræsentant.

## *GOTHOFREDI CHRISTIANI LEISERI, CONSIL. STOLBERG. & Hereditarii in Rothermarck & Dittgeroda, Jus Georgicum ſive Tractatus de Prædiis*, von Land-Gütern.

Lipſiæ apud Heredes Friderici Lanckiſii, 1698. in fol. Conſtat 10 Alph. 14. plag. ac aliquot figuris æneis.

TUrpe eſſe Patricio & Nobili, & cauſas oranti, jus, in quo verſatur, ignorare, graviter quondam ediſſeruit Quintus Mucius, eodemque effato Servium Sulpicium, a Marco Tullio in cauſis orandis alias ſecundum, ſed juris patrii non ſatis curioſum, ita rubore ſuffudit, ut is deinceps majori cum cura juri vernaculo vacaret. Non protulit illa ICtus Romanus ex principio aliquo Romanis proprio, ſed omnibus potius gentibus communi, adeoque effati illius ubique par merito eſt autoritas. Re ipſa certe eam agnovit Conſultiſſimus Autor noſter, quando Jus Georgicum non quidem unice, præcipue tamen, ex placitis ac inſtitutis domeſticis excolere, ac quicquid ab aliis ſparſim dictum erat, uno volumine comprehendere, glorioſum ac utile exiſtimavit. Noſtrum eſt, *multorum annorum laborem*, ceu Noſter in præfatione vocat, ac operis prolixitate facile perſuadet, juxta ſummas velut lineas ſuas breviter exhibere. Dividitur totum opus in tres libros. In primo generalia quædam de laudibus agriculturæ, de natura & conſtitutione prædiorum, de prædiis urbanis & ruſticis, de prædiis Romanorum præcipuis ac eorum denominatione, de prædiorum ſtructura & ſituatione, de ruſticatione veterum, quam animi relaxandi cauſa inprimis ſectati ſunt, recenſentur. Poſtea prolixa de prædiorum varietate inſtituitur tractatio, hinc prædia libera & allodialia, ſolaria, nobilia, eccleſiaſtica, munita, feudalia, emphyteutica, libellaria, curmedica, cenſualia, ſuperficiaria, locata & ammodiata, perpetuæ coloniæ, ad affictum data, partiaria, immediate Imperio ſubjecta, landſaſſica, eaque vel ſchrifft-vel ambtſaſſica, ruſtica, cothſaſſica, majoratus, minoratus, apanagiata, uſufructuaria, dotalia, paraphernalia, dotalitia, morganatica, civitatum, minorum, ganerbica, pignoratitia, retrovenditioni obnoxia, alluvia, optima maxima, domanialia, inſtructa, deſerta, longo ordine explicantur, ita quidem ut multa ad jura poſſeſſorum pertinentia prolixe inſe-

inſerantur, nec adeo nuda ſolum terminorum explicatio exhibeatur. In ſecundo Libro perſonæ, ad prædium præcipue pertinentes, adducuntur, adeoque de domino prædii, ejus præfecto, de villico, campario & ſaltuario, ſervis & famulis, agricolis, hominibus propriis, paſtoribus & opilionibus diſſeritur. Poſtea animalium in prædiis occurrentium tractatio additur. Explicato igitur animalium jure in genere, ſpeciatim deinde de pignoratione animalium, de equis, bobus, ovibus, capris, porcis, canibus, anſeribus, gallinis, columbis & apibus agitur. Liber tertius pertinentiis prædiorum deſtinatus, pertinentias illas primo generaliter expendit, poſtea ſpeciatim illas exſequitur: hinc de prædiorum regalibus, jurisdictione, jure patronatus, de pagis, agris, hortis, vineis, pratis, paſcuis, ſylvis, venatione, aucupio, piſcatione, de molendinis, piſtrinis & furnis, torculis, balneis, hoſpitiis, tabernis vinariis, cereviſiariis, vini aduſti, decimis, metallis nobilibus & ignobilibus, lapidicinis, laterariis & calcariis, vectigalibus, operis ruſticorum, ſervitutibus ruſticis, itinere, actu, via publica, aquæ ductu privato & publico, de jure grutiæ, prolixa non minus quam diligens enata eſt tractatio. In laborioſa autem iſta collectione multa ſcitu neceſſaria, utilia & jucunda occurrere, nemo facile dubitabit, cum vel ſola tot titulorum memorabilium recenſio, a nobis facta, id ſatis perſuadeat. Jucundum profecto eſt (ut unicum ſaltem exemplum ſpeciale addamus) legere ridiculum illum excommunicationis proceſſum, quo in Burgundia locuſtæ, ob damna agris, pratis & vineis illata, excommunicatæ fuerunt, quem ex Bartholomæo Chaſſanæo late deſcripſit Noſter *l. 2. c. 10. n. 32. ſeq.* Sicut igitur a multis hactenus Juris Georgici collectionem deſideratam fuiſſe, in præfatione idem fatetur, ita iſti deſiderio ſatisfactum, & vota cupidorum penitus hoc opere eſſe expleta, nos quidē arbitramur. Nam profecto inſignis utilitas eſt, integram fere Juris Georgici Bibliothecam in uno volumine poſſidere, & quod alias ex tot diverſis Scriptoribus maxima cum moleſtia requirendum fuiſſet, citra tædium in compendio legere.

*GUSTAVI CAROLI SCHARNHORST J. U. L. ET SYNDICI Civitatis Verdenſis Conciliatio Deciſionum Mevianarum apparenter contrariarum continuata.*

Ham-

Hamburgi apud Gottfried Liebezeit, 1699. in 4.
Conſtat 2. Alph. 10. Plag.

AN in Jure Romano dentur Antinomiæ, antiqua apud Juriſperitos quæſtio eſt, quæ tamen hodie minori cum reverentia fortaſſis tractatur, quam olim, ubi ſub Bartoli, Baldi aliorumque legalis prudentiæ Luminum auſpiciis, Scholæ & pulpita juridica juris Romani centonibus unice reſonuerunt. Interim non tantum de legibus ipſis illa moveri poteſt diſceptatio, ſed & eam ad legum interpretes transferre licet. Omnes enim homines eandem patiuntur ſortem, nec magis Legislatori quam privatis, contra errores infallibili aliquo privilegio cautum eſt. Inprimis vero iis, qui prolixa concinnant volumina, facile accidere poteſt, ut ſibi vel contradicant, vel ſaltem contradicere videantur. Tales contradictiones an obrepſerint Illuſtri Mevio, magni nominis olim & hodie ICto, in ſuis Deciſionum voluminibus, de eo Noſter cum Zaunſchliffero, ICto & Anteceſſore Marpurgenſi celeberrimo litigat. Publicavit nimirum hic ante aliquot annos *Specimen Antinomiarum Mevianarum*, in quo XLIII variationes in Mevii Deciſionibus occurrentes annotavit. Huic oppoſuit Noſter *Experimentum Conciliationis prædictorum ἐναντιοφανῶν*, quod quidem per modum diſputationis inauguralis, ſub præſidio Illuſtris Lynckeri excutiendum exhibuit Jenæ A. 1694. Ad hoc prælaudatus Zaunſchlifferus *Stricturas* confecit, illudq; cum ſtricturis his ſuo ad Deciſiones Mevianas *Commentario*, anno 1696 in lucem edito, adjunxit, additis inſuper VII aliis variationibus Mevianis. Ex his omnibus Noſtro enatum eſt præſens opus, ſeu *Conciliatio Continuata*. In ea primo refert Zaunſchlifferi XLIII variationes prima vice exhibitas, ac ſingulis addit conciliationem, in modo allegato Experimento ſeu diſputatione inaugurali contentam; hanc excipiunt Stricturæ Zaunſchlifferianæ, quas ſtilo practico deinceps Noſter diluit. His expeditis, reliquas VII variationes, a Dn. Zaunſchliffero deinde editas, quoque diſcutit ac amplius explicat; quibus omnibus ipſe XXVI novas variationes (ſic computat Noſter in præfatione, quamvis in ipſo tractatu omnium variationum numerus ad LXXVIII aſcendat, ac adeo XXVIII additas innuat) in lectione Deciſionum ſibi obſervatas adjicit, ac in uſum publicum reſolutionibus ſuis enucleat.

Ut

Ut de intentione Noſtri, totiuſque contentionis ſerie, amplius conſtet B. Lectori, exemplo rem illuſtrabimus. Variatione 2. p. 5. circa quæſtionem: *an hodie conceſſa jurisdictione, ob Germaniæ conſuetudinem generalem, ſub voce* Gericht *etiam criminalem complexam, jurisdictio criminalis videatur conceſſa, utut ſpecialiter conſuetudo in illo loco non oſtendatur recepta in ſimilibus caſibus?* variantem inducit Mevium Dn. Zaunſchlifferus, dum in eadem cauſa Hellmuht Othonis von Winterfeldt/amplectatur negativam *P. 1. Dec. 45. n. 2. 3.* poſtea vero *P. IV. D. 290.* affirmativæ ſubſcribat. Sed Noſter in Conciliatione contendit, niti illas Deciſiones diverſis titulis vel rationibus. In *Deciſ. 5.* eum, qui jurisdictionem criminalem ambibat, *ſolam prædii poſſeſſionem* allegaſſe, & hactenus adeo repulſam tuliſſe; ſed in *Deciſ. 290.* meliorem titulum, nempe *ſe in genere de judicii poteſtate eſſe inveſtitum*, docuiſſe, adeoque ſententiam pro jurisdictione criminali cecidiſſe. Ad hæc Zaunſchlifferus in ſtrictura repoſuit, ubique potius eosdem allegatos eſſe titulos; quod Noſter in continuata conciliatione diluendum ſibi ſumit. Id prætereundum non videtur, quod Noſter in gratiam eorum, quibus Deciſiones Mevianas diligenter legere animus eſt, præter indicem *quæſtionum* & *rerum*, in hoc continuatæ Conciliationis opere contentarum, triplicem alium confecerit: (1) Deciſionum apparenter contrariarum. (2) Deciſionum omnium, eandem cauſam reſpicientium. (3) Cauſarum ſeu Controverſiarum cum Deciſionibus, quæ circa ſingulas prodierunt: ut adeo Parallelismus Deciſionum Mevianarum ex illis varia ratione haberi queat.

## *JOAN. CLERICI HARMONIA EVANGELICA,*

Amſtelodami, apud Huguetanos, 1699. in fol. Alph. 6.

CUm nuper in vertendis atque edendis Henrici Hammondi annotationibus in Novum Teſtamentum verſaretur Clariſſimus Clericus, ſæpe animum ſubiiſſe teſtatur, quod Studioſis ſacrarum literarum commoda Harmonia Evangeliorum adhuc deeſſet. Quamvis enim præterito ſeculo atque hoc noſtro plurimæ earum prodierint, nullam tamen ſe vidiſſe memorat, quæ non laboraret duobus graviſſimis incommodis. Primum namque ordinis temporum exiguam in iis rationem haberi ait, cum Viri eruditi ſatis duxerint,

conferre inter ſe diſtinctis in columellis ſimilia dicta & facta, divulſis eam in rem mirum in modum Evangeliorum membris, ſecuri interim Chronologiæ omnis & rerum ordinis, quaſi ad hæc ne Evangeliſtæ quidem ipſi uſpiam reſpexiſſent; quin & nonnullos Joannem, ex quo tamen ſolo anni prædicationis Chriſti diſtingui poſſint, ſibi comparandum cum cæteris, ac conjiciendum in eandem harmoniam non cenſuiſſe. Deinde iſtas Harmonias eſſe aut jejunis aut operoſiſſimis Commentariis illuſtratas, qui nec ulla ratione conferri queant cum recentioribus Interpretibus, neque nexum orationum Chriſti & narrationum Evangeliſtarum ſatis clare oſtendant; quid? quod Evangeliſtarum verba non ſatis commode inter ſe componantur, omniaque ſint aliquoties legenda, ut, quid habeant commune, quid ſingulare, intelligere perſpicue valeas. Ipſe igitur Harmoniam, qualem animo conceperat, adornavit, verbaque Evangeliſtarum Græca primum ad ſe invicem collata exhibuit, poſt ad Bibliopolæ rogatum ex verſione quoque Latina vulgata ſimilem Harmoniam confecit, ſubjecta hoc eodem idiomate paraphraſi ſua perpetua, qua ſententia & ſeries orationis exprimuntur.

Ut autem de methodo, qua loca Evangeliſtarum, quæ primo intuitu contraria videntur, in concordiam redegerit, Benevolo Lectori paulo conſtet dilucidius, in ea delineanda nunc porro occupabimur. Lucam & Johannem, imo & Marcum, ordinem temporum accuratius ſecutos fuiſſe quam Matthæum, ſuppoſuit ante omnia. In narratione porro ſingulorum factorum aut ſermonum Chriſti, Evangeliſtas ſummam modo rerum & dictorum protuliſſe monet, ſingularum circumſtantiarum aut verborum ſenſuumque ordine ſæpiſſime neglecto, & exemplo eſſe putat inſignem illum Chriſti cum Phariſæis dialogum, Matth. XIX. 3. ſeqq. & Marc. X. 2. ſeqq. recenſitum, ubi certe neque eadem prorſus utrobique verba ſint, neque idem ordo, quamvis res ſit plane eadem; unde varietate verborum aut ordinis neminem offendi debere exiſtimavit. Neque unum Evangeliſtam, neque omnes ſimul omnia habere judicavit facta & dicta Chriſti, imo nec omnes circumſtantias eorum, quæ copioſius enarrent; aliunde ergo ſupplevit, quod deeſſe aut in uno aut in omnibus Evangeliſtarum obſervavit. Imo ex nuda omiſſione haud colligi poſſe monet, non factum id, quod minus memoretur. Hinc manifeſte ſeceſſit in ſua paraphraſi

phrasi ab iis, qui, quoniam lapis ostio sepulcri Christi advolutus non dicatur amotus, antequam resurgeret Christus ac sepulcro egrederetur, existiment, Jesum e clauso monumento egressum penetrata rupe; itemque, quia non dicantur fores conclavis, ubi delituerint præ metu discipuli, apertæ, penetratum ab eo lignum januarum. Nam quamvis hæc minime contraria esse naturæ veri corporis humani fateatur, tantum tamen miraculum ex mero Evangelistarum silentio colligere noluit. E contra ex sequentibus, circumstantiam aliquam in antecedentibus omissam sæpius addidit. Ita Luc. I, 20. in paraphrasi verba Angeli ad Zachariam sic expressit: *surdus eris ac mutus ab hac hora*, cum tamen in Græco textu tantum hæc legantur: *ἔσῃ σιωπῶν καὶ μὴ δυνάμενος λαλῆσαι.* Surditatem ergo ori muto ideo adjunxit, quod v. 62. dicantur *innuisse* Zachariæ, qui sententiam ejus de nomine filio imponendo rescire voluerint; quod certe minus futurum fuisse opinatur, nisi surditate laborasset, quandoquidem alias clara potius voce interrogare eum potuissent. Imo ex re ipsa circumstantias omissas, & ad intelligendam tamen seriem narrationis necessarias adjecit, ut cum in colloquio Jesu cum Nathanaële supplevit hæc: *Unde intelligere poterat, Jesum esse Prophetam, cum sciret, quod a nemine resciri poterat;* hæc enim flagitare censuit exclamationem Nathanaëlis subsequentem, quæ alioquin sine ratione fuisset. In historia nuptiarum Canæ Galilææ celebratarum posteaquam dixit, animadvertisse Mariam, vinum deesse, subjecit: *quæ alias viderat Filium edentem miracula, quæ memoriæ prodita non sunt, &c.* alias namque Filium, ut defectum vini suppleret, haud monituram eam fuisse credidit. Ex responso sæpe intellexit, aliquid in interrogatione omissum, aut in narratione suppressum. Sic cum Nicodemum Joh. III, 2. Jesum alloquentem introducit: *Rabbi, scimus, quia a Deo venisti Magister* &c. antequam responsum Christi: *amen, amen, dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*, superaddat, in paraphrasi hæc inserit: *hac præmissa præfatione, interrogaturus erat Jesum, quid a se fieri oporteret, ut felicitatis regni Dei, quod instare audiebat, particeps fieret?* Ita ex responsione, quam Martha promissioni Christi, *resurget frater tuus*, reponat, *scio, quia resurget in resurrectione in novissimo die*, liquere autumat, eam nec sperasse nec petiisse fratrem a Christo excitari; ideoque tacitam ejus cogitationem

ſic expreſſit: *non auſa eſt addere, Jeſum a Deo nequaquam petiturum, ut homo a quatuor diebus mortuus excitaretur, quod talia Deus non ſoleret concedere.* Ob varietatem paucularum circumſtantiarum narrationes non per omnia ſimiles, ſi cætera conſenſere, in varias hiſtorias diſpeſcere noluit, utpote cum v. g. Matth VIII. & Luc. VII. quoad ſanationem ſervi Centurionis; & Matth. XX. Marc. X. & Luc. XIIX. circa viſum cœco vel cœcis redditum, diverſas minime hiſtorias quæſivit. Aſt viciſſim ſimilitudinem paucularum circumſtantiarum, quæ ad ſummam rei parum faciant, non oſtendere arbitratus eſt, unam a variis Evangeliſtis narrari hiſtoriam, ſi cætera diſſideant. Eam ob rem mulierem, quam Lucas narrat in ædibus Simonis pedes Chriſti lacrymis ſuis madefactos coma abſterſiſſe, aliam prorſus ab ea fecit, de qua Joannes ferme eadem commemorat. Similia ſæpius feciſſe ac dixiſſe Chriſtum, ſimilibus occaſionibus ita poſtulantibus, dum præſuppoſuit, bis eum mercatores & nummularios e templo ejeciſſe; bis orationis formulam, qua uterentur diſcipuli, tradidiſſe; ac duodecim Apoſtolos per Galilæam Evangelium nunciaturos iisdem, quibus ſeptuaginta diſcipulos per Judæam ire juſſos, mandatis inſtruxiſſe concluſit. Rurſus eadem objicientibus aut quærentibus diverſo tempore eodem ſæpe modo Chriſtum reſpondiſſe dum exiſtimavit, ea, quæ Matth. VIII. 19. & Luc. IX, 57. habentur verba, duobus diſtinctis temporibus prolata fuiſſe innuit. Exiguam circumſtantiarum aut ordinis in narratione unius ejusdemque rei varietatem, pro repugnantia haud ſtatim agnovit; indeque in hiſtoria tentationis Chriſti, ubi Matthæus poſtremam tentationem dicat eam, quæ facta eſt in præalto monte, Lucas vero iſtam, quæ contigit in ſolario templi Hieroſolymitani, Lucam Matthæo accommodandum cenſuit, nullam de cætero heic pugnam deprehendi ratus, cum neuter Evangeliſtarum hac in re ordinem temporis accurate ſecuturum ſe profiteatur. Eum, qui pauciora habet, non negare plura dicta aut facta, modo ne ulla adſit excluſionis nota; nec, qui plura habet, eum, qui pauciora narrat, malæ fidei arguere reputans, Matthæum duos viros impuris ſpiritibus obſeſſos memorantem cum Marco & Luca unius tantum mentionem injicientibus facile conciliavit, quandoquidem is, qui duos dicat, unum non neget, & qui unum ponat, nec ullo tamen indicio plures excludat, minime adverſetur iis, qui plures memorent. Eodem modo hos

Evan-

Evangeliſtas alibi diſcrepantes ad concordiam revocat, quando nimirum Matthæus duos cœcos a Chriſto curatos, ac cæteri duntaxat unum introducant. Librariorum quandoque peccatum obſervari ſtatuit, v. g. apud Joannem in determinatione horæ crucifixionis Chriſti; ſed talia pro oppoſitione vera habenda non eſſe monuit. Ordinem narrationis multa, quæ inverſa pugnare videntur, in concordiam redigere ſentiens, Evangeliſtarum inter ſe componendorum verba ſic digeſſit, ut primum ea, quæ communia habent, in diſtinctis columellis, quibus ſingulorum Evangeliſtarum nomen præfixum, collocarit; ſingularia deinceps unicuique manibus, quarum index extenſus ea monſtraret, diſtinxerit, relicta charta vacua in cæteris Evangeliſtis; ut denique ex omnibus, quæ apud omnes Evangeliſtas occurrunt, ordine, quem ex re ipſa commodiſſimum judicavit, digeſtis ſeriem velut continuatam narrationis & vitæ Chriſti univerſæ deſcriptionem formarit, quam in ſubjecta paraphraſi expreſſit. Eam in rem in ſingulis factis aut ſermonibus verba Marci, Lucæ & Johannis non raro divulſit, ut narrationi ſuus ordo conſtaret, ita tamen, ut divulſa verba & verſus aſteriſcis atque numeris diligenter ſignaverit. Facta temporibus remota tranſitione connexuit, quemadmodum & proxima, ſicubi, quæ inter ea contigerunt, Scriptor ſacer omiſerit. Cum, quæ quiſpiam facit per alium, ea ipſe facere videatur, mirum non eſſe ait, quod Centurio Capernaumenſis a Luca perhibeatur ablegaſſe ad Chriſtum Judæos, cum ad eum ipſe ire non auderet, & idem tamen a Matthæo Jeſum ipſe conveniens atque alloquens introducatur. Pro ſua hypotheſi, quod ſæpe, cum quiſpiam deſignetur obſcurius, pro numero Singulari adhibeatur Pluralis, conciliat inter alia Marcum Cap. V. 31. narrantem diſcipulos dixiſſe quid Jeſu, cum Luca Cap. VIII. 45. id a ſolo Petro dictum innuente. Nec raro tamen, quod factum aut dictum a paucis, omnibus citra diſcrimen tribui ait, ut cum Joh. VIII, 3. dicantur Scribæ & Phariſæi adduxiſſe adulteram ad Jeſum, id quod tamen nonnulli duntaxat eorum fecerint. Hoc ex fundamento Joannem cum ſemetipſo & cum reliquis Evangeliſtis conſpirare oſtendit, quando is Jeſum a Galilæis male exceptum aſſerat, & alio tamen loco benigne habitum narret; utrumque enim a nonnullis modo Galilæorum factum reſpondet. De cætero paraphraſi ſuæ nihil ſe inſeruiſſe teſtatur, quod non vi ac poteſtate verborum ſacrorum contineatur, aut certe manifeſto conſentaneum ſit doctrinæ a Domino &

Evangelistis traditæ; omnem quoque Hebraismorum obscuritatem claris se locutionibus discutere studuisse profitetur, paratus interim emendare, quæ per errorem minus accurate forsan proposuerit.

Cuncta vero hæc, quæ summatim hactenus retulimus, prolixe magis exposuit Clarissimus Autor in peculiari Dissertatione, quæ locum tenet medium inter duas alias Harmoniæ huic subjunctas, in quarum altera rationem ille reddit Chronologiæ, quam secutus ibi fuerit. Christum nempe putat natum anno penultimo regiminis Herodiani, qui fuerit ab U. C. 749, & Julianus 41, quanquam mensem natalem inveniri non posse fateatur. Paschata in ministerio Christi quatuor numerat, ultimumque incidisse perhibet in annum æræ vulgaris vigesimum nonum, quo ipso Christus fuerit mortuus. Rationes ergo circa asserta singula ex instituto allegat, modisque omnibus sententiam suam corroborat. Altera quatuor Evangeliis est destinata, inque ista ante omnia unumquodque ei, cujus nomen præferat, tanquam genuino Auctori vindicare studet Clericus; consilium postea, quod Evangelistis fuerit propositum, explanat, ac Grotii de eo sententiam, quam epistola 33 ex iis, quæ sunt ad Gallos scriptæ, declaravit, approbat & illustrat; tandemque non multis annis post, quam Evangelia conscripta fuerint, in Ecclesiis ea Christianis legi cœpisse adstruit, ac Viro Clarissimo, Henrico Dodwello, secus hac in parte sentienti argumenta nonulla opponit.

*MATTHÆI HILLERI, GRÆCÆ ET ORIENTALIUM LINGUArum Prof. in Academia Tubingensi & Alumnorum Ducalium Ephori, Tractatus de Gemmis duodecim in Pectorali Pontificis Hebræorum. Accessit D. Epiphanii de iisdem Liber cum animadversionibus Cl. Salmasii & aliorum.*

Tubingæ, apud Jo. Conr. Reisium, 1698. plag. 15½. in 4.

QUi editis de Arcano Kethib & Keri libris, in hisce quoque Actis A. 1693. p. 425. seq. pro merito laudatis, Erudito Orbi abunde se commendavit Auctor celeberrimus, præter alia sparsim hactenus edita, præsentem de Gemmis in pectorali Sacerdotis Maximi Tractationem luci publicæ haud ita pridem commisit. Quod quidem ipsum negotium eo studio, eaque felicitate & ingenii perspicacia exequutus

tus est, ut& ipsi Viro Eruditissimo, & litteris, quas mirifice excoluit ornatque, & Studiosæ, quam format, Juventuti gratulandum hoc nomine censeamus. Tam plenum istud difficultatis opus erat, circumfusam adeo tenebris materiam pervestigare, & in tam obscurorum nominum origines inquirere, de quorum evolutione vel sapientissimus e Verpis Abenezra desperavit. Ut de Scriptorum penuria nihil dicamus, quum ex antiquis solus superet Theophrastus Eresius, Callistrato, Sotaco, Satyro, Diocle & aliis, quos magno numero laudat Plinius, dudum abolitis. Rem tamen altius pensitanti Nostro non dubia spes inveniendæ veritatis adfulsit. Quare aliquot sibi regulas constituit, queis universa Gemmarum interpretatio dirigeretur. Eas inter prima fuit: Nullas in Pectorale sacrum admittere, nisi quæ mensuram nominis implessent Hebraici.

Ubi supposuit, antiquissima hæc vocabula esse, ac pene cum rebus nata, consequenter φερώνυμα. Itaque non dubitavit Odem exponere gemmam a rubedine adpellatam: Barekath a candida fulgurum luce: Pittedam ab ingenti pretio: Sapphirum a raritate: Jahalom a contusione: Leschem a cera, favo aut scymni pelle: Schebo a vinculis vel captivitate: Achlama seu Pæderota ex eo, quod puellarum esset amor & delitiæ: Tharsis, quod candidam nivis, maris, aut marmoris referret speciem: Schoham, quod sereni cœli colorem: Jaschephe, quod nobilium tenerrima limaturis & attritionibus obnoxia existeret. Hæc vero nominum argumenta, quæ vel color eis dederat, vel pretium, vel figura, nullo negotio præcipua genera Doctissimo Viro insinuarunt. Itaque porro ex istis deprehendit Odem esse Sardium, qui sanguinis in modum rubet; Barekath referre Chrysolithum, quæ hodie Topazius Orientalis dicta summæ inter splendorem auri & argenti claritatis & fulgureæ lucis æmula. Addit Pittedam Smaragdum dici, cum Smaragdo apud Æthiopes & hodie apud Indos, nulla sit pretiosior, maxime pretium augente inusitata magnitudine. Quam Sappir Moses nominat, & S. Job aureis pulveribus adspersam tradit, eam quidem Sapphirum esse aureis punctis stellatam docet, quia hæc, & olim rarissima, in tantum superioribus temporibus exolevit, ut nuspiam reperta suspicionem doctis faceret, Cyanum aut Azureum lapidem fuisse, qui id nominis antiquitus gestasset. Porro Jahalom credit congruere in Beryllum, i. e. perforationis filium, quia non a- p. 1.
liam

liam magis perforatam geſtarunt Indi: Achlamæ vocem referre Amethyſtum, ſiquidem illa unicam puellæ, i.e. cariſſimam ſonet, hæc
p. 50. puellæ ignem, ex eodem argumento & Pæderota dictam. Leſchem ſive Topazium, quæ noſtra ætate Hyacinthus dicitur, Ceritem vel Melichrota vel Leontion Auctori deſignat, quia ſcymni, ceræ, favi, aut
p. 58. mellis ſpeciem præſentant, quæ his vocabulis cenſentur. Schebo eidem eſt Sardonyx, quia proprius ei character eſt, limitem in circuitu candidum habere, ſive candidam geſtare zonam, qua Sardia gemmæ
p. 64. ſuperficies veluti quodam vinculo capiatur. Tharſchiſch Auctori valet Jaſpidem cryſtallizantem, vel quæ nivis aut ſpumæ referat ima-
p. 8. ginem: ubi obiter Coccejum perſtrinxit, gemmam hanc pro Sardoniche habentem. In adſignando Gemmarum ſitu Flavius ob inconſtantiam notatur. *Secundum* quod indagandæ Gemmarum naturæ præmiſit, hoc eſt: quod ex earum genere eſſe debuerint, quas Græci σφραγίδας dixere, in quibus principatum habuit Jaſpis, proxima laus contributa Sardonychi & Amethyſto ob cryſtalli cognationem, & orientali Topazio ſolaribus radiis perquam ſimili. Ad ſigilla etiam idoneam judicarunt Sardam, Cyanum, Hyaloidem, Carbunculum, Sapphirum denique & Smaragdum. Satis igitur cauſſæ fuiſſe arbitratur, quamobrem a veſtibus Pontificis excluſerit Turqueſiam & Margaritum, quæ neque olim neque noſtra tempeſtate pro ſigillis fuere. Scythicum vero Ægyptiumque Smaragdum, & quem in fundamentis cœleſtis Hieroſolymæ non poſuit Joannes Theologus, Adamantem, indomita vis ac duritia inenarrabilis a ſigillorum inciſionibus præmunivit. Sero Adamantem vulnerare didicit artificum ne-
Præfat. gatæ viæ inſiſtentium ſolertia. Notat enim Ælius Everardus Vorſtius, Commentario de annulorum origine, nullum fuiſſe lapidis pretioſi genus, quod antiquis illis luxuriæ magiſtris intactum fuerit relictum, ſolo Adamante ob invictam, uti credebatur, duritiem excepto. Sed & hic quomodo vitiaretur, ætate ſua reperiſſe Mediolanenſem quendam Jacobum Treſciam, qui Philippi Hiſpaniarum Regis gentilitia inſignia Adamanti ſumma arte inſculpſerit. *Tertio* & id pro Regula habuit, non alias in Epomide gemmas admittere, quam nobiles lectaſque, quæ vel principatum in aliis tenuiſſent, vel ab optimis haud longe diſtantes, ſui ſaltem generis poſtremæ non cenſerentur.

De-

Demum & id egregie animadvertit, si quis Tribuum nomina secundum prærogativas, quas vel a generatione, vel a primogenituræ jure in alium translato diligentius componat: eam rem ad explicationem lapidum in Pectorali multum conferre posse. Igitur in eo hac serie inscripta fuisse dicit Tribuum nomina:

| I. | II. | III. |
|---|---|---|
| Jehuda | Schimeon | Reuben |
| Sardius. | Smaragdus. | Chrysolithus. |
| IV. | V. | VI. |
| Jissachar | Sebulon | Ephrajim |
| Chalcedon. | Sapphirus. | Beryllus. |
| VII. | VIII. | IX. |
| Menasseh | Benjamin | Dan |
| Topazius. | Sardonyx. | Amethystus. |
| X. | XI. | XII. |
| Gad | Ascher | Naphtali |
| Jaspis. | Hyacinthus. | Chrysoprasus. |

Sed neque id prætereundum est, quod pro ingenii perspicacia in præsenti Tractatu observavit Hillerus, insperata, ut ait, interpretandi has gemmas occasione. Extat apud Ezechielem distributio terræ promissionis, ubi Angelus eam Israelitarum Tribubus ita partitur, ut a Septemtrione ad Meridiem pergendo, primam sortem a Septemtrionibus tribuat Dani, secundam Ascheri, tertiam Naphtali, & sic deinceps, hoc ordine:

Gad. Sebulon. Issacar. Simeon. Benjamin. Juda.
Ruben. Ephrajim. Menasse. Naphtali. Aser Dan.

Si dictis, ait, Tribuum nominibus singulis adscripseris lapillum, quem iisdem in sacro Pectorali nostra interpretatione vendicavi, nascitur, ecce, illa series gemmarum, quam Apocal. XXI in Muro & Civitate cœlestis Hierosolymæ tradidit Angelus:

| I. | II. | III. | IV. | V. | VI. | VII. | VIII. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Gad. | Sebul. | Issach. | Simh. | Benjäm. | Juda. | Ruben. | Ephraim. |
| Jaspis. | Sapphir. | Chalc. | Smar. | Sardon. | Sard. | Chrysol. | Beryll. |

| IX. | X. | XI. | XII. |
|---|---|---|---|
| Menass. | Naphtali. | Aser. | Dan. |
| Topaz. | Chrysop. | Hyac. | Ameth. |

Adjectus est Epiphanii, Episcopi Cypri, ad Diodorum Tyri Episcopum περὶ τῶν ιβ' λίθων Liber, Græce & cum versione Iolæ Hierotarantini, Notisque Cl. Salmasii & aliorum. Cæterum essent & alia e laudato opere Lectori propinanda: sed malumus eundem ipsius libri lectione satiari, simulque Doctissimo Auctori vitam ac vires ad perficienda alia, quæ molitur, opera adprecamur. Habet enim, ut audimus, non pauca, ab aliis nondum animadversa: e queis unum fere speciminis loco subjiciemus. Vexatissimum locum Ps. XXII. com. 17. ita vertit: Circumdederunt me canes. Cœtus maleficorum destrinxerunt me, ut clathris perforata Falisca sunt manus meæ & pedes mei. Nempe vocem אֲרִי præsepium sonare existimat, sed illud quod clavis clathrisque in transversos contos impactis conjugatum, Faliscæ nomen antiquit9 tulit. Provocat ad derivata Hebraica, Aramæa, Arabica, & Esai. XXIX. 1. adpellari dicit Ariel Faliscam Dei, h. m. Væ Arieli, Arieli! i. e. Urbi Hierosolymorum, in qua Deo suus ignis est & focus: Urbi in qua castra metatus est David. Adjicite annum ad annum, servate solemnia mea: victimas destringant Sacerdotes, cædant, excorient atque exenterent: Tamen angustabo Arielem, urbem Hierosolymorum, in qua focus meus, eritque festi & genialis diei loco mœror & mœstitia, & erit mihi urbs, ut Ariel, ut focus, ut falisca altaris, *cancellatim reticulata*, ubi pecora Judaica ultricibus flammis consumat zelus meus.

Adjiciamus ultima Davidis II. Sam. XXIII. ex Hilleri interpretatione: 1. Hæc sunt verba Davidis novissima. Dictum Davidis, filii Isai: dictum, inquam, Viri qui constitutus superne est: Illius, qui est unctus Dei Jacobi & suavis carminibus Israelis. 2. Spiritus Domini loquutus est per me; & verbum ejus fuit in lingua mea. 3 Dixit Deus Israelis: Alloquuta me est Rupes Israelis: Dominatorem in hominibus justum, dominantem juxta timorem Dei. 4. Utique a lumine matutino exoritur Sol: mane non est nubilum, a splendore & pluvia gramen nascitur e terra. 5. Sed aliter fiet domo mea penes Deum. Fœdus enim æternum ordinatumque in rebus omnibus, atque fidum ita disposuit mihi, ut *complementum salutis desideriique mei tum futurum sit, quando Domus mea non florebit.* Viri autem nequam ut spinæ evulsæ erunt omnes; neque enim eas manu tractant. Sed qui tangere voluerit eas, ferro hastiliumque

umque ligno armatur: penitusque igni eodem vestigio concremantur.

*D. VITI RIEDLINI MEDICI AUGUSTANI LINEArum Medicarum Annus Quartus,*

Augustæ Vindel. apud Kronigerum & Hæredes Gœbelii, 1698. in 8 Alph. 3. plag. 6.

Dum Experientissimus Autor eos inter Medicos suum profitetur nomen, qui semper *Plus Ultra* pergere contendunt, in præsenti etiam Anno Quarto multa, sedulo ad nobilissimam artium Medicinam perficiendam observata, fideliter communicare pergit. Nobis nunc eandem pariter insistentibus viam, qua in Actis A. 1696. p. 474. Annum primum, & secundum atque tertium Annos superiori anno p. 192. commemoravimus, e pluribus singulorum Mensium Lineis unicam indicasse sufficiat. Modus nempe, quo noxia Mercurii, per fumum aliave ratione incautius in corpus suscepti, averti queat, in Januarii Historia V ex Aurifabri prudentioris edocetur ore, utpote qui deaurationis labore peracto, aquæ dulcis balneo per horas quasdam insederit, Mercuriumque hoc mediante elicitum aliquoties in fundo vasis viderit; quem forsan in finem a magno quodam Medico balneum etiam cura per salivationem Mercurialem finita suadeatur. In febribus quoque malignis purgantia interdum locum invenire, Observatio Februarii XVI comprobat, Mercatorem gulæ deditum sistendo, cui lene purgans, tertio febris acutæ die, etiamsi vires perquam essent prostratæ, ac præter vigilias perpetuas, doloremque cervicis per integram dorsi spinam se extendentem, æstus ingens interiora præcipue occuparet, feliciter fuit propinatum. Vires Ætitis in abortu impediendo non plane esse nullas, cumprimis si gravidæ hunc lapidem gestantis fiducia accedat, ex Martii Linea XXVIII datur intelligere, cum Matrona nobilis pluries gravida dictum demum lapidem de collo mammas inter suspendendo legitimum partus tempus attigerit, omnemque sanguinis fluxum antehac solennem præcaverit. Neque Lazuli Lapidem omni virtute destitui, Obs. XIII Aprilis, cum Mercatoris, tum Pistoris filiolæ suadet exemplo, ceu quorum illum lapis Lazuli de collo gestatus ab inveterato cervicis dolore immunem servaverit,

rit, hujus autem cum convulſionibus acriter conflictantis nudo pecto-ri impoſitus, colorem elegantem cœruleum non ſolum exuendo, ſed & per medium diſſiliendo, mortis ſubſecuturæ præbuerit indicium. Quin nec alia remedia externa ſemper contemni debere, uxoremque Mercatoris a gravi diabete ſolius unguenti Comitiſſæ regioni renum appliciti ope convaluiſſe, Maji Linea XII teſtatur: prout fonticulos ſub utroque genu inuſtos ab Arthritide præſervare, Junii Obſ. XII eo magis indigitat, quod certum in iis præſidium nonnemo ipſorum Medicorum in proprio deprehenderit corpore. Quamvis alias inter Herbæ Thee vires non poſtrema exiſtat, qua ſiccare creditur, in Julii tamen Linea XVII mentio fit Viri quadragenario majoris, qui perquam gracilis & a patre phthiſico genitus, ab uberiori decocti herbæ Thee potu multo habitiorem ac pinguiorem acquiſiverit habitum. Verbenæ inſignis vis antepileptica Obſ. X Auguſti innuitur; a foliis quippe verbenæ capiti impoſitis & naribus quoque affrictis inſultum epilepticum notabiliter compeſci, extra paroxyſmum vero ipſam herbam ſiccatam & in pulverem redactam egregie prodeſſe. Obſervatione I Septemb. tutiſſima ubertati pinguedinis ſubveniendi traditur methodus, haud in aliis conſiſtens, quam in ſucceſſiva mutatione diætæ, unde ortum ſuum traxit, ad Viri Principis exemplum, a pinguedine copioſiori, quam a nimio cibo & potu ad triginta uſque libras quotidie ingeſto contraxerat, tunc demum feliciter liberati, ubi alimenta, carnem imprimis vervecinam, olera & aquam convenientem, aſſumſiſſet parcius. Multa inter Autorum exempla, quibus & ſexus potior picæ narratur obnoxius, neutiquam illud omittendum, quod de Viro atramentum in pueritia tanto appetitu deglutiente, ut nunquam ſatiari eodem potuerit, ultima Octobris Linea exhibet. Vis denique cynosbati fructus antinephritica uti Obſerv. XX Novemb. multum confirmatur: ita & Decembr. Linea XII pulvis, quem piperis albi, viſci querni drachmæ duæ, oſſium de corde cervi, ſuccini albi præparati drachmæ duæ cum dimidia, & aſæ fœtidæ ſcrupuli duo ingrediantur, contra epilepſiam valde commendatur.

*JOHANNIS FABRICII, D. ET PROF. IN ACADEMIA Julia, Amœnitates Theologicæ,*

Helm-

Helmstadii, apud Georgium Wolfgangum Hammium, 1699. in 4. Alphab. 4. & dimid.

E Fabriciorum familia, quæ per sesqui seculum & amplius Ecclesiæ Academiæque Norimbergensium insignes serie haud interrupta Doctores dedit, ortum suum traxit Maxime Reverendus Autor, qui Parentis sui vestigiis insistens, Professoris Theologi spartam Inclyta in Academia Altdorfina per annos fere viginti ornavit, hodie vero in celeberrima Julia, quorsum A. 1696, ut in locum D. Pauli Heigelii succederet, evocatus fuit, eodem munere defungitur. Quemadmodum autem suo huic officio inter alia, ventilatis etiam frequenter Disputationibus publicis, satisfaciendum esse, nunquam non existimavit: ita istas jam a dispersione & interitu vindicandas, inque hoc volumen colligendas censuit. Nec immerito Amœnitatum Theologicarum titulum volumini huic præfixit, quandoquidem singulæ, quæ in eo continentur, Dissertationes materias pertractant jucundissimas, quæque sacris non minus atque aliis studiis incumbentes multum delectare poterunt. Prima de *Denario S. Petri agit*, ejusque non in Anglia solum, sed regnis quoque terrisve aliis solutionem memorat, inque causas etiam, propter quas Illustrissimi Principesque Viri se & sua Ecclesiæ Romanæ obtulerint, inquirit, ac denique Petri Britannicum & Romanum iter examinat. Secunda *errores pictorum contra Historiam sacram committi solitos* explodit. Tertia *prudentiam ecclesiasticam* adumbrat. Quarta *Religionis orthodoxæ ob temporale commodum mutationem licitam esse negat.* Quinta *Theologicam moderationem* describit. Sexta aliquot eorum exempla recenset, *qui in rebus Theologicis Charybdin vitaturi in Scyllam inciderint*, Tertulliani puta, Stephani Papæ, Dionysii Alexandrini, Arii, Marcelli, Joviniani, Hieronymi, Augustini, Pelagii, Fausti Rhegiensis, Eutychis, Berengarii, Amsdorfii, Flacii, Stancari. Septima *Theologiam* commendat *eclecticam.* Octava *Ecclesias domesticas* bene informandas sistit. Nona in cumulandis & explicandis *Paradoxis* quibusdam *Theologicis* occupatur, v. g. dum contendit Autor, *neminem posse Theologum fieri, nisi fiat sine Aristotele;* (utendum nempe ratus οἰκείοις Theologiæ principiis, ita ut Aristoteles & ratio contradicens tantisper quiescere

ac tacere jubeatur:) *puncta textui Hebræo esse & non esse coæva*; (esse talia per se, & quod substantiam vocalium spectet, sed non esse, quod attinet ad expressionem aut figuræ identitatem, quæ non semper in textu aperte delineata fuerint, aut eundem externum characterem perpetuo habuerint:) *Deum esse & non esse causam damnationis*; (esse, quia locum inferni pararit, quia impios inferno adjudicet, quia ipse horrendas istas, sed justissimas pœnas infligat; sed non esse ex absoluto beneplacito, aut ex influxu positivo speciali, quo voluntas damnatorum determinetur ad ea, quæ moraliter mala sunt,) & sic porro. Harum propositionum XXX jam olim Altdorfii, ac deinceps novam earum centuriam pro Disputatione inaugurali, Doctoris Theologiæ gradum ambiens, in Academia Jenensi A. 1690 exhibuit, sed nunc CCXXIV denuo adjecit; utque noviter addita a prioribus eo melius discerni possent, has singulas asterisco notavit, atque adeo in universum paradoxa CCCLIV, secundum seriem & ordinem Locorum Theologicorum exhibuit. Post Dissertationes hactenus recensitas, quatuor comparent Orationes. Prima, qua muneri suo Professorio in Academia Altdorfina A. 1678 prolusit, *utilitatem* celebrat, *quam Theologiæ studiosus capere possit ex itinere Italico.* Secunda *Altdorfinis suis valedicit.* Tertia, qua novam Theologiæ Professionem auspicatus est Helmstadii, *utilitatem itineris Germanici*, *Belgicique & Gallici Theologiæ studiosis commendat.* Quarta denique in Panegyri Promotionis Theologicæ recitata, *pietatem & prudentiam divi Julii in condendis Statutis Theologicis Academiæ suæ* extollit. Prima jam olim typis exscripta fuit, sed tres posteriores nunc demum lucem publicam aspiciunt; istam vero non minus atque has plurimis elegantioribusque notis uberius, pro eruditione sua, Autor Maxime Reverendus illustravit, imo & universo operi triplicem Indicem, unum Autorum, alterum Dictorum Scripturæ & tertium Rerum variarum subnexuit.

## *COMPENDIUM RHETORICUM, TOPOLOGIÆ CUMPRIMIS & Pathologiæ fundamenta perspicue monstrans & exemplis illustrans, concinnatum a MAGNO DANIELE OMEISIO, Professore Altorfino.*

Nori-

Norimbergæ sumtibus Wolffg. Mauritii Endteri, 1699. in 12.
Constat plag. 9.

Cum ab Inclyto Norimbergensium Senatu Rhetorices compendium in Gymnasii Norimbergæ florentis usum edere juberetur Celeb. Autor, ut imposito officio ac Superiorum voluntati exacte satisfaceret, non tantum ex Rhetorum tam antiquorum, quam juniorum optimis præcepta selectiora collegit, ordinatius disposuit, atque exemplis cum ex aliorum tum sua penu depromtis illustravit; sed inprimis insignioribus duobus defectibus, quibus pleraq; Rhetorices compendia in Gymnasiis & Scholis hodie usurpata laborent, occurrere studuit. Namq; animadvertens, in iis vel prorsus omitti, vel levi saltim brachio attingi Topologiæ ac Pathologiæ fundamenta, nec non Compendiorum ejusmodi Autores, si vel maxime de inventione argumentorum tam ex Locis communibus, quam cuique causarum generi propriis, imo & de Affectibus quæstiones aliquas proponant, eas tamen exemplis vel nullis declarent, vel strictim tantum adductis, aut ad captum juniorum minus opportunis obscurent magis quam declarent: in id sedulam impendit curam, ut Topologiæ non minus quam Pathologiæ fundamenta perspicue traderet, eaque exemplis idoneis illustraret. Et cum eum non fugeret, variationem grammaticam ac rhetoricam ad comparandam verborum notitiam multum conducere, mantissæ instar utriusque exempla quædam adjicere voluit, ut nihil eorum deesset, quæ ad concinnam artis oratoriæ epitomen requiri videbantur.

*COMPENDIUM THEOLOGIÆ DOGMATICÆ, IN SUORUM Auditorum usus conscriptum & in subsidium memoriæ tabulis instructum, a JO. ANDR. SCHMIDT. D.*

Helmstadii impensis Joh. Melch. Sustermanni, 1699, in 8.
Constat plag. 15.

QUemadmodum Celeb. Theologus, cum in Academia Jenensi Philosophiam adhuc traderet, laudabili instituto partes Philosophiæ in Compendio exhibuit: ita pari brevitate Theologiæ partes ac Historiam Ecclesiasticam proponere apud animum constituit, in præsenti libello specimen quoddam editurus. In eo autem Theologiam

Dogma-

Dogmaticam ſeu poſitivam, juxta methodi analyticæ leges ita pertractavit, ut præmiſſis quibusdam de natura & conſtitutione nec non principio Theologiæ, ad ejusdem finem, ſubjectum & cauſas progrediatur, theſes nervoſa concinnitate propoſitas elegantibus notis illuſtret, cuilibet capiti tabellam, in qua dictorum ſumma exhibetur, ſubjiciat, ac tandem in tabula quadam generali totius Compendii Theologici conſpectum cum triplici indice repræſentet. Toti opuſculo præmiſſa eſt delineatio diſcurſus proœmialis de methodo ſtudii Theologici rite inſtituendi. Hujus libelli perlectio uti nobis ſalivam movit, ita ſumme Reverendum Autorem rogamus, ut propoſitum ſuum perſequatur, atque Theologiam Polemicam, Moralem, Exegeticam, Homileticam, Hiſtoricam, Patriſticam, Hiſtoriamque Eccleſiaſticam pari ſtudio & elegantia haud dubie elaboratam, publica luce propediem donare velit.

*Pag. 269 lin. 13. pro* SE. *lege* SECV.

---

*NUntiavimus menſe Aprili nupero Triumvirorum celeberrimorum obitum. Illis quartum nunc, quem nuper extulimus, illorumque uni Fratrem adjungimus, Virum Ampliſſimum* Fridericum Benedictum Carpzovium, *Polybiſtorem Clariſſimum, die 20 Maji, cum ætatis annum quinquageſimum primum ageret, vita defunctum. A primis is Actorum noſtrorum auſpiciis ad hæc usque tempora, per octodecim hos annos, iis componendis ornandisque ſtrenuus nobiſcum operam dedit: ut lugere nos ex animo Virum, in aliis etiam de re literaria præclare meritum, cunctis facile perſuadeamus. Lugebunt præterea eundem non Ampliſſimus ſolum Urbis hujus Senatus, cujus non ignobile membrum fuit, Ædilitio munere laudabiliter functus, ſed & alii magno numero, quos beneficiis officiisque ſuis ( ut fuit Vir inſerviendi cujuscunque ordinis hominibus promptitudine nemini fortaſſe mortalium ſecundus) ſibi devinxit, aut quibuscum doctum ipſi, dum viveret, per literas interceſſit commercium. Quam fuerit librorum cupidus, Bibliotheca, quam reliquit, catalogus typis, ut opinamur, cum tempore deſcribendus, abunde teſtabitur.*

* * * * * *
* * *

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipsiæ*

*Calendis Julii, Anno M DC XCIX.*

## *DANIELIS GEORGII MORHOFII DISSERTATIONES Academicæ & Epistolicæ.*

Hamburgi, apud Godofredum Liebernickel, 1699. in 4. Alph. 4. plag. 8.

Qui toti Erudito Orbi invidendis ingenii monumentis dudum innotuit, Vir celeberrimus, D. G. Morhofius, Dissertationibus quoque Academicis, exquisitissimis iis & admodum solerter elaboratis, famam haud mediocrem assecutus est. Quamobrem ut ne forsan eæ, sparsim quippe antea vulgatæ, hominum doctorum conspectui & usibus aliquando se subducerent, in unum istas fasciculum Editor commodi publici studiosus colligere, quin & nonnullas, quæ lucem hactenus nondum aspexere, modo e forulis beati Autoris protractas, modo ab Amicis, quibuscum istas ille communicaverat, transmissas adjungere dignatus est. Sicut autem præcipuarum ex editis contenta dudum Eruditi satis perspexerunt, aliquarum etiam uberior delineatio Actis hisce nostris jam olim inserta fuit: ita vel solos earundem titulos, una cum ordine, quem Editori servare placuit, hac vice indicasse suffecerit. De *morbis & eorum remediis* prima, non tam Medicorum juscula, quam JCtorum jura morbis præscribens, agit, quam Jurium tunc & Philosophiæ studiosus Morhofius sub D. Henrici Rahnii præsidio A. 1658 Rostochii proposuit. Secunda de *Jure silentii*, pro summis in utroque Jure privilegiis & honoribus A. 1661 Franeckeræ ab ipso fuit ventilata. Tertiam de *Enthusiasmo seu furore Poetico* Dissertationem, lectionibus Autor publicis, in Claudiani de Raptu Proserpinæ libros Rostochii A. 1661 inchoatis, præmisit. Quarta & quinta *Divinitatem Principum*

confiderant, feu cultum Principum divinum & idololatricum ab Ethnicis iis tributum, una cum eorundem divinis titulis, ac Theologiam adeo Gentium politicam percenfent. Sexto loco comparet *profphonema*, quo fummos in Theologia honores celeberrimo Kortholto A. 1663 gratulatus eft. Septima Differtatio in fronte gerit titulum, *Princeps Medicus*, mirabilisque illius curationis ftrumarum & aliorum morborum a Regibus Galliæ & Angliæ inftitutæ hiftoriam, ac quicquid amplius rei vel politicæ vel phyficæ eo fpectat, deducit. Sequitur hinc octava *Defcriptio Actorum promotionis in omnibus Facultatibus Academiæ Chriftian Albertinæ, quæ Kilonii eft*, Principalibus aufpiciis & fumtibus d. 22 Januarii A. 1666 inftitutæ. Mox, quæ nona eft, *de Sole igneo* Differtatio Kilonii A. 1672 habita, & quædam de natura Solis, quantum illa per fenfus detecta eft, difputans exhibetur, eidemque decima affociatur de *metallorum tranfmutatione*, quam ad Ampliffimum Virum, Joëlem Langelottum, Sereniffimi Principis Cimbrici Archiatrum, perfcripfit. Undecima de *paradoxis fenfuum* agit. Duodecima eft celeberrimus ille *Stentor* ὑαλοκλάστης, cujus fummam ad Acta noftra A. 1683 p. 194 feq. retulimus. Decima tertia *Eloquentiam in tacendo* commendat, illam nempe oratoris prudentiam, qua id folum, quod in oratione ἐνεργητικὸν eft, exprimit, cætera vero, quæ vel circa inventionem, vel circa elocutionem πάρεργα funt aut fuperflua, ab argumento, perfonis, loco, tempore, re aliena, aut quovis modo inepta, omittit aut indicta effe cupit. Decimum quartum locum occupat de *Patavinitate Liviana* liber, a nobis itidem in Actis noftris A. 1684, p. 570 feqq. delineatus. Et quas hactenus quidem commemoravimus, differtationes Eruditorum manibus fingulæ jam diu tritæ fuerunt: nunc vero Appendix earum, quæ primum heic publicantur, fequitur. Inter eas una eft de *Quinta effentia, catholico morborum remedio*, quam Viro eruditiffimo Detlevo Crufio, Hamburgi privatam agenti vitam, amico fuo intimo, Morhofius tradidit, inque ea oftendit, quod, cum in fpiritibus noftris omne morborum genus confiftat, & ab eorum prava difpofitione, debilitate, agitatione inordinata, corporis infirmitas & ipfum naturæ fenium dependeat, nonnifi fpiritualia quoque adverfus morbos remedia adhibenda fint, feu Quintæ, ut a Philofophis dicantur, Effentiæ: quandoquidem illud demum, quod purum eft & æthereum in fpecie aliqua, aptum natum fit operari in fpiritus eorumque affectiones; impediat

pediat vero operationes illas crassa materiæ saburra, efficiatque, ut natura debilis in extrahendo puro illo sibique applicando occupata succumbat, quo sublevare labore eam artifex potuisset & debuisset. Excipit hanc epistola, qua Juvenem quendam in Academia viventem hortatur, *ut disputationem de Latinitate in Digestis*, de qua ipsi lis erat cum Professoribus, *abrumpat*. Denique accedit dissertationis de *meritis Germanorum in Rempublicam literariam* exiguum fragmentum, operisque multo majora, si per auditorum defectum licuisset, incrementa sumturi exordium, inter schedas Studiosi cujusdam, qui ex dictantis ore publice exceperat, repertum; quod vel eum in finem addere visum fuit, ut Eruditi inter Germanos, opus hoc longe utilissimum totique genti Teutonicæ maxime gloriosum, ad umbilicum haud perductum fuisse eo magis doleant. Omnibus vero his & singulis superpondii velut in locum datur *Vita Morhofii*, dudum impatienter quodammodo desiderata, cujus partem ipse Autor consignavit, reliqua vero addidit Vir quidam doctus, qui Bibliothecæ ejus forulos ac schedas fere omnes diligenter excussit. Et ex hac nonnulla nobis adhuc delibanda sunt. Natus nempe fuit Morhofius Wismariæ A. 1639 d. 6 Februarii, patremque habuit Joachimum, Judicii apud Wismarienses florentis Secretarium, virum doctum & probum, matrem vero Agnetam Hintziam. Pietatis æque ac Latinitatis fundamenta prima a Patre ejus jacta sunt, quibus posthac in schola patria, ac deinceps etiam in Lubecensi, non citra fructum majores profectus Noster inædificavit. Anno ætatis decimo septimo ad illustre pædagogium, quod est Sedini, se contulit, Johannis maxime Micrælii & Henrici Schævii fidem ac dexteritatem inibi expertus. Sub Joachimo autem Fabricio Ebræam linguam addidicit, & sub Johanne Sithmanno Juris studium, cujus initium sub Patre sumserat, continuavit; latius mox grassatus, cum anno ætatis decimo nono in Academiam Rostochiensem concessisset. Ita tum immersum se fuisse Juris studio fatetur, ut, nisi eum occasiones nonnullæ abduxissent, parum curæ in elegantiora impensurus fuisset. Triennium circiter Rostochii commoratus cum fuisset, diem suum Vir clarissimus, Andreas Tscherningius, Poetices Professor, obiit. Scripserat tunc Morhofius epicedion joculare in ciconiam, cum convivium in ædibus Decani Bodockii celebrarent novi Magistri, a quopiam interfectam. Illud non-

nullis ita placuit,ut autor ejus tacitis multorum votis ad locum vacantem designaretur; quinimo is amicorum impulsu & suo quoque ductus ingenio permoveri se passus est, ut spartam ambiret, quæ a Serenissimo Principe Güstroviensi promte ei data fuit. Honores interim a Collegio Philosophorum petiit, eosdemque a Brabeuta, Augusto Varenio, Hebræarum literarum tunc Professore, impetravit anno 1660, quo ipso & Professoriæ spartæ admotus fuit. Quandoquidem vero unum itineri annum indulgendum exceperat, iter Batavo-Anglicum ingressus est, & in Anglia imprimis inaugurationis Regiæ solennia vidit, pompamque omnem carmine encomiastico celebravit. Ex Anglia rediens, in Academia Franeckerana honores in Jure Doctorales est adeptus,indeque A. 1661 Rostochium rediit, spartam Professoriam aggressurus; qua tamen nonnisi usque ad annum 1665 functus est, quippe quo in novam Academiam Kiloniensem Serenissimus Holsatiæ Princeps, Christianus Albertus, eum evocavit, Professionemque Eloquentiæ ac Poeseos ipsi clementissime demandavit. Anno 1670 circa dies caniculares, Serenissimi Principis, Academiæ Nutritii,venia iter Batavo-Anglicum alterum instituit, & familiaritatem cum Viris doctissimis contraxit, e quibus Marquardum imprimis Gudium impense celebrat. In reditu ex Anglia præsentissimo naufragii periculo prope Brielam ereptus, salvus tum incolumisque cum rebus suis in Belgium pervenit. Ast invaluerat tamen de ejus interitu per Holsatiam fama, qua commoti amici funeralibus carminibus mortuum falso creditum prosecuti sunt. Amstelodami quoque certissimæ mortis periculo liberatus fuit. Cum enim in officina libraria Elzeviriana staret perlustrandis libris intentus, magna librorum & chartarum moles, quæ trochleis in suprema tabulata attrahebatur, in aream cecidit, adeo ut tergum ipsi librorum illa mole concuteretur, quæ si vertici incidisset, actum utique de vita fuisset. Perfecto autem ita in Belgium atque Angliam altero itinere, vitæ sociam opportune & feliciter invenit in Margaretha, Casparis de Degingk, Senatoris tum & postea Consulis Reipublicæ Lubecensis, filia, A. 1671 ipsi solenniter juncta, e qua filios suscepit quatuor, quorum duo in pueritia mortalitatem expleverunt,duo vero studiis & vestigiis paternis inhærent. Neque vero conjuge ita auctus Morhofius in literis quicquam remisit, sed tum legendo ac meditando,tum docendo & scribendo non minus

fuit

fuit occupatus. Et lectionum quidem ab eo in Academia Kiloniensi privatim publiceque habitarum non minus, ac scriptorum ab ipso in lucem editorum, catalogum Vir doctissimus, qui vitam hanc composuit, annectit, qui & rationem omnem, quam in Polyhistore suo Autor tenere constituerit, exponit, ac de Morhofii scriptis quoque affectis commentatur. Sed ut ad vitam ab eo bene laudabiliterque transactam redeamus, post primam, quam diximus, Professionem novam ille Historiarum A. 1673 nactus est. Bibliothecæ Academicæ post Samuelem Rachelium præfuit ab anno circiter 1680, eandemque multis bonis libris auxit. Ad vitæ exitum quod attinet, non mors solum conjugis suavissimæ A. 1687 ejus animum graviter afflixit, sed pertinax quoque literarum studium inde a prima juventute frequentatum usque adeo corpus A. 1690 fregerat, ut ille ipse annus ei fatalis fore videretur. Erat tamen sanitatis pristinæ spes in Pyrmontanis acidulis, ad quas sequenti anno profectus est, sed eo cum effectu, ut multo, quam ante, infirmior hinc redierit, Lubecamque properans, in domo socrus suæ d. 30 Julii A. 1691 obierit, ex doctissimorum Virorum morbo, cachexia puta totius corporis, ætatis anni quinquagesimi tertii mense sexto exeunte. Sicut autem vivus in magna apud omnes existimatione fuit Morhofius, ita moriens quoque ingens sui desiderium post se reliquit. Utrumque inter alia ex istis elogiis, quibus eum vivum cumularunt, & ex epicediis, quibus mortuum ornarunt Eruditissimi quique, & quorum magnus numerus huic ejus Vitæ subjunctus cernitur, invicte colligas.

## ISTORIA DELLE GUERRE DEL REGNO DEL BRASILE &c.

h. e.

*HISTORIA BELLORUM IN REGNO BRASILIÆ INTER Regem Portugalliæ & Rempublicam Hollandicam gestorum, Auctore JOH: JOSEPHO A S. TERESIA, Carmelita Discalceato:*

Romæ ex typographia heredum Corbelletti, 1698, in fol. Constat 5 Alph. & 9 plagulis, nec non, præter figuras alias, tabulis Geographicis & Topographicis elegantissimis 23.

ADmodum Reverendus atque Clarissimus Autor, qui scribendis alias rebus Theologicis vacavit, cum otio abundaret, ut ipse profitetur, ad hanc Historiam componendam accessit. Equidem jam ante ipsum in hoc argumento versatus fuerat doctissimus *Caspar Barlæus*; sed is tamen non nisi partem Historiæ exhibuit, res scilicet per octennium in Brasilia sub Mauritii Comitis Nassoviæ præfectura gestas; ast Autor plenius eandem sistit, omnia Lusitanorum fata in illo Regno, præsertim quoad Batavos, prolixe persecutus. In præfatione asserit, nihil se in medium protulisse, nisi quod diligenter contulerit cum relationibus eorum, qui gestis interfuerint, aut exactissime saltem ex fide dignis monumentis res gestas descripserint. Tabulas quoque Geographicas totius Regni Brasiliæ exhibet, ad illarum formam concinnatas, quæ in Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Petri Ottoboni reperiuntur. Ipsum de cætero librum in duas partes divisit; quarum utraque septem libris absolvitur. Et in primo quidem libro partis prioris, ut lectorem eo melius in notitiam propositæ historiæ introducat, occasionem describit, qua detecta fuerit olim Brasilia. Misisse videlicet anno 1500 Regem Portugalliæ Emanuelem, cognomine Felicem, ad explorandas Indiæ provincias, classem ductu Archithalassi Petri Alvares Cabral, qui tempestate jactatus pervenerit ad regionem incognitam, quam, quod incideret tertius Maji dies, inventioni sanctæ Crucis dicatus, terram S. Crucis dixerit, postea Brasiliam appellatam a ligno, quo abundat, pannis tingendis aptissimo. Interjecto tempore missum a Rege Americum Vesputium, celebrem Cosmographum, a quo totus ille terrarum tractus Americæ nomen acceperit. Profectum postea eo jussu regio Gonzalum, qui varios portus novos detexerit. Mortuo interim Rege Emanuele, cui summa tribuuntur elogia, ejus successorem Johannem III novam classem, ductu Christophori Giaques in Brasiliam misisse; quem Petrus de Sousa, & Martinus Alphonsus de Sousa, fuerint secuti. Subjungit deinde Autor Brasiliæ prolixam descriptionem Geographicam, & miram ejus fertilitatem deprædicat. Barbariem etiam veterum incolarum perstringit; inque eorum linguis, quæ supra centum sint, id dignum notatu cum Barlæo advertit, quod in omnibus desint literæ F, L, R, non sine omine, quod sine *Fide*, *Lege* & *Rege* vixerint. Descendit porro ad Sebastiani, qui post Johannis III mortem regno Portugalliæ præfuit,

fuit, adversam in Africa fortunam recensendam; cujus successore Henrico Cardinali defuncto, quæ fuerint variorum Principum prætensiones in Regnum Lusitanicum, memorat, nullamque justiorem, quam Ducum Bragantiæ, fuisse ostendit. Expugnatum tamen Regnum a Rege Catholico Philippo II, opera Ducis Albani, inque victoriæ præmium, præter Lusitaniam, Brasiliam quoque cessisse. Post obitum Philippi II, abalienatos multum ab Hispanis Lusitanorum animos, ob exigua valde suæ in ipsos propensionis signa, quæ ediderit successor ejus Philippus III; neque mitius fuisse sub ejus filio Philippo IV imperium, utique postquam is rerum summam commisisset Comiti Olivariensi, vi atq impetu pleraq; agere assueto. Interim postquam bellum inter Hispanos Batavosque, finitis induciis, recruduisset, Batavos a Principe Auriaco excitatos, occasionem Brasiliam invadendi, stabilita, Societate Occidentali cepisse, ejusque metropolin Bahiam expugnasse. A. 1626.
Recuperatam tamen eandē sequenti anno ab Hispanis, duplici classe, Lusitanica nempe ac Hispana, missa, cum serum nimis fuisset auxilium, quod ad eam obsidione liberandam Batavi miserant. Classem postmodum Regiam domum redeuntem, cum effugere Anglorum ipsi imminentium conspectum vellet, vi tempestatis fuisse disjectam, atque ita misere afflictam, ut paucissimæ naves salvæ ad portum venerint. Tentasse interim classem Hollandicam ingressum in varios Brasiliæ portus, sed irrito successu; eoque rediisse eam, amisso præfecto, in Hollandiam. Hinc perculsos Batavos abnuisse novis sumptibus denuo lacessere fortunam, quam semel adeo sibi in illa parte terrarum adversam experti erant; animos tamen ipsis a Principe Arausionensi additos, persuasumque variis rationibus, ut existimarent, propter solum hunc fortunæ ictum a proposito desistendum haud esse. Itaque ex eo ipsos tempore denuo variis modis afflixisse Lusitanos, recollectisque viribus, maxime capta aurifera classe ex India in A. 1627.
Hispaniam tendente, instaurasse Societatem Occidentalem, novamque classem ad subjugandam provinciam Pernambucensem misisse; neque tamen tam ipsorum viribus, quam per nimiam Hispanorum in illa defendenda negligentiam, factum, ut brevi tempore munitissimas urbes *Olindam* atque *Recissam* sub potestatem redegerint, variaque si- A. 1630.
bi castella extruxerint. His tam prosperis initiis adhuc magis animatos ipsos, insulam Tamaricam invasisse. Dimicatum postea mari ab

utra-

utraque parte acerrime, varioque successu multa utrinque tentata. Neque ita multo post novas ex Belgio advenisse copias; Lusitanis au-
A. 1634. xilio & sumptibus destitutis. Obsedisse itaque Batavos Paraybam, neq; inde abstractos a Lusitanis esse, vano ab his impetu in urbem Reciffam facto; neque sic tamen Hispaniam profundo veluti sopore oppressam evigilasse. Itaque Batavos brevi, præter munita quædam castella alia, Paraybam expugnasse, ut & Nazaretũ, quamvis, qui in hujus præsidio erant constituti milites, miræ in eo defendendo constantiæ & fortitudinis exemplum edidissent. In sequenti libro refert Autor, novo cum Gallis bello Hispaniam involutam, consiliis Comitis Olivariensis. Conquestum quidem apud eum Regem de jactura tot in Brasilia locorum; sed callidissima ratione mitigatum rursus, omni culpa in Albuquerquium translata. Huic proinde abrogatum imperium, delatumque Friderico de Toledo; qui tamen rerum gerendarum prudentissimus Dux, quod videret minus suppeditari, quæ ad tam grave bellum necessaria erant, id recusaverit, eam ob causam carceri inclusus ac in eo vita defunctus. Oblatum postea idem munus Marchioni de Velada, id declinare non auso; præmissum tamen, qui vicibus ejus fungeretur, Borgiam, paulo post in prælio contra Batavos extinctum, eique successorem datum Comitem de Bagnuolo. Batavos inte-
A. 1636. rim novas copias duce Mauritio Comite Nassoviensi in Brasiliam misisse, qui summo animi robore & alacritate congressus acie cum Bagnuolo, victoriam ad ultimum reportaverit, postquam Bagnuolus cum æterna nominis sui labe fugam turpiter capessivisset. Arcem Portus Calvi deinde a Belgis expugnatam, & quibuslibet liberam potestatem in Brasiliam navigandi, Mauritio suadente, a Fœderatis Provinciis factam. Latius hunc postmodum circumtulisse victricia arma, ejusque clementia invitatos Siaræ populos sponte se dedidisse, atque adversus Lusitanos obtulisse auxilia: Minam, validissimam in Africæ littoribus arcem, occupatam: Bahiam obsidione cinctam, sed paulo post desertam, indignante Mauritio, qui postea urbem ædificarit a suo nomine Mauritiopolin dictam. In sequentibus usque ad finem partis primæ, Autor varias Comitis Olivariensis in Lusitanos machinationes recenset, quibus insidiatus eorum libertati & privilegiis fuerit; eoque rigore exasperatos Portugallos, consilium de excutiendo penitus jugo Hispanorum cepisse. Hoc quomodo processerit,

in

in lib. I. partis ſecundæ oſtendit. Conſenſiſſe videlicet Ducem Bragantiæ Johannem, ab uxore ſua exſtimulatum, in ſui electionem: conſtitutum propoſito exequendo diem primum menſis Decembris, ejuſque horam decimam ſextam: hac audita Proceres Regni congregatos in arcem Oliſipponenſem irrupiſſe, pulſisq; excubiatoribus, & diffracta janua conclavis, in quo morabatur Secretarius Status Vaſconzellus, hunc in arca, in quam ſe abdiderat, primum ictu globulorum occiſum, deinde de proxima feneſtra præcipitatum, miſerrimeque a plebe dilaceratum fuiſſe: hoc facto, fauſta omnium acclamatione Regem Luſitaniæ pronunciatum Johannem IV Ducem Bragantiæ. Ab hoc 1641.
Legatos ad præcipuas Europæ Aulas miſſos, ut legitimum ipſius in regnum jus demonſtrarent: acceſſiſſe ad partes Regem Galliæ: abnuiſſe Batavos reſtituere regiones vi Luſitanis in America ereptas; induciiſque ea conditione callide initis, ut annuum ad eas in America publicandas ſpatium relinqueretur, interim latius in Braſilia graſſatos, ingenſque damnum intuliſſe Luſitanis: expugnatas urbes Seregippam & Sancti Ludovici: occupatam etiam, facta in Æthiopiam expeditione, a Comite Mauritio Loandam Regni Angolæ caput, & Inſulam Sancti Thomæ. Cœptum inde Hiſpanos inter & Portugallos bellum; 1642.
miſſumque denuo Legatum a Rege Portugalliæ ad Batavos, ſed irrito ſucceſſu, acriter quippe bellum proſecutos in America contra Luſitanos, qui feliciter interim adverſus Regem Hiſpaniæ in Caſtilia & Gallicia pugnarint. Accidiſſe poſtea, ut Batavi, cum Principis Auriaci potentiam ſuſpectam haberent eamq; ſenſim enervatam cuperent, conſilium ceperint de Mauritio ejus cognato ex Braſilia revocando; neque id difficile fuiſſe, acciſis ipſi ſtipendiis militaribus, cum eadem auctum iri, ob virtutem ſuam & res feliciter geſtas, ſperare poſſet. Ubi Autor a Barlæo diſſentit, qui Fœderatos Ordines invitos vacationem a Braſilienſi Præfectura, aliquoties a Comite poſtulatam, ipſi dediſſe memorat, neque aliam ob cauſam in dimiſſionem conſenſiſſe, quam ne ſiſterent vota ad majora enitentis animi. Exponit deinceps Autor cru- 1643. & 1644.
delitatem, quam adhibuerint in Braſilia Batavi; unde incolæ Maragnanæ provinciæ, excitato tumultu, ipſos armis adorti, proſperoque ſucceſſu uſi, tota inſula eos pepulerint, Luſitani etiam provinciam Siarenſem recuperarint. Exponit in ſequentibus Autor ſeditionem novaſque turbas in Braſilia contra Batavos ortas, duce Vieira, qui fru-

ſtra implorato Luſitaniæ Regis auxilio, ſuo nomine bellum indixerit Hollandis, ingenio, fortitudine, denique fortuna adjutus, ut qui victor e gravi prælio, cum Henrico Huſſio commiſſo, magna cum gloria
1645. diſceſſerit. Eo ſucceſſu animatum Gubernatorem Bahiæ, auxiſſe rebellium partes, duce Vidalio cum ſuppetiis miſſo. Et tentata quidem nonnulla feliciter, ac expugnata caſtella quædam; Paraybam vero fruſtra obſeſſam, & irrito conatu impetum in inſulam Tamaracam factum. Neque enim Regem Luſitaniæ auxilia a Vieira efflagitata miſiſſe, ne irritati Batavi pacem in Europa abrumperent; quin decreviſſe potius, provinciam Pernambucenſem ipſis relinquere, ut in Eu-
1646. ropa non adverſantes haberet. Miſiſſe igitur ipſum mandata in Americam, quibus injunctum fuerit Vieiræ, ut continuo arma deponeret, atque a Batavis perſequendis deſiſteret: ſed non paſſum hunc ſiſti medium victoriarum ſuarum curſum, juſſa noluiſſe exequi, inſtauratoque bello inſulam Tamaracam denuo adortum eſſe, ferroque & flammis devaſtaſſe. Laudatur hic ejusdem Vieiræ prudentia, quam oſtenderit parcendo, tempore ita ferente, perfidis nonnullis, qui in ipſius vitam conſpiraverant, contentus privata oratione ipſis exprobraſſe perfidiam. Sed & temeritatem ejusdem reprehendit Autor, ut ut non infelicem, qua uſus fuerit in Batavos, cum in eos, quaſi oblitus ſui, neglectis tormentorum continuis ictibus, magno furore cum ſuis militibus incurriſſet. Commemorat deinde idem, Regem Por-
A. 1647. tugalliæ omnem moviſſe lapidem, ut Monaſterienſi pace, quæ tum agitabatur, ipſe quoque comprehenderetur; ſed obſtitiſſe Philippum Hiſpaniæ Regem, qui tandem poſt octoginta annorum bellum, pacem ſanxerit cum Fœderato Belgio, idque pro ſuprema & independente Republica agnoverit. Decreviſſe inter hæc Fœderatos Ordines contra Luſitanos in Braſilia bellum, eoque fine ingentem claſſem comparaſſe; quæ tamen quo minus vela faceret, impeditum a Legato Regis Portugalliæ. Obſeſſam poſtea a Batavis, Sigiſmundo duce, urbem Bahiam, etſi irrito ad extremum conatu. Regem Luſitaniæ, audito periculo urbis, miſiſſe claſſem, quæ ſuppetias ei ferret, duce Comite de Villapoca; diſſimulaſſe tamen eundem, quantum potuerit, ſua conſilia, ut quam diu liceret, ſaltem in Europa illæſam ſervaret cum Hollandis pacem. Referuntur inde breviter virtutes & fata Odoardi Principis Bragantiæ: fuiſſe eum nempe manu ſtrenuum, heroicæ

indo-

indolis & invictæ virtutis juvenem Principem; meruisse diu stipendia in bello Cæsareo contra Gustavum Adolphum Sueciæ Regem; sed, occupato ab ipsius fratre Johanne IV Portugalliæ Regno, carceri jussu Cæsaris mancipatum, in quo, octennio exacto, fuerit mortuus, in 1648.
medio ætatis suæ flore. Ab hac digressione redit ad propositum Autor, & res vario eventu in Brasilia gestas enarrat. Memorat porro, missum a Rege Lusitaniæ Salvatorem Corream de Saa in Regnum Angolæ, ad stabilienda commercia jam longo tempore intermissa: exposuisse hunc copias suas ad urbem Loandam, miraque felicitate ex toto illo regno pepulisse Hollandos. Inde factum, ut, ne in Europa ipsorum indignatio in bellum erumperet, denuo consilium de relinquenda eis provincia Pernambucensi Rex ceperit; sed impeditum ejus effe- 1649.
ctum a Legato De Sousa Hagæ Comitis commorante, maxima cum utilitate Regis. Et hujus Lusitani Legati mira prudentia & subactum ingenium summis laudibus ab Autore extollitur; qui & solus inter Legatos ausus sit cum omni familia sua adesse coronationi Principis Walliæ, quæ Hagæ Comitis facta, post nuncium de cæde patris ipsius Caroli I Magnæ Britanniæ Regis acceptum. Memorat deinde idem in Portugallia quoque, ad imitationem Hollandicæ, Societatem quandam generalem, Regni Brasiliensis recuperandi causa institutam, con- 1650.
ductamque ab ea classem in Americam navigasse. In libro postremo refert, denegasse Regem iterato licet flagitatum a rebellibus in 1651.
Brasilia auxilium, ut ne ullis indiciis hostilem aliquem in Hollandos animum proderet. Inde diu deliberatum a Fœderatis Ordinibus, utrum bellum ei denuntiandum esset, nec ne; in diversas partes provinciis, Hollandia & Zelandia præcipue, abeuntibus; vicisse tamen illius sententiam, quietem, quantum fieri posset, conservari debere suadentem. Conflatum vero postea bellum inter Belgas & Anglos, so- 1652.
licite idem fovente Rege Portugalliæ. Neglectam itaque a Belgis 1653.
Brasiliam; unde post diuturnam, eamque acerrimam obsidionem, Mauritiopolis tandem a Vieira fuerit expugnata, plur esque regiones & loca alia subinde occupata; donec paulatim tota Brasilia sub 1954.
potestatem felicissimi Regis Lusitaniæ Johannis IV redierit. Mortuum hunc non ita multo post, relicto successore Alphonso, cui postea abrogato imperio, utpote ad id gerendum haud quaquam idoneo, solium omnium votis & applausu Petrus ejusdem frater conscenderit,

regnumque, inita cum Rege Catholico pace, hodienum magna cum gloria gubernet.

*VITA D. MARTINI LUTHERI, ET SUCCESSUUM EVANGElicæ Reformationis Jubilæorumque Evangelicorum Historia, Nummis CXLV atque Iconibus aliquot rarissimis illustrata, studio M. CHRISTIANI JUNCKER.*

Francof. & Lipsiæ, apud Georg. Andr. Endterum, 1699. in 8.
Alph. 1. plag. 11. cum tab. æn. 5.

QUicquid demum aliqui de studio rei nummariæ sentiant, certum est tamen, etiam pridem ostensum ab excellentibus Viris, insignem ejus usum in omni sacra profanaque doctrina esse. Recenti admodum & singulari exemplo hanc rei nummariæ, in historia etiam ecclesiastica, utilitatem demonstrare conatus est hujus de Vita Lutheri Commentarii Auctor Clarissimus, Gymnasii Saxo Hennebergici, quod Schleusingæ est, Con-Rector, in quo quippe non illustravit modo præcipua rerum a Luthero gestarum capita, sed & historiam Reformationis Evangelicæ Jubilæorumque, quæ vocant, omnem, ad nostra usque tempora, monumentis Nummorum quamplurimis, non sine ingenti, quod facile patet, sollicitudine conquisitis, convenientique ordine ita dispositis, ut nihil sit, quod turbare aut offendere Lectorem possit; cui arbitramur non injucundum fore, siquidem contueri velit aurum hoc argentumq;, honoribus æternis Martini Lutheri dicatum, superiori ac nostro hoc seculo. Neque vero vulgo nota sectatus est ubivis Auctor, sed quæcunque ex variis passim cimeliothecis investigare potuit, collegit studio peculiari, curioseque annotavit, quæ ad paucorum notitiam solent alias pervenire. Nos igitur præcipua quædam ex his seligemus, dum omnia non licet, ne voluptatem ex ipsa lectione libri plenius fortassis hauriendam occupemus.

In *Præfatione* tum occasio scripti, tum & illi recensentur, qui de vita Lutheri sunt commentati, ac refutantur nugæ Galli cujusdam a-
§. 17. nonymi, qui in libello, *Nouveaux Dialogues des Morts*, multa ineptissime de Luthero differuerit; ac ne quis induci se patiatur forte, ut credat, fictos esse ab Auctore Nummos aliquos, ideo indicantur eorum nomina,

na,quorum benevolentiæ,quicquid attulit,se debere fatetur; addito simul totius tractationis *Conspectu*,quam paragraphis centum omnino absolvit.

Quemadmodum vero Auctor annum,quo natus est Lutherus,ex
Nummis illustrat, ita Parentum ejus icones ex pictura rarissima repræ- p. 2.
sentat, notatque acerbe dictum Adriani Bailleti, cui Lutherus
*Patriarcha Islebiensis* audit; & disserit deinceps de Johannis Hussi va- p. 5.
ticinio exNummis non paucis,quos sibi gaudet obvenisse,eosque inter p. 32-43.
ex locupletissimo nummophylacio Arnstadiensi Celsissimi Comitis 407.
Schwarzburgici, *Dn. ANTONII GUNTHERI*, unum, quem *Bizot* o- p. 33. 39. 41.
mnium primum esse inter modernos testatur, quique exhibet iconem T.IV. no.9.
Hussi pileo tecti, cum perigraphe: CREDO. VNAM. ESSE.
SCAN.(Sanctam)CATHO. ECCLE. JOAN. HUS. inq; pagina aversa
Hussum rogo alligatum, addita circumscriptione: CENTUM RE-
VOLU. ANIS. DEO. REDD. (Reddetis;) ROEM. (Rationem)ET.
MICHI. CON. NAT. (Condemnato) 1415. De *Salvo Conductu* Lu- p.50. 413.
thero Wormatiam eunti dato observat, quod ejus autographon extet 226. 227.
Regiomonti in Wallenrodiana, unum vero *Literarum Citatoriarum*
perinde exemplar autographum in instructissima Amplissimi Senatus
Lipsiensis Bibliotheca. Imaginem porro Lutheri spectandam dat ha- p. 48.
bitu exornati monachali;tum & militari,cum reversus esset ex Pathmo p. 57.
sua Wittebergam; & comprobat ex Nummis pietatem Friderici III p. 66.
Saxoniæ Electoris, amoremque erga Divini verbi puritatem Lutheri
ministerio restitutam, dum ipsum declaravit & symbolo suo: *Verbum Domini Manet In Æternum*, & inscriptione quorundam Num-
morum: CCNS. *Crux Christi Nostra Salus*, lacessita postmodum a p. 69.
Jacobo Gretsero. Inde docet ex Maximiliani Misson Itinerario,quod p.757.
petitus Wormatiæ fuisse Lutherus poculo vini veneno mixti pleno
credatur; & simul Confessionis Evangelicæ,in Augusta Vindelico-
rum Urbe traditæ Cæsari Carolo V,historiam nummo gemino expli- p.86-91.420
cat, quorum ille sane ubivis obvius non est, in quo conspiciuntur duæ 468.
icones, additis verbis: JOAN. PAT. ET. JOAN. FRID. F. EVAN- p. 468.
GE. CONFESS. INVICTISS. 1530; in pagina altera Cæsar throno
insidens, coram quo stant quatuor viri, pone quos scutum est,cum numeris 32, post thronum vero hæ litteræ OE, & hæc circumscriptio:
ET. LOQUEBATUR. SERMONEM. DEI. CV̄. FIDUCIA, ACTOR. 4.

p. 103. Hinc laudibus meritis, ipſius etiam *Pauli Beſnier* Ieſuitæ Galli, & *Joſephi Scaligeri* teſtimonio confirmatis, verſionem Bibliorum Lutheri Germanicam effert, ſimul de ejusdem editione prima diſquirens,
p. 104. 105.
p. 116. atque memoriam Philippi Melanchthonis, Eraſmi Roterodami, Hulderici Zwinglii, Friderici Myconii, Martini Buceri, & Johannis Calvini, nummis elegantiſſimis concelebrans; ubi etiam ſymbola horum
p. 118. aliorumque ævo Lutheri excellentium virorum recenſet, & allegat
p. 125. unam Philippi Melanchthonis ad Ulricum Mordiſium, aliamque
p. 128. Georgii Fabricii ad M. Petrum Glaſerum epiſtolam nondum antehac editam, multaque præterea de ſingulis his Viris, quæ paucis perſuademur eſſe nota, e. g. de inſignibus Philippi Melanchthonis, de Num-
p. 130.
p. 135. mo maximi moduli Eraſmi Rotorodami, cui imago Dei Termini, cum vocibus, CONCEDO NULLI, & perigraphe Græca, ΟΡΑ ΤΕΛΟΣ ΜΑΚΡΟΥ ΒΙΟΥ. MORS ULTIMA LINEA RERUM; atque in altera parte Eraſmi icon eſt inſculpta, cum hac circumſcriptione, ΤΗΝ ΚΡΕΙΤΤΩ ΤΑ ΣΥΓΓΡΑΜΜΑΤΑ ΔΕΙΚΕΙ. Neque prætcrit e-
p. 145. tiam Auctor Miſniæ Marchionatus Reformationem, ſed ex Nummo
p. 160. eam illuſtrat duplici, & injicit dehinc mentionem teſtamenti Lutheri, cujus autographon nunc adſervari apud Summe Reverendum Dn. D. *Samuelem Benedictum Carpzovium*, Aulæ Electoralis Saxonicæ Supremum Concionatorem & Conſiliarium Eccleſiaſticum, affirmat, ex eo παϱόϱαμα quorundam emendans, qui exaratum illud fuiſſe dixerant die *Euphemiæ*, id eſt XVI Septembris, cum tamen in illo legatur die *Epiphaniæ*.

p. 173. Et poſtquam denique mortem quoque Lutheri ex nummis de-
p. 183. ſcripſiſſet, jam pergit de *ſymbolo* ejus, quod cor erat roſæ impoſitum ac cruce exornatum, prolixe diſſerere, deque ejus porro moribus ſtudi-
p. 187. iſque peculiaribus, quæ inter eſt, quod tornatoriæ, muſices & poeticæ artis fuerit peritus, & cantionibus ſacris ipſe fiſtula uſus applicuerit
p. 190. modulos. Tum refellit adverſariorum de poculo Lutheri cateche-
p. 192. 220. tico commenta, & matrimonium cum *Catharina de Bobra*, cujus ico-
p. 195. nem exhibet, vindicat, Epithalamium una inſerens aculeorum pleniſſi-
p. 202. mum, quo Emſerus Lutheri nuptias erat proſequutus. Hinc ſobolem
p. 203. ejus enumerat, exq; nummis & pictura *Paulum*, Auguſti Electoris Sax.
p. 210. Archiatrum, & *Magdalenam*, repræſentat; poſtea, quicquid monumen-
p. 212. torum de Luthero reliquum adhuc paſſim eſt, & in veneratione non ſu-

per-

perſtitioſa, curioſe commemorans; quæ inter ſunt cumprimis variæ p.214. 218.
ejus effigies, domus, cellula, cubiculum, monumentum ſepulchrale, an- 445.
nulus, poculum, vitrum, quod Juſto Jonæ donavit, cum libris, aliiſque p. 217.
ſcriptis in Bibliotheca manuali Sereniſſimi Brunſuic. & Lunæb. Ducis p. 220.
DN. RUDOLPHI AUGUSTI, (cujus Serenitati etiam Auctor hoc ſu- p. 224.
um opuſculum humillime dedicavit) adſervatis, Bibliorumque MSS.
fragmentis, ſalvo conductu, epiſtolis MSS. aliiſque.

Quibus adeo ad Vitam Lutheri proprie pertinentibus expoſitis, ut ſibi ad Hiſtoriam Jubilæorum Evangelicorum commodam ſterneret viam, nunc ea perſequitur Auctor, ducentibus ipſum Nummis, quæ in bello, quod Joh. Fridericus & Mauritius Saxoniæ Electores adverſus Carolum V geſſere, acta ſunt; ex quibus videlicet Pax Paſſavienſis profluxit, & quædam adhuc alia Proteſtantium res concernentia. Hos inter nummos eminet non argenteus modo, ſed & aureus, in quo extant Angeli duo ſertum rutaceum tenentes, cum hac epigraphe: NON. VIDI. IUStum. DERELIctū. NEC. SEMen. EIUS. QUERERe. PAnem; in priori vero pagina inſignia Ducum Saxoniæ cum his in margine verbis: D. G JOH. FRIDericus. SECundus. DUX. SAXoniæ. LANdgravius. THURingiæ. Et. Marchio. MIſniæ; quo teſtari voluit pius quidem at infelix Princeps, qua ſpe in calamitate duriſſima erigatur. Cumque mox prodiiſſet aliquorum aſtutia liber *Interim* dictus circa hæc tempora, de hoc etiam ex Nummis, quorum pars ab *Amsdorſio* fuit cudi in adverſarios juſſa, inſtituitur narratio; indeque de *Formula Concordiæ* ab Auguſto Electore Sax. conſtituta, ac de *Nicolao Crellio*, turbarum ingentium face, deque *Godofredo Rabo*, converſo ad puriorem doctrinam Sacerdote Pontificio, ex Nummis traditur. Atque ita fit progreſſus ad *Jubilæum Evangelicæ Reformationis primum*, quod pro dignitate velut precibus univerſa Eccleſia, ita ſpeciatim Nummis celebrari curarunt, cum Electore Saxoniæ Joh Georgio I, Dux Pomeraniæ Philippus II, atque inter urbes Germaniæ liberas Norimberga præſertim, Francofurtum, Spira, Argentoratum, Wormatia, Ulma; & inter privatos egregius ſui temporis artifex C. Mahler. Quorum omnium Nummi longa & ſcita ſerie dantur ſpectandi, explicanturque. Jungitur autem his unus, quem *Adam Conzen* e Soc. Jeſu invenit fortasſis ipſe, certe commentario integro expoſuit, non ſane quidem ut honoraret Reformationis memoriam, ſed ut animo ſuo in-

[Marginal notes: p. 230. — p. 254. — T.XV.p.236 T.XIV. no. 45. 6. — p. 243. 234. — p. 245. 252. 248. — p. 266. 275. 277. — 284. — 320.]

dul-

dulgeret. Ejus autem hæc facies est. Una parte Sol apparet, quem circa legitur: CONSTANS ECCLESIÆ ANTIQUITAS. MILLE ET SEXCENTIS MICAT INVARIABILIS ANNIS. cIↄIↄcXVII: altera ostendit Lunam, cum hac perigraphe: INCONSTANS HÆRESEON NOVITAS. MILLE ET SEXCENTAS FACIES CENTUM INDUIT ANNIS.

325. Hos excipiunt multi in *Jubilæo Augustanæ Confessionis* cusi
345. Nummi, etsi in tempora illud inciderat admodum tristia, bello quippe petitis Protestantibus; cujus tamen finis extitit tandem anno 1648 & 1650, Pace Westphalica & Transactione Norimbergensi, quod ipsi etiam Nummi testantur; quarum utraque Religioni Evangelicæ data
373. quies fuit, utinam nunquam posthinc turbanda. Horum Numismatum occasione observat Auctor, quod urbs Norimberga, inde usque a belli tricennalis initiis, vota pro pace chronostichis inclusa aureis suis
376. impresserit; quodque deinceps & Joh. Georgius I Elector Sax. (cujus
379. felicitatem eventus plane singulares designarunt) & Wilhelmus
385. Dux Saxo-Vinariensis, *Transactionis Passaviensis*, sed *Formulæ Concor-*
388. *diæ Jubilæum* Augustus Dux Saxoniæ, Administrator Archiepiscopatus
392. Magdeburgici, Nummis egregiis celebrarint; quod in Suecia quoque a gloriosissimæ recordationis Rege Carolo XI anno 1693 factum esse, cum is coleret per provincias suas *Seculum Reformatæ Sueciæ*, ex Nummo probat.

p. 401. In *Accessionibus*, quas Commentationi suæ junxit Auctor, plures non modo Nummos Supplementi vicem sustinentes exhibet, indicatis quibus illi inseri debeant locis, sed & ex Bibliotheca Ducali Gothana non pauca collegit inservientia scopo suo, & cognitu plane digna; atque simul varia adjecit, quæ lucem adferunt ante dictis, quæque legi malunt & inspici, cum fructu eorum, qui his elegantiorum litterarum deliciis capiuntur, quam a nobis prolixe hoc loco recenseri.

### *ANECDOTA, QUÆ EX AMBROSIANÆ BIBLIOTHECÆ codicibus nunc primum eruit, Notis ac Disquisitionibus auget LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS. Tomus secundus.*

Medio-

Mediolani, apud Josephum Pandulfum Malatestam, 1698. 4.
Alphab. 2.

APud quos primo ἀνεκδότων Tomo superiori anno 1697 edito, & a nobis in Actis sequentis anni sub initium Februarii recensito, gratiam haud mediocrem iniit Doctissimus Muratorius: apud eos laude sua neque nunc fraudatum sese deprehendet, ubi alterum superaddidit, monumentis utilissimis, & quae prioribus palmam reddere dubiam propemodum existimaveris, refertum. Agmen ducit *Fides Bachiarii* (cujus & patriam, & vitae tempus, & dignitatem munerum ignorare se haud diffitetur Noster, quamvis istam minime habeat pro Britannia, ut quidam velint, & hoc ad seculi quarti finem sequentisve initium fortasse referendum judicet, quod vero hanc concernit, Monachorum instituta sequutum fuisse conjiciat, maximopere interim subdubitans, an ex eo, quod Pontificem Romanum vocarit Fratrem Beatissimum, Episcopali eum infula ornatum fuisse, liceat colligere,) seu apologia, consilium, quo peregrinatione instituta patriae se suae eripuit Bachiarius, ut doctior exin sacraeque religioni addictior evaderet, adversus obtrectatorum calumnias coram Pontifice Romano defendens, & praeclarissimam de fide confessionem suppeditans. Hanc ex codice minimum ante mille annos conscripto, & e Monasterio Bobiensi in Ambrosianam Bibliothecam translato, se depromsisse ait Muratorius, qui & Latinum hoc duarum plagularum opusculum notis cuique paginae subjectis passim explicuit atque illustravit. Scriptum hocce Theologicum & brevius, aliud mox Historicum, & quod prolixitate sua istud multum superat, integris quippe octo atque sexaginta constans capitibus, subsequitur, *Joannis* puta *de Cermenate*, Notarii Mediolanensis seculo decimo quarto clari, *Historia de situ, origine & cultoribus Ambrosianae urbis, ac de Mediolanensium gestis sub imperio Henrici VII ab A. 1307 ad 1313*; e qua inter alia cum Mediolanensis populi, tum nobilissimae Vice comitum familiae primordia hauriri, quin eos etiam refelli posse Muratorius existimat, qui Henricum hunc Imperatorem ex venenata hostia obiisse perhibeant, quandoquidem illa potius eundem triduana febri in continuam degenerante extinctum memoret. Tertio loco comparent aliquot *anathematismi*, & ii quidem, ut Noster ait, *Manichaeorum ferientes haeresin*, quos ille Leonis Magni

vigilantiæ deberi verisimile arbitratur, & eos brevi pessimæ hujus propaginis historia, Patrumque & aliorum Autorum testimoniis de Manichæorum dogmatibus illustrat, notatu dignum præ cæteris videri innuens, quod ex his anathematismis discamus, istos & in hanc opinionem concessisse, ut Patrem & Filium nil aliud, quam animam & sensum esse arbitrarentur, utque pluvias, fulgura, nubes, grandines, aliaque meteora non Dei summi nutu fieri aut moveri somniarent, quæ asserta tamen nuspiam alias iisdem tributa deprehendantur. Quartum inter hæc anecdota monumentum prolixissima est *Oratio*, quam *pro autoritate Romani Pontificis* Viennæ anno 1452 habuit *Æneas Sylvius*; cui peculiarem Muratorius subnectit dissertationem, qua & Autoris res gestas summatim recenset, & Maimburgium, quod Sylvius ille ante Pontificatum suum Papam Concilio Generali subjectum statuerit, contendentem, ex oratione præsenti refutare nititur, & opera Æneæ modo memorati nondum hactenus edita, sed propediem tamen abs se vulganda, enumerat. Quinto vetus ex seculo nono affertur *formula manumissionis*, sine qua nemo olim ex familia propria ad sacros ordines promoveri potuerit; quam inter alia & hunc præstare usum Noster intimat, ut refellatur sententia, quæ non vulgi modo, sed omnium pene literatorum animis hactenus insederit, sub Christianis nempe omnium servitutum usum antiquitus desiisse. Dum sexto *Indicem* apponit *Sanctorum Martyrum, quorum corpora S. Gregorii Magni temporibus Romæ quieverint*, in annexa huic Dissertatione eundem ad ipsa Gregorii tempora referre allaborat. E quodam dehinc illius responso occasionem capit disquirendi: utrum illius ævo Sanctorum reliquiæ & ossa *Sanctuarii* nomine venire sueverint? id quod diserte negat, vocabuloque isto ea duntaxat denotari innuit, quæ vel ipsis Sanctorum pignoribus, vel eorum sepulchris & lipsanothecis admota fuerint, ac venerationis aliquam & sanctitatis speciem ex pio contactu receperint, ita, ut miraculorum vi, non secus quam ipsa Martyrum ossa, instruerentur. In isto insuper Indice *olea sancta* a Gregorio Magno ad Theodelindam missa cum dicantur, pro qualibusnam illa habenda veniant, exponit; pro talibus nimirum, quæ aut e lucernis ante SS. Martyrum tumulos suspensis desumta fuerint, aut e sepulcrorum contactu quandam sanctitatis speciem acceperint, ita ut reliquiarum sacrarum loco haberentur. Cæterum eundem Sanctorum Catalogum, indi-

indicio suo Romam sacris corporibus Gregorii jamtum ævo abundasse docentem, Henrico Dodwello ejusque sententiæ de paucitate Martyrum opponi, & hanc isto penitus subverti posse persuasum sibi habet, imo plures adhuc utilitates illius valde celebrat. *Duo*, quæ sequuntur, *chronica Regum Italiæ* brevissima sunt, quorum alterum A. 1013, alterum vero A. 1028 exaratum Noster perhibet, comitesque iis, post quandam Henrici, ut putat, Primi Imperatoris constitutionem nondum huc usque editam, versus quosdam vetustissimos addit in Bibliotheca S. Isidori, Hispalensis Episcopi, olim lectos, & ex eodem codice, e quo nuper Tomo I Paulini Poemata exhibita ab ipso fuerunt, descriptos. Notatu tamen magis dignum videtur, quod decimum est monumentum, *Expositio* puta *fidei*, ut audit, *Catholicæ Fortunati*, seu in Symbolum, quod vulgo nuncupari suevit, Athanasianum brevis commentatio, quam Disquisitione singulari Muratorius prosequitur, in qua ut Symbolum hoc Athanasio multis nominibus abjudicat, sic substitutorum ab aliis Auctorum aliorum mentionem posteaquam fecit, Fortunato forsan huic, quem a Venantio non alienum putat, tribui idem posse suspicatur; quanquam suis conjecturis magnopere haud plaudat, sed Expositionem facilius quam Symbolum ipsum Autori huic adscribi palam profiteatur. Supersunt *duæ Orationes nuptiales*, altera a Guiniforto Barzizio in sponsalibus Philippi Borromæi circiter A. 1430, & altera in nuptiis Joannis Augustini Vice-Comitis & Ottonis Mandelli circa eundem annum recitata. Et illius quidem Autorem a Philippo Maria, Vice-Comite, Mediolanensium Duce, ad plurimas easque præclarissimas dignitates evectum fuisse tradit, & ex ejus Orationibus & Epistolis, quæ in Ambrosiana Bibliotheca serventur, vitæ rerumque ab ipso gestarum compositam enarrationem quandam subministrat. Alterius autorem se ignorare scribit, nisi fortean is & ipse fuerit Barzizius, aut eum verba hæc in calce apposita: *Joannes Matthæus de Privolis scripsit*, designent. Cæterum duæ adhuc Muratorii nostri Dissertationes sat prolixæ, superpondii velut in locum, monumentis hactenus commemoratis adjiciuntur. Una de *quatuor temporum jejuniis* commentatur, ansamque ei dedit quidam Bachiarii locus, trium jejuniorum attentiorum mentionem injiciens, a quibus proinde alia prorsus Autor facit quatuor temporum jejunia, & istorum primum ante Pascha, alterum post Pentecosten, tertiumque ante Nativi-

tatem Domini celebrari antiquisſimis temporibus ſolitum fuiſſe contendit. Altera circa *coronam ferream*, qua Romanorum Imperatores in Inſubribus coronari ſueverint, occupatur. Et hæc Autori inde nata eſt, quod in Cermenatenſis hiſtoria Henricum VII Mediolani diademate Italico cinctum fuiſſe legit. Totum ergo coronationis Imperatorum Italicæ negotium latius deſcribit, & Mediolanenſium imprimis gl riam vindicare ſtudet, ratus, quod ſi Mediolani ſe coronandos Imperatores exhibuerint, potuiſſe illos ab aliis in Longobardia coronationibus abſtinere, & ſi alibi coronam expetierint, ſplendori hoc datum, & onus minime neceſſarium ſuſceptum ab iis fuiſſe. Coronam vero ipſam ullo unquam tempore ferream fuiſſe negat, nomenque hoc primum ei indidiſſe refert Chronici Anglerienſis manuſcripti Autorem, quem ſub finem ſeculi a Chriſto nato decimitertii vixiſſe annotat; tandemque de corona, quam Modoëtienſes in ſuo gazophylacio hodieque oſtendant, plura monet, inque eo totus eſt, ut nec laminam illam ferream introrſus intextam unum eſſe e clavis, quibus ſuffixus fuit in cruce Chriſtus, nec tantam eſſe coronæ ipſiuſmet, quanta vulgo feratur, antiquitatem ſanctitatemve, ad oculum demonſtret.

## *SAMUELIS STRYKII JCTI TRACTATUS DE DISSENSU Sponſalitio, cum materiis quibusdam affinibus, de nullitate matrimonii & deſertione malitioſa, variis Præjudiciis ac Collegiorum Reſponſis confirmatus.*

Wittebergæ apud J. G. Meyerum & G. Zimmermann, 1699. in 4. Conſtat 2 Alph, 3 plag.

DIfficilis materia matrimonialis per aliquot diſputationes, ſub præſidio Illuſtris Autoris noſtri habitas, antehac expoſita eſt, quas reviſas variorumque caſuum reſolutionibus amplificatas, una ſerie Vir celeberrimus exhibere hic voluit, quo plurimorum, omnium conjunctim editionem deſiderantium, votis ſatisfaceret, ac, quod cordati rerũ æſtimatores merito addunt, de publico amplius bene mereretur. Cum enim materiæ hujus maxima ſit frequentia ac utilitas, ea tamen diverſarum legum concurſu, variantibusque interpretum ſententiis ita ſit involuta, ut judices, etiam prudentisſimos, tranſverſos agere aut ſuſpen-

penſos tenere queat, hinc omnis labor, qui eidem rite evolvendæ impenditur, publicæ utilitatis rationes attingere exiſtimandus eſt; inprimis ſi ab eo ſuſcipiatur, a quo nihil niſi eximium ſolidumque proficiſci poſſe, tot documenta, omni exceptione majora, liquido oſtendunt. Eo autem Illuſtris Autoris intentio in hoc tractatu collimat, ut illimitatam illam de indiſſolubilitate ſponſaliorum, aut hierologiæ, dolo licet ac fraudibus elicitæ, indiſpenſabili efficacia, perſuaſionem imminueret; de quo ipſe in præfatione graviter & facunde diſſeruit. Totum opus *in ſex ſectiones* diſtinctum eſt. In *prima* expenditur *fundamentum obligationis ſponſalitiæ.* Hoc dubio procul eſt factum aliquod conſenſuale, quod quidem apud Romanos olim per ſtipulationem ſeu verborum ſolennitatem expediebatur (quod contra Cujacium Noſter oſtendit) hinc etiam valida obligatio, facultatem pœnitendi excludens, ac actio *de ſponſu* inde naſcebatur. Solebant tamen etiam ſponſalia apud Romanos nudo pacto contrahi; ubi uxorem futuram, non *ſponſam*, ſed *pactam* & *ſperatam* audiiſſe, aliqui exiſtimant, atque ille mos ſecutis temporibus magis invaluiſſe videtur. Hinc ad exemplum pactorum nudorum, facultas pœnitendi paciſcentibus competebat; quo refert Noſter *l. 1. C. de Sponſal.* Ac ob hanc etiam cauſam ſponſalibus pœnam cum effectu adjicere non licuit; quod de Jure Canonico quoad ſponſalia *ineunda* ſolum verum eſt. Noſtris autem moribus indiſtincte ſponſalia pœna aliqua muniri poſſunt, uſum præcipue tum habitura, ſi v. gr. ſponſo aufugiente vel alibi uxorem ducente, damni emendatio petenda ſit: quamvis hæc etiam citra conventionem pœnalem in caſibus habilibus debeatur; ſed omiſſa illa conventione, ejus æſtimatio & probatio non eſt ſatis expedita. Illud etiam certum, quod hodie ex ſponſalibus nudo pacto celebratis efficax detur actio, cum in genere illis pactis noſtro jure vis efficaciter obligandi tribuatur. Atque illa ſponſaliorum indoles, quam jure humano habent, legibus Divinis non eſt mutata; cum nulla talis ſanctio occurrat. Hinc non aliam ex ſponſalibus juxta jus Divinum eſſe obligationem, quam quæ alias ex pactis oriri ſolet, Excellentiſſimus Autor concludit. Poſtea explanat intricatiſſimam ſponſaliorum *de futuro* & *de præſenti* diſtinctionem. Nimirum Jure Civili illa incognita eſt, ſed Jure Canonico invaluit, ac ex verborum diverſitate, *duco te*, vel *ducam te in uxorem*, æſtimatur: prior enim formula ſponſalia de futuro,

posterior de præsenti significat. Verum apud Protestantes, improbante primum istas verborum argutias Luthero, in alium sensum distinctio converti cœpit, ut sponsalia de futuro notent *conditionata*, de præsenti vero *pura sponsalia*, nec hactenus referat, verbis futuri an præsentis temporis voluntas exprimatur. Ex quibus tria consectaria, in sequentibus usum habitura, Noster elicit. (1) Famosum illud *Cap. Praterea 2. X de Sponsal.* non loqui de sponsalibus de futuro, sensu juris Canonici suppositis, sed de sponsalibus de præsenti, si suppositionem morum nostrorum sequamur. (2) Sponsalia de præsenti, sensu juris Canonici, esse ipsum matrimonium. (3) Eo sensu sponsalia de præsenti apud nos vix ulla dari. His subjicit Autor Illustris suam epicrisin, distinctionem scilicet illam vel plane esse rejiciendam, vel aliter explicandam; eo nempe sensu, ut per sponsalia de futuro intelligamus, *mentionem & repromissionem futurorum sponsaliorum*, i. e. pactum de sponsalibus faciendis, ( a quo differt tractatus præparatorius, die Anwerbung/qui nullam involvit obligationem ) nec non *sponsalia conditionata*: per sponsalia autem de præsenti, *præsentem consensum sponsalitium*, quæ ratione futurarum nuptiarum quidem etiam de futuro dici queant, qualia fuerint sponsalia Romanorum. His tandem adjiciendum censet *consensum in præsens matrimonium*, qui per Sacerdotalem benedictionem declaretur, ac abusive cum jure Canonico sponsalia de præsenti dicatur, revera autem sit ipsum matrimonium. His deductis demonstrat Autor, quod interpretes improvide *c. 2. X de sponsal.* ad sponsalia de futuro, in sensu Consistoriorum nostrorum supposita, i. e. conditionata applicent, cum κατὰ τὸ ῥητὸν agat de sponsalibus de præsenti, quæ usus noster vocat, i. e. puris. Porro improbat receptissimam illam sententiam, qua sponsalia de futuro, per sponsalia de præsenti subsequentia tolli existimantur; cum & illa vel ex iniquioribus juris Canonici decretis, vel diversarum suppositionum confusione originem habere videatur. Idem dicendum putat de sententia, quæ sponsalia pura posteriora prioribus conditionatis præfert, ac tandem concludit, sponsalia clandestina in genere non esse obligatoria, ac casum, in quo filia juraverat, se sine consensu matris nolle nubere, ac mater itidem jurato asseruerat, se nolle in certam quandam filiæ desponsationem consentire, ratione Magistratus indispensabilem, nec adeo, matre dissentiente, sponsalia illa & nuptias posse permitti.

In

In sectione *secunda* pergit Noster ad *dissensum unius desponsatorum*, ac ex generali pactorum doctrina ponit regulam, *quod unius dissensu sponsalia nequeant solvi, sed refractarius aut refractaria mediis debitis ad servandam fidem sint compellendi*; quod si tamen multa vel carcere contumax adigi non possit, tum rectius sponsalia solvi, imposita lædenti condigna pœna, quam invitos per sacerdotalem benedictionem conjungi, pronunciat. Si vero ab initio justum consensus impedimentum, dolus, puta, alterius partis, metus, ebrietas adfuerit, tum ad instantiam partis læsæ sponsalia, imo nuptias, non tam solvi, quam nullas declarari, amplius docet. Sponsalia porro sub conditione impossibili aut turpi contracta, ab initio esse invalida, adeoque ab iis, illo qui conditionem adjecerat, desiderante, posse discedi, neglecta juris Canonici dispositione, contendit; aliud dicendum ratus de sponsalibus sub conditione licita & possibili initis, quæ unius dissensu solvi nequeant, licet conditio peregrina, v. g. si Hispanus Gallum vicerit, adjecta sit. His explicatis, sponsalia etiam unius dissensu dissolvi posse censet Illustris Autor, si ea deficiant, quorum præsentiam recessurus vel expresse vel saltem tacite & probabiliter supposuit, v. gr. si deficiant morum probitas, opes, religio, virginitas voluntario vel per vim amissa, conditio v. gr. nobilitatis, valetudo: aut si ea superveniant, quorum absentiam alter itidem supposuerat, sive culpa alterius de quo minus dubii, v. gr. si alterius fornicatio vel malitiosa desertio subsequatur, sive casu, v. gr. si sponsa per vim stuprum patiatur, aut gravi morbo, v. gr. Gallico, alter contrahentium sine sua culpa afficiatur, vel notabili membro mutiletur, aut sponsa pulcherrima variolis deformetur, aut ex morbo superveniente insignem oris fœtorem contrahat, vel si jactura bonorum superveniat. Quæ omnia ex isto derivari principio Excellentissimus Autor monet, quod sponsalia indissolubile vinculum non contineant, sed ad exemplum reliquorum pactorum judicanda sint. Fatetur tamen simul, ad repudium ob ejusmodi causas non statim convolandum esse, multo minus proprio motu id debere suscipi.

Sectio *tertia* dissensui *utriusque desponsatorum* dicata est. Postquam igitur præmonuerat Autor, utile esse, ut tempus habendi sponsam certa aliqua lege coarctetur, ne amor temporis tractu languescat, ac per calumnias abalienatio mentis inducatur, ad propositum pergit,

ac

ac ſponſalia jure Canonico *c. 2. X. de ſponſ.* deſponſatorum, ſe mutuo averſantium, diſſenſu ſolvi poſſe docet. Cujus æquitatem late tuetur ex eo, quod in ſponſalibus nullum aliud, quam conventionis, ſubſit vinculum, adeoque mutuo diſſenſu in genere eadem ſolvi poſſe certum ſit, pluribuſque refellit ſententiam communem, in Conſiſtoriis Evangelicis receptam, qua mutuo diſſenſui illa vis negatur, ac deſponſati potius ad conſummanda ſponſalia adiguntur; oſtenditque eſſe eam conſectarium hypotheſium Papalium, a nobis rejectarum. Juxta eas enim ſponſalia de præſenti eſſe indiſſolubilia, quia ſint ipſum matrimonium, ac præterea Sacramentum. Cum vero juxta noſtram ſuppoſitionem utrumque illud aliter ſe habeat, hinc tam incaute hypotheſes illas non eſſe ſequendas, ſed iis rejectis, conſectaria quoque merito debere rejici concludit. Licet vero ſponſalia mutuo diſſenſu ſolvi poſſe exiſtimet, non tamen privato auſu, ſed judicis Eccleſiaſtici autoritate id potius fieri debere arbitratur, cum id diligenter explorandum ſit, an res in terminis nudorum ſponſaliorum ſubſtiterit, nec ne, atque hanc ſententiam Theologorum & ICtorum quorundam conſentientium ſuffragio, nec non Facultatis Juridicæ Hallenſis reſponſo de anno 1698 amplius confirmat.

In ſectione *quarta* explicatur *ſponſaliorum concurſus*. Præmiſſis generalibus de nomine, definitione, ac diviſione ſponſaliorum, nec non conditionibus adjici ſolitis, ac ſingularum ſpecierum effectu (in qua tractatione multa notabilia occurrunt, inprimis caſus *p. 150*, quo virgo nobilis, duobus procis, eodem tempore eam ambientibus, ei, qui in duello victor eſſet futurus, matrimonium promiſerat, ac poſtea altero occiſo, & victore ſupplicium pecunia redimente, de valore factæ promiſſionis quærebatur) per regulas quasdam concurſum ſponſaliorum tradit Autor. (1) *Quoties bina ſponſalia publica concurrunt, priora poſterioribus præferenda, etiamſi ad hæc copula carnalis vel juramentum acceſſerit.* Quas ampliationes contra rationes diſſentientium amplius deinde defendit, imo idem obtinere pronunciat, licet poſteriora ſacerdotali benedictione ſint conſummata, eamque ſententiam contra Carpzovium defenſam, præjudicio Conſiſtorii Dresdenſis de anno 1674 confirmat, ac quasdam alias quæſtiones ſpeciales, brevitatis ſtudio hic quidem ſilentio involvendas, adjicit. (2) *Quoties ſponſalia publica & clandeſtina concurrunt, toties illa præferenda,*

*da, etiam si hæc priora fuerint*, nisi clandestinis, antequam publica celebrarentur, copula carnalis accesserit; nam tum habentur pro matrimonio, adeoque publicis sequentibus præstant, si modo clandestinitas ex defectu consensus parentum non sit; nam eam copula carnali non firmari, aliis licet dissentientibus, Noster existimat, eamque sententiam novissimo edicto Brandenburgico firmatam dicit; sponsam aliquando, durante inter duos procos lite, ex justa causa sequestrandam esse adjiciens. (3) *Quotiescunque concurrunt sponsalia pura & conditionata, toties illa præferenda.* Hanc regulam communem solido haut niti fundamento Noster admonet; admissam vero his solere circumscribi limitationibus docet, nisi conditionatis accesserit copula carnalis, aut pura metu sint extorta, vel alias invalida: his enim casibus conditionata esse potiora; imo matrimonio ex puris illis sponsalibus secuto, iterum per mortem v. gr. sublato, obligationem sponsaliorum conditionatorum reviviscere censet. (4) *Quoties bina sponsalia conditionata concurrunt, toties priora posterioribus præferuntur, licet his juramentum accesserit*; quæ per aliquot quæstiones speciales Noster persequitur. Post hæc pœnas plurium sponsaliorum recenset, & quid jure Mosaico, Canonico, Civili & Saxonico constitutum sit, distincte exponit, ut pœnam bigamiæ capitalem huc extendi non posse, simul fateatur.

Sectio *quinta* exhibet *matrimonii nullitatem.* Nullitate igitur & divortio accurate distinctis, primo de hujus causis disserit Autor docendo, matrimonium posse solvi ob adulterium uxoris etiam solum præsumtum, non vero ob adulterium mariti, cum jus divertendi hoc casu, neque in veteri, neque in novo Testamento uxoribus sit concessum. Quare nec uxorem, si forte matrimonium prius, juxta receptam fere sententiam contrariam, solvatur, salva conscientia aliud inire posse, amplius contendit. Postea malitiosam desertionem, velut alteram matrimonii solvendi causam, refert, eamque contra objectiones Pontificiorum tuetur. Quibus causis communiter probatis, *insidias* ac *impotentiam supervenientem*, singulari sententia addit. Ab his pergit ad causas nullitatis, quam in *absolutam* & *respectivam* distinguit. Illius causæ sunt (1) *si contra expressam juris Divini Levit. 18. sanctionem matrimonium ineatur.* Hoc enim absolute nullum pronunciat Noster, atque ea occasione prohibitiones illas non juris natu-

ralis, sed moralis positivi esse, ac ultra personas expressas, quoad lineam collateralem, non debere extendi docet, eamque sententiam in Facultate Hallensi receptam esse testatur, casum nostri temporis singularem, adversis Collegiorum responsis notabilem, ac praecedentia amplius illustrantem adjiciens. (2) *Si primo nondum finito, matrimonium ineatur.* Qua occasione quaeritur, an maritus hactenus absens, uxorem interim alii junctam recipere teneatur? Quod, aliis simpliciter negantibus, Noster tum demum negandum putat, si mulieris culpa secundae nuptiae fuerint secutae; quae si abfuerit, tum quaestionem affirmandam censet. (3) *Si praeviis sponsalibus publicis, cum alio matrimonium celebretur.* Hoc enim, contra communem Doctorum sententiam, nullum esse Excellentissimus Autor pluribus contendit. (4) *Si contra leges humanas irritantes nuptiae fiant.* Hanc enim vim legibus humanis esse tribuendam, existimat. Hinc in specie matrimonium sine consensu parentum initum, accedente licet copula carnali & hierologia, nullum esse; quae sententia in Marchia Brandenburgica speciali edicto anno 1694 fuerit confirmata. Porro ex eodem principio, matrimonium inter raptorem & raptam esse nullam; cui doctrinae peculiaris poena juris Lubecensis, qua raptor coercetur, a Nostro additur. Ulterius ex hoc capite, ex sententia Autoris, nullũ est matrimonium a deserta ante trinam citationem contractum. Quodsi tamen in ejusmodi casibus in uno territorio, quoad tolerantiam matrimonii, alias nullius, dispensetur, tum ejus effectum ad alia quoque territoria porrigi, ac liberos inde natos in illis quoque jus succedendi aliaque jura habere, Noster docet, addito praejudicio valde memorabili. Inde digreditur ad causas nullitatis respectivae, ad quas pertinet (1) *Dolus*, ob quem matrimonium plene consummatum, nullum laeso volente declaratur. (2) *Metus*, qui etiam matrimonium penitus annullat, licet pater, facti circumstantiis turbatus, consenserit. (3) *Error*, qui matrimonium simpliciter reddit nullum, si dolo fuerit elicitus, alias si circa personam, virginitatem, coeundi potentiam commissus sit, non vero si circa accidentalia. His alia exempla matrimonii nullius (tutoris nempe cum pupilla, adulteri & adulterae) nec non illius effectum subjicit, ac de matrimonio morganatico, nec non matrimonio conscientiae, quod quibusdam *ad Thalac* dicitur, Gallis *mariage de conscience* audit, plura notabilia addit.

In

In ſectione *ſexta* de *deſertione conjugum malitioſa* ſollicitus Autor, ex peccatis divertendi licentiam eſſe exortam, ſucceſſu tamen temporis, inter Chriſtianos ad duas tantum cauſas, *adulterium* & *malitioſam deſertionem*, iterum reſtrictam docet, quam ultimam enucleatius tradendam deinde aggreditur. Hinc præmiſſa definitione deſertionis, eum deſertorē eſſe oſtendit, qui animo deliberato non redeundi ad conſortium conjugale, diſcedit. Ex quo plures quæſtiones de vagabundo, milite, martio ob capitale crimen profugo, relegato vel deportato, captivo explicantur. Inde de conjuge præſente quidem, ſed copulam denegante diſquirit, ac relatis aliorum ſententiis, illum quoque pro deſertore ad effectum matrimonii ſolvendi haberi poſſe, ſi denegatio pertinax & inemendabilis ſit, concludit; idem exiſtimans, licet denegatio illa ob odium ex diverſitatē religionis contractum oriatur; in cujus rei illuſtrationem notabile exemplum ac præjudicium ſubjicitur. Ex his ulterius deducit Noſter, ſi ſeparatione ob fribuſculum aliquod, aliaſve cauſas, a thoro & menſa facta, alter conjux ſucceſſu temporis tantum odium erga alterum concipiat, ut eum nullo modo recipere velit, quod tum etiam totaliter matrimonium ſolvi queat, modo contumax debitis pœnis, v. gr. relegatione inſimul coerceatur. His deductis, licentiam divertendi ob malitioſum deſertionem contra Pontificios in genere defendit, ac ad proceſſum deſertionis explicandum pergit. Judex itaque competens, ex doctrina Noſtri, eſt Conſiſtorium; quamvis etiam in judicio ſeculari eandem cauſam tractari poſſe exiſtimet, ſi ſuperiori ita viſum ſit. Hac occaſione, de judice competente in cauſis matrimonialibus, quoad Status Imperii alioſque immediatos diſquiritur, ac Principiſſam deſertricem in judicio mariti non ſuſpecto, conveniri poſſe concluditur. Inde ad modum procedendi digreditur Noſter, ac deſertionis proceſſum non nimis properanter, ſed ob legitimas demum deſertionis præſumtiones adductas, eſſe inſtituendum docet; quo nomine quid judici faciendum ſit, amplius commemorat. Decreto proceſſu, trina citatione edictali, in trium Dominorum territoriis (niſi uſus quorundam locorum, ut Marchiæ Brandenburgicæ, aliud velit) affigenda, opus eſt; ſingulis terminis elapſis, accuſatio contumaciæ ac judicis ſententia ſequitur, quarum ultima matrimonii ſolutionem continet. Si cum deſertione adulterium concurrat, ambages illæ non ſunt neceſ-

 ſariæ,

ſariæ, ſed adulterio probato, ſtatim divortium permittitur. Deſertore comparente, diſſolutio matrimonii ſequi nequit. Deſerto novæ conceduntur nuptiæ, deſertori vero, ſi ejus copia haberi queat, debita imponitur pœna, nec ei regulariter ſecundæ nuptiæ indulgentur. Quod ſi deſertus, non inſtituto deſertionis proceſſu, ad ſecunda vota tranſierit, illa regulariter ſunt nulla, niſi deſerentis conjugis notorium adulterium concurrat; quod notabili caſu Noſter illuſtrat, ac ſoluto ob deſertionem matrimonio, omnes effectus, quoad innocentem, locum habere, qui alias in caſu adulterii occurrunt, exiſtimat: hinc in ſpecie conjugem deſertam ex deſertoris bonis portionem ſtatutariam accipere cenſet. Contra ſponſam deſerentem deſertionis quoque proceſſum, & quidem in loco domicilii ſponſæ, inſtitui poſſe, amplius docet, ac tandem totum tractatum appendice aliqua, nonnullas ſanctiones Electorales Brandenburgicas, ad matrimonialia pertinentes, complectente, velut obſignat.

## *CYCLOIDIS PRIMARIÆ SEGMENTA INNUMERA QUADRAturam recipientia; aliorumque ejusdem ſpatiorum quadrabilium Determinatio: poſt varias illius fortunas nunc primum detecta a JOH. BERNOULLIO.*

PRæciſe centum ſunt anni (anno nimirum 1599, uti Author eſt *Torricellius*) quod inſignis hæc Curva *Galilæo* primum fuerit conſiderata, & ab eo Cycloidis nomen acceptum in hunc usque diem geſſerit. Poſtea *Merſennus*, cui primam inventionem vindicant Galli, hoc velut pomum Eridos in turbam projecit; cui certatim & ſumma animi contentione ſe accinxere præſtantiſſimi illius temporis Geometræ, *Torricellius*, *Lalovera*, *Robervallius*, *Carteſius*, alii; unde, ut fieri ſolet, tot accenſæ ſunt lites, *Torricellium* inter præſertim & *Robervallium*, qui præ aliis primarum Cycloidis proprietatum primi inventoris titulum ambientes, & ægre alter alterum in partem honoris admittentes, miſerum in modum ſe mutuo proſciderunt, atque nefandi proh pudor! plagii inſimularunt; idque non minori vehementia, quam ſi pro patria in diſcrimine verſante militaſſent: ut videre eſt ex eriſticis hinc inde editis, exque prælonga *Robervallii* Epiſtola expoſtulatoria ad *Torricellium*, prout illa habetur in *Operibus Mathematicis & Phyſicis* Pari-

*Parisiis 1693* impressis; in quibus continentur inventa *Robervalliana*, nonnulla satis ingeniosa. Unum tamen alterumve deprehendi, ubi Author fœde paralogizat, ut mirer Editorem errores non animadvertisse & suppressisse.

Hæc vero velitatio viam præparabat, & quasi præludebat longe acriori pugnæ non diu post subortæ, ex occasione quorundam problematum, super Cycloide a *Dettonvilio* seu *Pascalio* cum annexo præmio propositorum; cujus fabulam toto cœlo notissimam si quis ignorat, illius tractatum legat, ut & *Wallisii Præfat.* ad *tractatum* suum *de Cycloide*, & quæ ad *Hugenium* hac de re prolixe scripsit. Ex eo tempore nullus extitit, qui vel tantillum supra Mathematicorum vulgus sibi sapere visus est, qui ad hanc ingenii cotem suas vires acuere, atque novi quid exinde procudere non tentaverit: interim primi quoque ordinis Geometræ non minus assidui semper fuere, in perscrutandis, quæ alii intacta imperviaque reliquissent.


Hinc præter illa vulgaria dudum cognita, qualia sunt dimensio lineæ Cycloidis, comparatio spatii cum circulo & solidorum variorum ex conversione ortorum cum cylindris, centrorum gravitatis determinatio &c. alia majoris momenti & indaginis abstrusioris possidemus; inter quæ merito referenda, quæ incomparabilis *Hugenius* de identitate evolutarum, deque tautochronismo (a me non ita pridem brevissime demonstrato) primus, & post eum subtilissimus *Newtonus* in pereruditis suis operibus prodiderunt: quibus addi possent, quæ quondam Parisiis excogitavi, quorum nonnulla *Frater* recenset in *Actis* 1692, *pag.* 292. At non postremum locum obtinet Quadratura segmenti recti, cujus subtensa distat a vertice cycloidis quarta parte axis; quod semihexagono (concinnius ego dicerem triangulo æquilatero, tantundem enim est) æquale ostendit *Hugenius*: huic superaccedit alterum illud segmentum obliquum, cujus quadratura Celeb. *Leibnitium* pro primo inventore agnoscit. Denique brachystochronismus seu celerrimus descensus, novissime a nobis detectus, inter primarias Cycloidis nostræ proprietates, nemine refragante, merito sibi locum vendicat primum; quod & Frater agnoscere videtur, dum eum inventorum omnium circa cycloidem factorum quasi coronidem, ultra quam nihil amplius sperandum, deprædicat (vid. *Acta* 1697, p. 214.)


At vero non prius de palæſtra diſcedere velle videtur, quam per integrum exactum ſæculum omnia ſua exuiſſet myſteria, nobisque pandiſſet quicquid in extremis haberet receſſibus ſuis. Prodit enim ecce denuo in ſcenam nobilis noſtra Curva, ſpectatoribus quaſi cum agonizonte hoc ſæculo valedictura, ut tandem candide ſiſtat infinitorum ſuorum ſegmentorum, aliorumque ſpatiorum Quadraturam: quod quanti ſit, aliis judicandum relinquo, qui ſciunt Cl. *Wallisium*, limatiſſimi judicii Virum, ſegmentum illud *Hugenianum* quadrabile (quod unicum facit ex infinitis noſtris) dignum ſatis reputaſſe, cujus primam inventionem non uno in loco *Wrennio* ſuo pro virili aſſereret; ne ſcilicet gloriæ Anglicanæ, cujus ſtrenuum vindicem agit, aliquid decederet, quod de jure ipſi competere ratus eſt Vir perſpicaciſſimus.

Ut ad rem veniam: Sit Cyclois primaria EAG, cujus baſis EG, axis AF, circulus generator ALF: Ductæ pro lubitu duæ applicatæ IB & KD, illa a centro H, hæc a vertice A, æqualiter diſtantes determinabunt in Cycloide duo puncta B & D, quibus junctis recta BD, ductisque LF & MF: dico *Segmentum cycloidicum BCDB fore quadrabile, æquale nimirum (in fig. I) ſummæ triangulorum rectilineorum LFI + MFK, & (in fig. II) differentiæ eorundem LFI — MFK*: quod ſic demonſtro. Concipiantur ductæ HL, HM; item NAO, parallela baſi EG; & BN, DO parallelæ axi AF. Applicatis IB, KD (*Fig. I*) exiſtentibus ad partes oppoſitas, erit Segm. BCDB = trapezio BNOD demtis duobus trilineis ANB & AOD; eſt autem trapez. BNOD = $\overline{\frac{1}{2}BN + \frac{1}{2}DO}$ in NO = (ob HI = AK) $\frac{1}{2}$ HA in NO = $\frac{1}{2}$ HA in NA + $\frac{1}{2}$ HA in OA; jam ex natura cycloidis $\frac{1}{2}$ HA in NA = $\frac{1}{2}$ HA in arcum AL + rect. LI = ſectori LHA + triang. LHF = ſectori LFA; eodem modo demonſtratur $\frac{1}{2}$ HA in OA = ſect. MFA. Hinc trapez. BNOD = ſect. LFA + ſect. MFA; quoniam vero iterum, ex nat. cycloidis, trilin. ANB = ſegm. circ. AIL, & trilin. AOD = ſegm. circ. AKM; ablatis AIL & AKM, a ſectoribus AFL & AFM, remanebunt duo triangula rectilinea LFI + MFK = trapez. BNOD — ANB — AOD = ſegmento cycloidis BCDB. Q. E. D. Porro applicatis IB, KD (*Fig. II*) exiſtentibus ad partes easdem: ſegm. BCDB = trapez. BNOD — trilin. ANB + trilin. AOD: jam

TAB. IV.

pri-




modum præcedentem tam facile demonſtrari poteſt, ut actum agere mihi viderer, ſi peculiarem pro hoc contexerem demonſtrationem. Notare hic convenit, concurrentibus punctis I & K, ſectorem B I D degenerare in ſegmentum rectum *Hugenii*; at vero I in A, & K in H pervenientibus, mutari eundem in duo ſegmenta obliqua *Leibnitii*; adeo ut duplici ratione Illuſtrium horum Virorum inventa ſub generaliſſimis noſtris tanquam ſpeciales caſus contineantur.

Cæterum quamvis ex omnibus ſegmentis, quæ ſubtenſam ad axem normalem habent, unicum ſit quadrabile; fieri tamen quam maxi-

TAB.

H A in arcum A L + rect. L I = sectori L H A + triang. L H F = sectori L F A; eodem modo demonstratur $\frac{1}{2}$ H A in O A = sect. MFA. Hinc trapez. B N O D = sect. L F A + sect. M F A; quoniam vero iterum, ex nat. cycloidis, trilin. A N B = segm. circ. A I L, & trilin. A O D = segm. circ. A K M; ablatis A I L & A K M, a sectoribus A F L & AFM, remanebunt duo triangula rectilinea L F I + M F K = trapez. BNOD — ANB — A O D = segmento cycloidis B C D B. Q. E. D. Porro applicatis I B, K D (*Fig. II*) existentibus ad partes easdem: segm. B C D B = trapez. B N O D — trilin. A N B + trilin, A O D: jam

pri-

prioribus vestigiis insistendo habetur trapez. B N O D = ½ H A in N A — ½ H A in O A = sect. L F A — sect. M F A; surrogatis igitur loco trilineorum A N B, A O D ipsis æqualibus segm. circ. A I L, A K M, prodibit sector L F A — sect. M F A — A I L + A K M, id est triang. rectil. L F I — M F K = segmento cycloid. B C D B. Q. E. D.

*Coroll. 1.* Si puncta K & I coincidunt, manifestum est, haberi Fig. I. segmentum rectum *Hugenianum* = triangulo æquilatero, circulo generatori inscripto, coalescentibus quippe in unum triangulis L F I & M F K.

*Coroll. 2.* Quod si vero puncta K & I in ipsum verticem & centrum cadant, prodit tunc in utraque Fig. segmentum obliquum *Leibnitianum*, æquale soli triangulo L F I; altero M F K evanescente: quod quidem L F I tunc, ut patet, quartam efficit partem quadrati circulo generatori inscripti.

*Coroll. 3.* Patet etiam, ex omnibus segmentis quadrabilibus nullum esse, cujus subtensa B D transeat infra medietatem radii A H; adeoque illorum omnium, quæ fig. I & II non comprehenduntur, quadraturas esse impossibiles.

Hæc de segmentis quadrabilibus Cycloidis. Ecce jam innumeros sectores cycloidales quadraturam pariter admittentes, curiosorum in gratiam huc referendos, ut habeant quo alant suam mirabilis hujus Curvæ admirationem. Si a puncto I, quod (fig. III) a centro H iterum tantundem distare suppono, quantum distat punctum K a vertice A, ducantur duæ rectæ I B, I D, ad puncta B, D, in quibus applicata B K D curvæ occurrit; item duæ aliæ rectæ F L, F M, ad puncta L, M, in quibus eadem circulum secat. Dico sectorem Cycloidicum I B A D, æqualem existere triangulo isosceli L F M. Quod quidem ad modum præcedentem tam facile demonstrari potest, ut actum agere mihi viderer, si peculiarem pro hoc contexerem demonstrationem. Notare hic convenit, concurrentibus punctis I & K, sectorem B I D degenerare in segmentum rectum *Hugenii*; at vero I in A, & K in H pervenientibus, mutari eundem in duo segmenta obliqua *Leibnitii*; adeo ut duplici ratione Illustrium horum Virorum inventa sub generalissimis nostris tanquam speciales casus contineantur.

Cæterum quamvis ex omnibus segmentis, quæ subtensam ad axem normalem habent, unicum sit quadrabile; fieri tamen quam maxi-

maxime poteſt, contra opinionem *Celebris cujusdam Geometra* (vid. *Act.* 1687, p. 526) ut infinita alia ſpatia exiſtant quadrabilia: cui aſſerto, præter ſegmenta & ſectores quos hactenus dedimus, ſequentia exempla fidem facient. Vocetur radius circuli HA, $a$; HK, $x$; (Fig. IV) Jam ſi ſumatur HK vel $x = \frac{1}{8}a + \frac{1}{8}a\sqrt{41}$ & ad K applicetur KD, ſecans circulum in M; fiatque arcus ML = arcui AM; ducta per L applicata BI, habebitur ſpatium vel Zona cycloidalis IKDB = (ductis rectis AM, AL, HM, HL) triangulis rectilineis HAL + IAL — HAM — KAM.

Porro ſi HK vel $x$ fiat = radici hujus æquationis cubicæ, $12x^3 - 10aax - a^3 = 0$; & arcus ML ſumatur duplus ipſius arcus AM; erit Zona IKDB iterum quadrabilis. Atque ſic pro ratione arcuum AM & ML, ſi modo ſit numeri ad numerum, invenio ſemper æquationem algebraicam magis minuſve compoſitam, cujus radix $x$ novam perpetuo determinabit Zonam quadraturæ ſubjectam. Hujusmodi Zonarum determinationem, haud ſane vulgari methodo repertam, aliquid mirabile in ſe continere puto, dum non, ut ſegmenta quidem & ſectores, una generali conſtructione aſſignari poſſunt. Ejusdem methodi uſu varia alia ſpatia cycloidalia, quadraturarum capacia, algebraice determinantur: quæ omnia huc afferre ſupervacaneum duco, præſertim cum perſpicacioribus arduum non ſit futurum, illa ex jam dictis eruere, novisque augere.

---

*Errata.* Anno ſuper. pag. 463. l. 3. a fine, pro p2 leg. 2p. pag. 464. l. 11, pro PM leg. BM. pag. 465. l. 5, leg. *id quod dat*, & pro *atque* leg. *adeoque.* In fig. III. Tab. XI, per puncta D, d concipienda eſt trajectoriæ portio D d.

---

## *DISSERTATIO ISAGOGICA IN SELECTA HISTORIÆ Ecclesiasticæ Capita R.P.F. NATALIS ALEXANDRI, opera ELIÆ VEIELII, D. & Prof. Theologi.*

Ulmæ, apud Georgium Wilhelmum Kühnen / 1699 in 8, plag. 22.

Quantam nominis celebritatem conſecutus fuerit Natalis Alexander, Diſſertationibus Hiſtoricis, Chronologicis, Criticisque & Dogmaticis in ſelecta Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capita ſparſim hactenus in

forma minori inde ab annis aliquammultis evulgatis, nuperrime vero Parisiis in volumina quædam majora, nec unam insuper accessionem nacta constipatis, istud notius omnino est, quam ut hoc in loco moneri demum flagitet. Neque tamen ita suas eum partes implevisse dixeris, quin habeat adhuc scrutator antiquitatis Ecclesiasticæ in istis Dissertationibus, habeat Criticus in dijudicationibus Scriptorum vetustorum, habeat Theologus orthodoxus in panopliis vel controversiis a Natali agitatis, & præsertim in defensione Concilii Tridentini, propemodum innumera, quæ ad normam veritatis examinari merentur. Hæc probe secum reputans Maxime Reverendus Ulmensium Præsul, Veielius, paulo accuratius Dissertationum Alexandri scrutinium in se suscipere dignatus est. Laboris vero sui plenum fructum, antequam in apricum proferat, hoc velut breviarium præmittendum existimavit, in quo evidentes illius atque plurimas, in multis magnique momenti capitibus, a Sodalibus dissensiones, acresque censuras producit, ac ostendit, adversarium veritatis Evangelicæ tam gravem causæ Pontificiorum plus offecisse, quam Protestantium, simulque decus Imperatorum Romano-Germanicorum, contra acerbas Gallicani hujus Scriptoris imputationes, paucis vindicat, & pietatem Lutheri atque parastatarum ejus asserit. Exorsus igitur ab ipso Natalis instituto, latius idem describit, candoremque ab eo adhibitum laudat, dum Viros nempe celebres, etsi a Papali communione alienos, dignis prosequatur encomiis, nec cupiat esse inter furtivos plagiarios, sed potius Autores, e quibus suas observationes petierit, nominetenus ubique alleget. Nihilo tamen secius, dicam ipsi aliis ex capitibus scriptam innuit a Sociennis, e quorum censu Illustrissimum imprimis Abbatem Sangallensem nominat, qui ob parum accurate defensa vexatissima Regaliæ jura, & F. Franciscum d' Enghien, qui ob male habitam Papæ autoritatem eum impugnarit. Mox, quæ universa Pontificiorum cohors taxare in eo queat, Autor maxime Reverendus indicat, primoque statim loco censuram in Sanctos Patres, sic satis quandoque rigidam, propriis ejusdem verbis e variis Dissertationum locis repetit, eique statim animadversiones associat in Scriptores Scholasticos & Pontificios promiscuos, quos magno numero allegat, a Baronio & Bellarmino auspicium capiens, & reliquos ordine literarum alphabetico enumerans. Quemadmodum autem hos maximorum sæpe errorum, imo etiam criminum

reos agi ab Alexandro innuit, ita nec integris eum Ordinibus religiosis parcere observat, idque exemplis Fratrum Minoritarum atque Carmelitarum probatum dat. Ecclesiæ Gallicanæ insignem ab ipso prærogativam ait tribui, adeo ut ad ejus mores & interpretationes Theologi & JCti Curiæ Romanæ haud gravate componere se debeant: id quod tamen an facturi illi sint, itemque an in asserta Facultati Sacræ Parisiensi judicii doctrinalis jura sint consensuri, Noster valde dubitat. Inde ad ipsosmet summos Pontifices progreditur, & quibus illi censuris a Natali Alexandro impetantur, declarat, ac loca plurima adversus Curiam Romanam palam pugnantia excerpit; cumque ita non solum Doctores atque defensores autoritatis Papalis præcipuos de ponte dejecerit, sed ipsos etiam Pontifices cum prætensa sua infallibilitate & superioritate præcipites dederit, mirum haud esse refert, quod Innocentius XI Papa Breve aliquod promulgarit, scripta Natalis rogo adjudicans, omnesque lectores & possessores eorundem excommunicans; quod integrum, cum in paucorum manibus versetur, apponit. Nec cohibere istum monet calamum censorium, quin eundem in summos quoque Reges stringat, Angliæ puta, & imprimis Hispaniæ: quod ultimum equidem non ideo se scribere testatur Noster, ut invidiam Autori faciat, sed ea tantummodo de causa, ut tanto minus mirentur Protestantes, si, quantopere eorum ille Principibus insultet, legerint. Verum multo iniquiorem, quam Hispaniarum Regibus, Augustis Romanorum Imperatoribus Natalem sese exhibere queritur, variaque improperia in Ottonem I, in Henricum III, Fridericum Ænobarbum, Ludovicum Bavarum, Carolum V aliosque ab ipso pleno ore prolata apponit, ac gloriam Imperatoriam adversus ea mascule defendit; idemque non minus præstat circa exagitationes, quibus B. Lutherum, Johannem Brentium, Jobum Gastium, imo integram Ecclesiam Evangelicam, quæ ab Augustana Confessione nomenclaturam celebrem indepta est, onerare studuit. Sed & sibimet ipsi, & doctrinæ Romanensi non raro adversari ipsum, nostræque propitium esse ostendit, utpote ubi distinctionem inter Ecclesiam, ut est visibilis & invisibilis, admittat; Patres antiquissimos solis Scripturis contra hæreses certasse fateatur; Evangeliorum breviarium ab omnibus legendum suadeat; & quæ sunt his similia. Vicissim vero pseudhermenias ei aliquot ob oculos proponit, ut quan-

quando, verbi causa, gratiæ necessitatem ad cujuscunque boni operis initium & consummationem, per se quidem alias certissimam, ex Ps. LXXVI. 11, & Angelorum Sanctorumque cum Christo regnantium invocationem legitimam ex Gen. XLIIX. 16. demonstrare annisus fuerit. Postea Germanos in universum omnes pessime ab eo perstringi testatur. Inde amarulentiam ejus in Reformatos, atque ex his Johannem præ cæteris Dallæum & Johannem Rivetum, vehementer ab ipso exagitatos sistit, tandemque strícturis ejus in varios Scriptores promiscuis commemoratis desinit, pauca modo ante verba faciens epilogi in locum de iis, quæ Grammatici forsan in Natali Alexandro possent reprehendere; quanquam talia doctis Viris tantopere haud objicienda esse lubens fateatur, nec aliam ob rem tangere hæc voluerit, quam quod ab isto Franciscum d'Enghien ferulæ Grammaticorum ob solœcismos & barbarismos subjectum cognoverit.

*LES HOMMES ILLUSTRES, QUI ONT PARU EN FRANCE pendant ce Siecle, par Monsieur PERRAULT, de l' Academie Francoise.*

id est:

*ELOGIA VIRORUM HOC SECULO IN GALLIA ILLUstrium, auctore Dn. PERRALTO.*

Juxta exemplar Parisiense, apud Ant. Dezallier, 1698. in 12. Plag. 11.

ELogia Clarorum Virorum stylo consignata legere, uti plurimum adfert jucunditatis, sic usu quoque non caret. Juvat enim eorum, qui laudem vel ex scriptis libris vel rebus præclare gestis sibi acquisiverunt, vitæ rationes propius nosse, & quales publice privatimque fuerint, quidque acciderit ipsis singulare, intelligere. Fitque inde, ut placeant fere omnes, quæ unquam vel sub Elogiorum Iconumve aut quovis demum alio nomine prodierunt, Expositiones Vitarum, præsertim si ipsas elegantia quædam dictionis, juncta narrationi, quæ ab adulatione alienior est, nec vitia quoque hominum tacet, commendat.

Fecit autem ut hæc præmitteremus Vir Clarissimus Dn. PERRAULT, cujus quæ Viris tantum aliquot (plures enim ipsi restant)

hoc ſeculo in Gallia illuſtribus, ſed nunc demortuis, velut in ſpecimen, ſcribere cœpit Elogia, nunc, tametſi paulo tardius (nec enim Pariſienſis ad nos editio pervenit) recenſebimus, non ea quidem, qua deceret, prolixitate, ſed ita tamen, ut ex ſingulis quaſi excerpere aliquid velimus, quod non omnibus notum ſit.

Hoc igitur *Tomo primo* Elogiorum (nam in Præfatione *alterum* Tomum pollicetur) hunc ſervat ordinem, ut *primum* locum adſignet iis, qui in Statu Eccleſiaſtico eminuerunt, videlicet Armando Johanni *de Richelieu* & Petro *de Berulle*, Cardinalibus, *Henrico Spondano* Epiſcopo Apamienſi, *Petro de Marca* Archiepiſcopo Pariſino, *Johanni Petro Camus* Epiſcopo Bellicenſi, *Antonio Godeau* Epiſcopo Vincienſi, *Joh. Franciſco Senault* Generali Patrum Oratorii, *Antonio Arnaldo* Doctori Sorbonico, *Jacobo Sirmondo* & *Dionyſio Petavio* e Soc. Jeſu, *Joh. Morino* & *Ludovico Thomaſſino* ex Patribus Oratorii. *Secundum* locum tribuit his, qui bellicis ſtudiis excelluerunt, nempe *Ludovico* Burbonio Principi *Condæo*, *Henrico* de la Tour Vice-Comiti *de Turenne*, Blaſio Franciſco Comiti *de Pagan*. *Tertium* concedit illis, qui officiis publicis Regni Regisque miniſterio adfuerunt, ſcilicet *Petro Seguier* Cancellario Franciæ, *Guilielmo du Vair* Sigilli Franciæ Cuſtodi, ſive quod idem eſt, Procancellario, & ſimul Epiſcopo Lexovienſi, *Petro Jeannin* Parlamenti Burgundici Præſidi, *Paulo Phelypeaux* Secretario Status, *Joh. Baptiſta Colbert* Miniſtro Status, *Guilielmo de Lamoignon* Primo Parlamenti Pariſienſis Præſidi, *Jacobo Auguſto Thuano*, ejusdem Præſidi, *Hieronymo Bignon* Advocato Generali. *Quartum* tribuit variis Eruditis, quos inter ſunt Philoſophi, Hiſtorici, Oratores, Poetæ. Videlicet *Nicolaus Claudius Fabri de Peireſc*, Papirius *Maſſon*, Scævola *de Sainte-Marthe*, Paulus *Peliſſon* Fontanier, Petrus du *Puy* ſeu *Puteanus* Regiæ Cuſtos Bibliothecæ, Robert *Arnauld d'Andilly*, Antonius *Roſſignol* Magiſter Rationum (ſeu *Maitre des Comptes*) Renatus *des Cartes*, Antonius *le Maiſtre* cauſarum Patronus, Petrus *Gaſſendi*, Carolus *du Freſne* Dn. *du Cange*, Claudius *Perrault* Socius Academiæ Regiæ Scientiarum & Artium, Franciſcus *de Malherbe*, Joh. Ludovicus *Guez de Balzac*, Vincentius *Voiture*, Johannes Franciſcus *Sarraſin*, Petrus *Corneille*, Joh. Baptiſta Poquelin *de Moliere*, Philippus *Quinault*, Johannes *de la Fontaine*. *Quintum* tandem adſignat his, qui artes alias ſummo ſtudio coluerunt, velut Muſicam Joh. Baptiſta *Lully*, Architecturam Franciſcus

*Man-*

*Manfart*, Pictoriam Nicolaus *Pouſſin*, Carolus *le Brun*, Euſtachius *le Sueur*, Scalptoriam Jacobus *Calot* & Robertus *Nantuil*, Aurifabricam Claudius *Ballin*, & Mechanicam denique Blaſius *Paſcal*.

Vel ideo autem lubuit nomina eorum omnia, quos Elogiis extulit Perraltus, hic allegare, ut non modo fieret eorum recenſus, ſed ne, dum de paucis tantum commemorabimus (de omnibus enim id non licet) plures non extare in Opuſculo, aliqui forte perſuadeantur.

De *Richelio* refertur, quod anno ætatis ſuæ XXII Epiſcopatu Lucionenſi fuerit honoratus, atque hæc ſibi duo, miniſterio Regio admotus, propoſuerit exequenda, Reformatæ Religioni addictorum extirpationem, concuſſionemque magnitudinis Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ. De *Berullo* memoratur, quod usq; adeo ab omni ambitione alienus fuerit, ut tribus etiam vicibus renuerit Epiſcopatus dignitatem, dixeritque expreſſis verbis ad Regem Galliæ Ludovicum XIII, ſe malle, ſi pergeret Rex inſtare, Regno excedere, quam ad ſacra officia cujuscunq; demum auctoritate aut juſſu cogi; quodque idem Berullus auctor extiterit Congregationis Patrum Oratorii, ipſeq; manum admoverit ædi ſacræ extruendæ, tam ſanctæ cæterum vitæ deditus, ut Pontifex Maximus Angelum eum eſſe faſſus fuerit, non hominem; quod etiam ſingulari obierit mortis genere, d. 2. Octob. A. 1629, ætatis 55 animam emittens, cum Miſſæ officium celebraret, conſecrationiſque actui imminens hæc pronuntiaret verba: *Hanc igitur oblationem*; quem eventum aliquis expreſſit hoc epigrammate: p. 26. p. 27. p. 31. p. 34.

Cœpta ſub extremis nequeo dum ſacra Sacerdos
Perficere, at ſaltem victima perficiam.

De *Henrico Spondano* Benearnenſi, nato d. 6. Januarii A. 1568, Reformatæque religioni primum addicto, narrat inter alia Perraltus, Epitomen Annalium Eccleſiaſticorum Cardinalis Baronii, quam confecit, non fuiſſe ab hoc ſolum probatam, ſed in varias quoque translatam linguas, editamque prima vice anno 1612. Parum vero poſtea abfuiſſe, quin ipſe tempore belli, circa annum 1627 in Gallia adverſus Hugonotas geſti, aliquando a Duce Rohanæo caperetur in urbe Apamienſi, fracto tandem muro hoſtis effugiens furorem, mortuuſque Tholoſæ d. 18 Maii, A. 1643. p. 34. p. 36. p. 37.

*Petrus de Marca*, ipſe etiam Benearnenſis, qualis futurus eſſet,

ſingulari præſagio Sacerdotis Pontificii fuit oſtenſum, a quo recens
natus infans ſacro fonte fuit ablutus. Dixit enim ille, quanquam
p. 39. minus convenienter applicans verba Salvatoris, peracto officio: *Tu
es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Sane enim
p. 40. quantus hic Petrus de Marca extiterit poſtea, id & amplitudo munerum
quæ geſſit, & libri quos ſcripſit de Hiſtoria Benearnenſi, deque
Concordia Sacerdotii & Imperii, aliique docent.

p. 43. De *Johanne Petro Camus* Epiſcopo Bellicenſi jucundum eſt legere,
quod, cum a Cardinale Richelio monitus eſſet, ut abſtineret a
ſcribendis adverſus monachos libellis, dicente, ſe ipſum, ſi id faceret,
inter Sanctos referre velle, reſponderit: utinam, Vir Eminentiſſime,
id eveniret; ſic enim uterque noſtrum voti ſui damnaretur, ſi te Pa-
p. 53. pam, me vero Sanctum fieri contingeret. Memorabilis eſt porro
conſuetudo *Joh. Franciſci Senault*, Generalis Presbyterorum Oratorii,
quod ſuorum literis, quarum per ſingulas hebdomadas fere trecentas
accipiebat, reſponderit ipſe manu ſua, idque ideo, quod perſuaderetur,
fiduciam & amorem apud inferiores excitari, ſiquidem videant,
notitiam rerum in literis perſcriptarum ad ſolum magiſtratū perferri,
ab eodemque ſolo omnia expediri. Prolixa quoque eſt de Vita
54. 59. *Antonii Arnaldi* expoſitio, de qua cum aliunde & ex noſtris etiam Actis
p. 56. conſtare poſſit, nunc ex Perralto tantum allegabimus Nummum, qui
eo tempore cuſus fuit, quo Clementis IX Pontificis Romani, Regisque
Galliæ juſſu, agitatæ hactenus Facultatem inter Sorbonicam, Arnaldumque
& ejus aſſeclas controverſiæ fuerunt ſopitæ, natæque inde
in Eccleſia turbæ compoſitæ. Una illius pagina exhibet Regis iconem;
altera vero decuſſatim claves Eccleſiæ, & Galliæ ſceptrum
p. 57. in ara, his circum verbis: *Gratia & Pax a Deo*; atque ſubtus: *Ob Reſtitutam
Eccleſiæ Concordiam.* 1669. Obiit autem, incertum quo loco,
certe Gallia exul, d. 7. Aug. A. 1694, ætatis annum 83 agens: atque,
uti ſtudio Mathematico plurimum impenderat temporis, edidit ἀνωνύμως
*Les Elemens de Geometrie*, libellum a multis magni habitum;
p. 58. quemadmodum etiam ipſi tota debetur *la Grammaire raiſonnée du
Port-Royal.* Acta vero authentica, quibus Orientales Eccleſiæ ſuum
in doctrina Pontificiorum de Euchariſtia conſenſum teſtatæ ſunt,
quæque ab iisdem Arnaldus, ut defendere poſſet librum ſuum de Fidei
Perpetuitate, impetraverat, nunc aſſervantur Pariſiis in Bibliotheca
Regia

Regia & Bibliotheca Benedictinorum S. Germani in Pratis. *Jacobus Sirmondus* jam inde ab anno ætatis XV, Græcas Latinasque literas aliis tradidisse narratur, & obiisse cum annum exegisset XCIII, anno 1651. Parum vero abfuisse, inquit porro Perraltus, quin *Dionysii Petavii* consiliis adductus, Catholico-Romanam amplecteretur fidem Hugo Grotius, nisi ritus ejurationis publicæ illi obstitisset: exponitque etiam inter alias Henrici Vice-Comitis *de Turenne* virtutes, quod cum aliquando præceptorem suum, qui pœnam ipsi voluerat irrogare, gladio esset aggressus, jussu Patris ideo severissima animadversione exceptus, tamen ejus postea dormientis & a serpente petiti vitam nudato rursus eodem defenderit. De *Blasio* vero *Francisco* Comite *de Pagan* memorabile est, quod, etsi amisso tum ex vulnere, tum ex morbo, utroque oculo, tamen ediderit varios de re militari muniendique arte & de geometria tractatus, quales omnino simile miraculo est posse a cœco confici. De *Petro Jeannin* Parlamenti Burgundici Præside, qui sub initio hujus seculi Henrico IV Galliæ Regi a ministerio & legationibus fuit, refertur, quod omnia incrementa debuerit sibi, quæsitusque aliquando a Viro quodam, cum privatus adhuc esset & causas oraret, quantis gauderet opibus, responderit, non verbis sed gestu, manu scilicet caput tangens, & libros in armariis repositos commonstrans. De ejus taciturnitate illustre testimonium ipse Rex præbuit, cum de propalata re secreta ad reliquos ministros verba faceret, manu vero Jeanninum prehendens diceret: *Je reponds pour le bon homme, c'est à vous autres a vous examiner*; id est, pro hoc Viro in me recipio, vestram igitur vos reliqui conscientiam pertentate. De familia *Phelypeaux*, una ex inclutissimis, quas Gallia habet, singulare est, quod ea Regno huic dederit intra fere octoginta annos septem Secretarios Status; sicut & adhuc dum, qui redituum Regiorum summam curam gerit, Dn. de *Pontchartrain*, suam eidem debet originem. Inter pueros doctos collocandus est *Hieronymus Bignon*, qui anno ætatis X Descriptionem Terræ Sanctæ, anno XIII Antiquitates Romanas, tractatumque de Jure, & librum de modo eligendi Papam, anno XVIII Commentarium de Præcedentia Regum Galliæ præ aliis Regibus, tandemque anno XXIII Notas ad Formulas Marculphi omnis doctrinæ plenissimas evulgavit. De *Papyrio Masson* narratur, quod prænomen *Johannis*, quod acceperat, mutaverit in illud *Papyrii*, quoniam eodem

p. 95. p. 63. p. 67. p. 77. p. 99. p. 120. p. 106. p. 118. p. 128.

p. 129. eodem hoc Frater quoque ſuus gaudebat. De *Scæuola* autem *San-Marthano* notatu dignum eſt, quod Carolus I Rex Angliæ, cum adhuc Princeps Walliæ eſſet, faceretque per Galliæ provincias in Hiſpaniam
p. 131. iter, convenerit ipſum Loduni, in eo ſe, quicquid uſpiam eruditorum eſſet, videre profeſſus; quodque ejus Poëma, cui titulus *Pædotro-*
p. 132. *phia*, ſive de puerorum educatione Libri III, vivo ipſo decem, & fere totidem vicibus mortuo eo, fuerit recuſum; & quod denique præter *Abelem* filium, gemellos quoque ſuſceperit *Scævolam & Ludovicum*, utrumque Hiſtoriographum Regium, quorum tanta fuerit & corporum facierumque, & animorum ac eruditionis ſimilitudo, ut difficulter invicem potuerint ab aliis dignoſci. *Paulus Peliſſon Fontanier*
p. 135. defunctus d. 7 Feb. A. 1693, vel ex Hiſtoria Academiæ Francicæ celebris, cum tempore eo, quo Nicolai Fouqueti cauſa in Gallia agebatur, arci Pariſienſi, quam *la Baſtille* vocant, eſſet incluſus, ut tempus falleret, Poema ſub titulo *Alcimedon*, mille trecentisque verſibus conſtans, conſcripſit; ſed cum penna atramentoque careret & papyro, librorum marginibus, uſus fruſtulis plumbi, quibus feneſtræ firmari ſolent, eos illevit, reſtitutuſque poſtea libertati quotannis captivum ære
p. 142 - 143. ſuo conſuevit redimere. *Robertus Arnaldus d' Andilly*, rebus paſſim fortiſſime geſtis, conceſſit tandem in Abbatiam de Port-Royal des Champs, in quam, quod prorſus ſingulare eſt, mater quoque ipſius, ſexque ſorores & ſex filiæ ſeſe receperant, filium tamen *Arnaldum de Pompone* ſummis miniſterii Regii honoribus auctum vidit. In *An-*
p. 144. *tonio Roſſignol* Rationum Magiſtro proponitur exemplum Viri, qui excelluit in arte Cryptographica, natura quaſi ad evolvenda, quæ characteribus aut numerorum notis involuta erant, inſtructus. Sed in
p. 151. Chriſtina Sueciæ Regina exemplum amoris erga Philoſophiam *Carteſii* datur, quam illa quippe uſque adeo adamaverit, ut ſingulis diebus hora quinta matutina ſurrexerit, ut illi commodius poſſet vacare.

p. 155. Cæterum docet Perraltus, celebrem ex editione Novi Teſtamenti Virum Dn. *de Sacy* fratrem fuiſſe *Antonii le Maiſtre* cauſarum Patroni, qui Vitam S. Bernhardi concinnavit; & ſimul comparat *Pe-*
p. 156. *trum Gaſſendum* cum Renato des Cartes, ita ut cuivis ſuas fuiſſe vir-
p. 163. tutes, quibus excelluerit, dicat. Refert vero etiam non ſolum de *Carolo du Freſne*, quod morte præventus imperfectum reliquerit Chro-

nicon

nicon Paschale seu Alexandrinum, sed & de *Claudio Perrault* Medico, p. 164.167.
quod αὐτοδίδακτος, sola adjutus bonitate naturæ, summum fere attigerit apicem scientiarum artiumq; elegantiorum, mortuus d. 9. Octob. A. 1688, ætatis anno 75, postquam odore pestilenti, qui ex dissecto cameli cadavere prodierat, affectus inciderat in morbum. Inter p. 186.
Poetas Galliæ tantum sibi nomen peperit *Petrus Corneille*, ut, cum aliquando cistula Florentiæ facta Cardinali Mazarinio oblata fuisset, inter gemmas, & Homeri, Virgilii, Tassique imagines, quibus illa exornata erat, Cornellii quoque icon fuerit visa. Dum vero *Johannis* p. 191.
*Baptistæ Poquelin de Moliere* Comœdi vitam describit Perraltus, commemorat alia inter, quod is, cum a Præceptore suo moneretur, ut vellet id vitæ genus quod elegerat deserere, eidem ex adverso persuaserit, ut nomen suum inter Comœdos ipse profiteretur, Doctoris personam acturus in fabulis. Minus casta Poemata sua detestantium tan- p. 198.
dem Poetarum exempla dantur in *Philippo Quinault*, mortuo anno 1688. d. 26. Novemb. & *Johanne de la Fontaine*, defuncto d. 13. April. p. 202.
1695, ex cujus Fabularum præsertim lectione juventuti periculum esse non negat Perraltus; commemorans, *Carolum le Brun*, primum Regis p. 220.
Galliæ pictorem celeberrimum, sub mortis, quæ ipsi contigit d. 12. Febr. 1690, tempus, repræsentandæ in tabula Cœnæ Dominicæ operam dedisse; monstratque simul exemplis *Eustachii le Sueur* pictoris & p. 223. 236.
*Claudii Ballin* aurifabri incomparabilis, falli eos, qui persuadeantur, neminem excellere posse in artibus ingenuis, nisi qui sit Romam profectus, cum uterque horum ne Gallia, imo hic ne urbe Lutetia quidem p. 235.
excesserint; quo loco simul dolet Perraltus, opera a Ballino effecta, jussu Regis, quo sumtus in bellum nuper compositum impendendi sufficerent, disjecta fuisse & monetæ typis deinceps signata. Ultimus p. 237.
inter omnes, quorum vitas breviter enarrat Noster, est *Blasius Pascalis*, insignis Mathematicus, qui anno ætatis XVI tractatum de Sectionibus Conicis edidit, maximi ab eruditis habitum, annoque tertio post Machinam Arithmeticam invenit fecitque construi, beneficio cujus quidvis licuit supputare, absque non solum calami nummulorumque æreorum usu, sed & absque ulla regula Arithmetica, successu tamen prorsus infallibili.

*NICOLAI PARTHENII GIANNETTASII, S. J. Autumni Surrentini,*

Neapoli, apud Jac. Raillard, 1698. in 8. plag. 14½.

CArum omnino Muſarum elegantiorum amatoribus Parthenii nomen habetur, cujus feliciſſimum ingenium editis jam aliquot præſtantiſſimis monumentis eluxit. Ut Poemata venuſtiſſima alibi commemorata nunc ſilentio prætereamus, ſalivam moverunt Eruditis ejusdem Æſtates Surrentinæ, de quibus in Actis Tom. III. Suppl. ſect. IV. p. 145. dictum. Sequuntur Autumni pariter Surrentini, quos ut ipſe in dedicatione ad Excellentiſſimum Principem, Thomam Aquinatem, ſcribit, in ſeceſſionibus Surrentinis ac temporibus ſubciſivis elucubravit. P. 3. elegantiſſimum carmen, quod Surrentina Tempe inſcripſit, cum deliciarum iſtarum avido Lectore communicat, ex quo non minus ingenium doctiſſimi Auctoris quam ſinus tractusque illius fertiliſſimam ac jucundiſſimam oram diſcas. *Cap. 2. p. 16. ſeq.* meminit monumentorum quorundam Circæi fani, ſimulq; dubio collocutoris ſui Lucilii de loco fani illius, quod potius in Promontorio Circæo, in quo habitaſſe Circen fingunt, quærendum fuerat, erudite ſatisfacit. Sacellum vero Circæū, cujus hodie nonniſi rudera conſpiciuntur, adhuc Auguſti temporibus extitiſſe, fide Strabonis diſcimus ex Itinerario Fr. Schotti. P. 18. jacturam templi cujusdam pervetuſti, quod avaritia domini fundi exciſum eradicatumque fuerat, dolet. *Cap. III. p. 24.* argentifodinæ anno ſuperiori ad Nicatem montem infra Æſerniam inventæ meminit. P. 26 Saturni ope, quo cognomento a Phyſicis plumbum nuncupatur; aurum & argentum a reliquis metallis ſeparari docet, ita quidem, ut confuſa illa atque indiſcreta metalla una cum plumbo liquentur, hoc vero cætera conſumat ac devoret, & ſic defecatum aurum argentumque remaneat: addit inſuper, ideo Saturnum fingi filios devoraſſe, quod reliqua plumbum metalla conſumat. P. 29 de Perſicis nucibus pariter ac pomis obſervat, eadem in nativo ſolo noxii humoris eſſe, in Surrentinam translata terram vitium omne decoquere, verſusque Martialis ex L. XIII. Ep. 46. addit:

> Vilia maternis fueramus præcoqua ramis,
> Nunc in adoptivis Perſica chara ſumus.

Præcoqua hæc poma ad Virgil. L. II. Georg. v. 95. precias uvas refert doctiſſimus Vatis Bilbilitani Commentator Raderus, quamquam invito Taubmanno ad l. c. Virgil. Cap. IV. p. 38. de Phalangariis in iſta

ad

ad Capreas insulas regione, qui gestatoriis sellis homines in altissima montium fastigia deferunt, refert, id genus hominum tanta pernicitate per salebras illas saxososque colles, eosdemque angustos atque impeditos currere, ut mirum omnino videatur; additque, quamvis interdum sellæ, ut interposita saxa evadant, alte summo labore attollendæ sint, ipsique Phalangarii toti largissimo sudore defluant, ab incepto tamen eos neutiquam desistere; etsi ob nimiam defatigationem ad quingentos quosque passus Phalangarios permutare opus esset. Cap. V. p. 41-98. prolixissime Lusitanæ navis ad ultimum Africæ promontorium naufragium, quæ V. Kal. Febr. A. cIɔ Iɔc XCVI e Goano portu solverat, enarrat, multis fortunæ adversæ casibus insigne, quando miseri isti siti fameque divexati soleas calceamentorum igne tostas, nullo licet gustu, avide deglutiverunt; quin & pileos ad cinerem usq; decoctos comedere, sed inutili conatu tentaverunt, quia adeo amari & insipidi fuerunt, ut stomacho quamvis famelico magnum fastidium crearint. *L. II. p. 104. seq.* narrat, in Taprobana insula, quam Ceylanum incolæ dicunt, silvas cinnamomiferas quam plurimas esse, in quarum silvarum summis verticibus lanugo quædam concrescat, in qua mel & cera generentur, & utrumque horum cinnamomum simul redoleat. Addit, Lusitanos seculo superiori, quo & sylvæ & insula ad ipsos pertinebant (hodie quippe Batavis parent) ex ejusmodi cera candelas duxisse, & in Europam ad Lusitaniæ Regem transmisisse; Regem vero, quoniam quam paucissimæ afferebantur, nonnisi in suo sacello illis usum fuisse; ex accensis vero fragrantissimum cinnamomi odorem evaporasse, qui universum sacellum mira ac jucunda suavitate impleverit. P. 106 Lucilio quærenti, cur mel taxi venenatum existat, respondet, quod ea taxi natura sit, ut ejus humor noxius animantibus existat; additq; ex Aristotele, in Trapezuntis agro mel e buxis creari graveolentissimum, ut sanos in insaniam agat, insanos vero menti restituat. *Cap. II. p. 109. seq.* Auctorem Capuæ Rhetoricam docuisse discimus, adduntur q; duo lepida nimii studiorum amoris exempla, Auctoris alterum, alterum ejusdem Præceptoris. *P. 114.* piscis rarissimi, piscatoribus Vexillus sive Vexillarius dicti, mentio fit, longitudine sex pedes æquantis, amplitudine vero vix tres, aliquantulum repandi, ex planorum genere; crassitie vix majori soleæ supparis, colore ex cœruleo purpurante, paululum perlucidi & perquam lævis. *L. III.*

*C. I.* elegans Auctoris in nuperrimam Pacem carmen legas licet. *C. II. p. 200. seq.* narrat, mercatorem per interiora Libyæ deserta cum famulo iter fecisse, & ob vastitates illas larem undamque secum tulisse; accidisse autem, ut aqua deficiente, siti vero fauces quam ardentissime torquente, post reciprocas inter servum & dominum, ob unicum aquæ residuum cyathum, altercationes, eundem multis aureorum millibus dominus a servo periculum vitæ intentante redemerit, quod speraret servus, fore ut brevi puteo potiretur; & vero hac spe utrumque frustratum, ambosque ardentissima febri correptos tandem interiisse. Servum autem ante, quam fato concederet, totam in arena tragœdiam scripsisse, & hac ratione cognitam a viatoribus rem fuisse, qui illa ipsa pecunia monumentum struxerint cum epigraphe, qua tota historia breviter narrabatur. *P. 205* Auctor Nepetiæ hominem octogenarium se vidisse testatur, grandi statura, vegetum & succiplenum, qui rogatus, quo cibo usus esset ad valetudinem conservandam, responderit, se singulis diebus loco cœnæ vespertinæ castaneis subcinericiis pastum, & frigidam bibisse, atque hujusmodi cibo pinguem factum, & optima semper valetudine fuisse. *Cap. IV. p. 229* camelos, cum proli indulgent, dies 40 a cibo & potu abstinere, perhibet. *Cap. V. p. 239.* scopuli cujusdam meminit in ora Surrentina, in quo olim Neapolitanam Reginam cum primis Regni Proceribus convivium celebrasse, senes ab aliis acceptum senibus tradiderint. Addit p. 242, jussisse hanc Reginam, ut si quæ mulier hoc in scopulo peperisset, partus immunis a tributo foret; qui vero in eodem contractus quosdam celebrassent, res eorum rationesque contractæ liberæ a quovis onere essent. *Cap. VI. p. 253. seq.* verba Statii Silv. III. *Iliaca longe nimbosa Sororis Astra fugate*, explicat *Noster* de facibus, quas in summis antennarum verticibus & in malis summis, geminas interdum, interdum solitariam unam apparere nautis compertum est, quas quidem faces ipsi stellas dicunt. Esse autem addit ex illarum stellarum genere, quæ sereno cœlo noctu transcurrere videntur ac veluti conflagrare, a Physicis cadentes dictæ. Atque huc respiciens Poeta *astra* vocavit; *nimbosa* vero, quia cum duo ignes collucent, Tyndaridas esse putant, faustum omen & prosperum felicis navigationis auspicium, at solitarius unus cum ardet ignis, Helenam credunt, infaustum omen & calamitosum, nempe cujus raptu Europa & Asia conflagrarunt. Idcirco

co Tyndaridas vult insistere cornibus, quippe lætos & felices auspices; arceri vero Helenam, ut quæ mali infaustique cursus prænuncia sit. Quantum vero in Apiciana arte Noster profecerit, passim videas, nec minus palato stimulando, quam menti deliciis literatis exsaturandæ, aptissimos hos Surrentinos Autumnos esse dixeris. Nos vero Auctori doctissimo vitam & incolumitatem precamur, ut pari famæ dignitate ad Ver & Hyemes Surrentinas accedat, & de publica re litteraria, quæ hoc nomine ei plurimum debet, bene porro mereri pergat.

Lectori vero rem gratam facturos credimus, ubi Elogium & Epigramma, quod in Auctoris nostri laudem elegantissimus Petrus Francius scripsit, ex his Autumnis Surrent. p. 115 (quod ipsum & in altera Francii Poematum editione, quæ Amstelodami A. 1697 prodiit, legitur) addiderimus.

Nomine Parthenias dictus Maro carmina scripsit
  Formoso recubans littore Parthenopes.
Carmen ad exemplum docti geniumque Maronis
  Parthenopes scribit littore Parthenius.
Rura Maro cecinit, pecudumque hominumque labores:
  Lina, plagas, pisces, & mare Parthenius.
Nobile Parthenopes ambo decus, ille per agros,
  Iste per æquoreas usque canetur aquas.

## *EDUARDI LUIDII, APUD OXONIENSES CIMELIARCHÆ Ashmoleani, Lithophylacii Britannici Ichnographia.*

Londini, 1699. in 8. Constat plagul. 19.

PRæsentis Lithophylacii, cujus nonnisi centum & viginti prodierunt exemplaria, Autor Clarissimus, per quatuordecim annos singulari excoluit diligentia eam imprimis Physices partem, quæ Fossilium explorat naturam. Nec defuit ipsi idonea eandem illustrandi occasio, utpote adjuto & Oxoniensium Musæo, cui præest, Ashmoleano, & munificentia Mæcenatum, quorum sumptibus in hunc usque diem, peragrando Angliæ regiones, curiosa lustrat, sibique familiaria reddit. Totam vero, quam hic sistimus, Lithologiam in duodecim redegit Classes, quarum I. continet Lapides crystallinos iisque affines,

II Lapides corallinos, III. Lithophyta, IV. Fossilia turbinata, V. Bivalvia fossilia, VI. Crustacea punctulata, VII. Fossilia tubulosa, VIII, Malacostraca, seu Fossilia ad Crustacea forcipata referenda, IX. Ichthyodontes cuspidatos, X. Ichthyodontes scutellatos, XI. Xylostea seu Ossa fossilia &c. XII. Ichthyospondylos, quibus deniq; annectuntur Fossilia effigiata anomala. Ne tamen obscuriores classium denominationes Lectori ullam pariant difficultatem, earum explicationes præmittuntur singulis Catalogis, qui recensent lapides sub ipsis comprehensos, & secundum capsularum, in quibus asservantur, ordinē distributos. Descriptionem enim specialiorem lapidum, quorū numerus in hoc libello ad 1766 ascendit, frustra sibi pollicebitur Lector, quippe qui quoad nomen solum locumque natalem indigitantur. Illustrationis attamen majoris gratia, hinc inde figuræ inseruntur æneæ, tabulis viginti duabus comprehensæ, rarioresque exprimentes lapides. Lithophylacio huic postremo affiguntur loco VI Epistolæ, ad sequentes Viros Celeberrimos exaratæ. Prima data est ad nostrum Rivinum, agens de Lapidibus nonnullis ab ipso acceptis. Secunda ad D. Guilielm. Nicolson, continens Encrinum Lachmundi aliosve rariores Lapides, e Cumbria ipsi transmissos. Tertia ad ipsum Autorem est directa, in qua Richardus Richardson M. D. curiose disserit de Entrocho Lapide, Conchitis & Lithophytis &c. Quarta conscripta est ad Joann. Archer M. D. explanans Asteriam & Belemnitem. Quinta ad Tancred. Robinson M, D. quæstiones nonnullas circa Marina Fossilia & Stirpes Minerales explicans. Sexta denique ad Joann. Rajum, inquirens in Fossilium Marinorum Mineralium originem.

Literarum harum accuratius in præsentiarum instituere examen, prolixum nimis fore non immerito autumamus. Sufficiat proinde speciminis loco paucis adhuc indicasse modum, quo Lithophytorum atque Fossilium Marinorum origo declaratur. Facta subinde horum concretorum mentione in Epistolis, ea præcipue in postrema sub examinis accuratioris revocantur incudem. Monstrata siquidem prius rationibus pluribus falsitate sententiæ, qua concretorum horum origo vel a diluvio, vel a virtute salium plastica derivatur, Autoris hypothesis, seminio tanquam fundamento innixa, adjicitur. *Qui enim ex mari feruntur vapores*, sunt verba Autoris, *& forma pluviæ aut nebularum super-*

*ſuperiora terræ ſtrata ad requiſitam altitudinem pervadunt, teſtaceorum & multorum piſcium ſeminio ſæpius imprægnantur, atque exinde pro data ſeminii portione, & pro matricis congruentia, formantur alias piſces integri, alias eorum tantum lineamenta, alias dentes, mandibulæ &c. atque inter cruſtacea, nunc integra animalia, quandoque eorum articuli, inter teſtacea nonnunquam univalvia, & ſæpius bivalvia.* Eandem quoque ſententiam fovet de origine foliorum mineralium. *Notandum enim*, inquit, *ea ut plurimum eſſe plantarum, quas minus perfectas vocare ſolemus, quarum ſemina cum ſint minutiſſima, tanto facilius abſorpta, in terræ penetralia devehuntur.* Attamen hypotheſin hanc difficultatibus ſatis prægnantibus premi adhuc, vel ipſe confitetur Autor ingenuus. Sibimetipſi idcirco movet decem dubia haud levidenſia, quibus an omni ex parte in ſeqq. ſatisfaciat, Lectoris relinquimus judicio. Ut tria tantum priora attingamus, utique poteſt quæri, an plantarum animaliumve ſemina lapidum poros penetrare poſſint? Poſſe, reſpondet Auctor, experientia ſubnixus, quod terra quidem Bufones, mari Dactyli in mediis ſaxis ſubinde inveniantur. Quæri poteſt, num credibile ſit, corpora vitæ expertia & loco præternaturali incluſa creſcere? Eſſe credibile, reſpondet Auctor, quia conchylia etiam in viſceribus animalium naſci & creſcere, experientia teſtetur. Quæri poteſt, num veriſimile ſit, duriſſima ſaxa incremento corporum talium cederes? Veriſimile eſſe, regerit Auctor, quia conchylia marina, imo & duriſſima ſaxa ſtirpium radicibus cedant, ac Calcarium ſaxum Dactylis det locum. Unum ſupereſt, quod ſilentio prætereundum non videtur; moliri nempe Auctorem diligentisſimum tum Archæologiam Britannicam, tum Cambriæ inprimis Etymologicum Geographicum; quibus operibus ut apparatum idoneum conquireret, a quibusdam Cambriæ Nobilibus, ad peragrandam luſtrandamque Cambriam vicinaſque ditiones, in quinquennium annuum ſibi ſalarium conſtitutum, in Præfatione memorat, eorumque generoſam munificentiam merito deprædicat.

## NOVA LITERARIA.

IN Anglia Oxonii ex theatro Sheldoniano proditura eſt nova Operum S. Irenæi editio, induſtria Viri doctiſſimi, *Joh. Erneſti Grabii*, cujus

cujus Spicilegium SS. Patrum ut & Hæreticorum seculi post Christum natum primi, nupero mense Junio pag. 256. seq. recensuimus, adornandam. In ea præter antiquam Latinam versionem ex manuscriptis codicibus emendatam, Græca etiam Fragmenta ex variis manuscriptis codicibus collecta, cum variorum notis continebuntur. Ibidem Vir Clarissimus *Jo. Hudson*, cujus Scriptorum Græcorum minorum Geographiæ veteris Volumen primum nuper ad nos pervenit, in Actis hisce proxime recensendum, Dionysii Halicarnassæi novam editionem meditatur. Amstelodami Judæi, cura *Josephi Atiæ*, Maimonidis Operum omnium editionem parant, in qua omnium commentatorum Glossæ ac Animadversiones, quæ separatim hactenus prodierunt, peculiares item notæ R. *Levi Aben Chaviv*, nec non 613 Præcepta Mosaica cum discrepantiis Nachmanidis & R. Isaaci de Leon exhibebuntur. Ibidem *Franciscus Halma*, Bibliopola hactenus Ultrajectinus, deinceps Amstelodamensis, Historiæ Byzantinæ Scriptorum, qui hactenus Potentissimi Galliarum Regis auspiciis ac sumptibus prodierunt, novam, forte & accuratiorem, editionem molitur, viris doctis id daturus negotii, ut Græcorum Scriptorum Latinas versiones sub examen revocent, atque ubi opus fuerit, emendent. Editurus insuper proxime est Amstelodami Vir Eruditissimus *Janus Guilielmus Meelius* Hotomannorum Epistolas, una cum Centuria Epistolarum diversorum auctorum. *Dionysii* vero *Petavii* Dogmata Theologica, sex voluminibus in folio comprehendenda, nonnullisque adaugenda tractatibus, qui in prima editione non comparent, sub prælo dudum gemunt. Opera etiam *Augustini* ibidem, juxta editionem Parisiensem Patrum Benedictinorum, denuo imprimuntur, decem in folio voluminibus, nec sine accessione novarum notarum criticarum. Denique nec id ignorare Lectorem Benevolum cupimus, Viri doctissimi integerrimiq; *Vincentii Placcii*, hoc ipso anno d. 6. Apr. defuncti, magnum de Scriptoribus Anonymis & Pseudonymis Opus, duobus in folio, ut vocant, voluminibus comprehensum, absolutum a Viro beato fuisse, nuncque in manibus celeberrimi Viri *Gerhardi van Mastrich* Reipublicæ Bremensis Syndici, versari, publicæ luci exponendum, quamprimum Bibliopola quis sumptus in eam rem faciendos in se receperit.

* * * * * * * * *

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipsiæ*

*Calendis Augusti, Anno M DC XCIX.*

*RAPHAELIS FABRETTI, GASPARIS F. URBINATIS, Inscriptionum antiquarum, quæ in ædibus paternis asservantur, explicatio & additamentum.*

Romæ ex offic. Dom. Ant. Herculis cIɔ. Iɔc. XCIX. fol. Alph. 8. pl. 16.

Qui non ignorant, quam late pateat doctrina, quæ marmore aut ære, arcubus aut pilis, statuis & saxis, atque aliis publicis privatisque operibus, ad omnem posteritatis memoriam factis consecratisque continetur; ii quo dolent magis, nihil prope ejus industriæ ad nostram mansisse ætatem, quam in describendis lapidibus, ex iisque colligendis insignium rerum momentis, Philochorum Atheniensem, Polemonem Periegetæ nomine celebratum, Aristodemum, aliosque, priscis temporibus collocasse, e Suida, Athenæo, enarratore Apollonii, & aliunde constat: hoc vehementius gaudent, cum literis, in lucem revocatis, fortissimos antiquitatis hujus vindices extitisse, horumque principes, Cyriacum Anconitanum, Felicem Felicianum Veronensem, ejusque æqualem Jo. Marcanoram Patavinum medicum, sigillatimque Janum Gruterum, & secundum Ant. Bosium Mediolanensem, aliosque, Th. Reinesium, ac Jac. Sponium, qui partim itineribus longe lateque susceptis, partim incredibili labore, aliorumque ope, antiqua Græciæ Latiique, quæ quidem explorari potuerint, monimenta e disjunctis terrarum partibus in unum contulerint, digesserintque fere ordine, nec segnius tam emendarint, quam explanarint. Ac quum jam pridem ii, qui his de literis recte sentiunt, optarint, in Italia potissimum, tanquam in ipsius sede antiquitatis, tot hominum eruditissimorum excitari aliquem, qui gloriam amplitudinemque Norisii, Ciampini, Fabretti,

Pagii, aliorumque ingeniis Italico nomini noſtra memoria partam, hac præcipue cura illuſtret, ut ſaxa, in oculis omnium infixa, coram inſpiciat, horumque exempla, vel exſcriptorum ad antiquæ fidem normæ exigat, vel nondum cognitorum naviter conquirat, ac quicquid omnino veterum inſcriptionum adhuc latuerit, id pro virili parte e Muſeis aliorum, ac ſchedis, & undecunque, excuſſum promat: dubitare profecto non poſſumus, quin ampliſſimus labor, ab eodem Raphaele Fabretto, V. C. eodem in ſtudio conſumtus, apud intelligentes antiquarum rerum exiſtimatores gratiam inierit, quem multi, qui talem tantumque norunt Virum, ſuſpenſis expectarunt animis, ex quo Jo. Mabillonius, ex Italia redux factus, orbi humanitate imbuto eum ſpopondit. Quo quidem opere quid tandem rerum agat CL. Fabrettus, ne neſciamus, intelligendum eſt, eum quidem, qua utitur verborum modeſtia, non tam per omnia placere eruditis, quam imperitioribus ac tironibus prodeſſe voluiſſe; re autem vera id dediſſe operam, ut rem epigrammaticam iis ornet augeatque ſubſidiis, quæ in domeſtico Muſeo, multorum perveſtigatione annorum inſtructo, aliorumque vel opera, vel muneribus, locupletato, poſſedit ipſemet; iisdemque adjumentis inſcriptiones, a ſuperioribus in vulgus editas, emendet paſſim ac reſtituat, caſtiget atque explanet, ab aliorumque corruptelis vindicet, & quicquid diſſerat, id e ſuis doctrinæ præſidiis repetat moderate, præcipuaque inſcriptionum fide comprobet, ſuis nixus opibus, relictiſque aliorum ſcriniis, a quibus compilandis prorſus abhorret. Ne vero miremur, undenam V. CL. tam lautam rerum harum ſupellectilem ſibi compararit, meminiſſe juvabit, eum Jo. Lucii Traguriensis, mathematici pariter atque omnis antiquitatis inveſtigatoris, exemplo hortatuque ad hoc ſtudiorum genus incubuiſſe, & quicquid otii a reliquis fuerit negotiis, id demum in deſcribendos contuliſſe lapides, paullatimque ditaſſe atque exornaſſe Muſeum, cum ope aliorum beneficioque, tum ſua ipſius arte quadam; id quod ipſemet noluit ignorari. Nam a foſſoribus, modico invitatis pretio, inſcriptiones & ſigna laterum accepit, ſacriſque reliquiis extrahendis & cuſtodiendis a Purpurato Patre, Gaſpare de Carpineo, præfectus, quo munus hoc geſſit triennio, omnibus omnino inſcriptionibus potitus eſt, quotquot in locis religioſis comparuerunt. Quibus magna eſt acceſſio poſtea facta, quum Carolus Barberinus, magni illius Franciſci Bar-

Barberini fratris filius, ex illustri bibliotheca copiam ei fecit omnium inscriptionum, quas patruus quondam ex omnibus orbis Romani partibus coegerat, quasque tanto comprehensas volumine reliquerat, uti Gruterianum Thesaurum numero superarent. Nec parvo ei usui fuit humanitas Laurentii Corsini, qui cæmenta villæ, ad portam Aureliam exædificandæ, cum quæreret, eam sepulcrorum, vetustate collapsorum, copiam aperuit, ut parvam quasi urbem detexerit, ex iisque marmora plura muneri dedit Fabretto, multaque alia monimenta concessit describenda. Accessit liberalitas Cæsarini Signinæ urbis, & Alexandri Jovii Ducum, qui eum lapidum non paucorum munere affecerunt; singularisque Justiniani Bassani Principis gratia, qui ei, in suorum ad Flaminiam hortorum adyta admisso, interiora ostendit cuncta, quæ, nemini adhuc visa, binas terrenas aulas acervatim opplebant. Grata etiam commemoratione recoluit memoriam Josephi de Juliis, sigillatimque Philippi Bonarroti, quo comite, vineas omnes, a quibus inscriptiones sibi promiserat, perscrutatus est; neque id sine periculo, cum rustici tantum perquirendi studium ægre ferrent. Tacemus Philippum Abbatem a Turre Forojuliensi, & Canonicum Franc. Blanchinum Veronensem, aliosque complures, qui laudantur passim, ab eoque eodem, quo Pighius, Velserus, & Smetius a Grutero, numero habentur. Illud prætermittendum non est, indoctorum quoque hominum manus profuisse Fabretto, quibus præceperat, ut summos lapides leviter abstergerent, sic ut pulvis situsque in concavo literarum spatio relinqueretur. Chartam deinde bene humentem applicari, & linteolo in globum circumvoluto, sive arida spongia imposita, tantisper comprimi jussit, dum ea in vacuum elementorum spatium descenderet, & sordibus ibi relictis tingeretur, quo literarum color aliquis & profunditas impressa conspiceretur, atque adeo eadem, denuo exsiccata, non minus colore, quam duritie, literas affabre sculptas servaret.

His igitur fretus adminiculis, magno animo laborem suscepit, opusque in *decem* tribuit *Capita*, quorum *I.* exponit de Titulis & Columbariis, *II.* de Operculis ad lacrymas & libationes excipiendas, deq; Geniis, ac Manibus, *III.* Affectus cognatorum, atque parentum in filios & contra, *IV.* Affectus conjugum, *V.* inscriptiones a Patronis & Dominis, & contra, atque ab incertis, & singularibus, positas, *VI.* Sacra & Ministros sacrorum, *VII.* Figlinarum Tigna, aliaque miscella-

nea, *IIX* Monumenta Christianorum, *IX*. Gentilitia nomina, quorum Gruterus non meminit, *X*. Miscellanearum inscriptionum Sylvam. Eam autem ordinis rationem iniit, ut primo e Musei sui copiis efferat inscriptiones, harumque plerasque quidem Latinas, Græcarum tamen etiam nonnullas, easdemque, ut proprias ac domesticas, a mutuatitiis ac peregrinis Romani signo numeri distinguat. Has porro vel temporum iniquitate corruptas, quoad ejus fieri potest, reficit, vel obscuras illustrat, idque cum aliorum doctrina scriptorum, tum solemni inscriptionum comparatione, quas, barbaris dispunctas notis, vel jam divulgatas a Grutero, Reinesio, Sponio, ceterisque, vel nondum eruditorum usu tritas, e schedis Vaticanis, Chisiis, Fr. Cameli, Peniæ, e Sabbatino, Ciampino, Bellorio, Carpineo, Magnino Museis, ex MS. L. Holstenii, ex suis etiam commentariis, sigillatimque e schedis Barberinis, aliorumque, accepit. Sub calcem vero librorum plerorumque subjunxit Notas, quibus vel explanationem superiorem reddit explicatiorem, vel quæ uberius explicanda videbantur, exponit, idque cum judicio modi, quo nihil ei antiquius est, servandi, pagina asteriscoque semper adjectis, quo locum explicatum invenire possis. Perpetua vero oratione Gasp. Fabrettum, cui librum inscripsit, affatur, & docet. Quem quidem fratris filium quid doceat tandem, ut ii, qui nondum hunc legerunt librum, nonnihil sciant, animadvertendum est, eum, Capite *primo* de Titulis & Columbariis cum agatur, per Titulos intelligere contractas nominum tabellas, quæ ollis cinerariis præfixæ fuerint, eosque negare negligendos esse, e quibus prænominum ratio, & columbariorum notitia, peti possit. Hos ait plebejorum, atque adeo servilium capitum nominibus insignitos, horumque binos plerumque per singulos loculos parieti affixos, suis quemque ollis subditos fuisse. Sæpe vero binis ejusdem loculi ollis duplices respondere titulos, uno quodam lapide comprehensos. Columbaria exponit per loculos ollis cinerariis asservandis destinatos, subditque inferius, crebrius duplices ollas in quovis columbario receptas fuisse. Mox refellit Reinesium, qui per ea alicubi intellexerit columbarii, in quo alerentur columbæ, locationem; idque expressa quadam effigie, quæ exhibet decem columbaria, in iisque quadraginta ollas, quæ in agro Fontejano sub scalis Palangariorum ad viam Aureliam apparuerunt. Postea vero, quam adversus Gutherium evicit, vasa obrendaria ea esse ipsa, quæ alibi *fictilia sarcophaga* dicantur,

eadem-

eademque ad corpora integra obruenda comparata; docet, quum corporum alia combusta, in ollisque & urnis tam fictilibus, quam marmoreis, condita fuerint; alia integra in arcis lapideis seu sarcophagis deposita; alia denique in fictilibus infossa capsis: varia quoque fuisse conditoria, ollasque minores in suis columbariis, urnulas ollasque majores in ædiculis & cinerariis, arcas lapideas in superioribus partibus collocatas, & sarcophagos fictiles in pavimento defossos. In quo quidem argumento præcipua inscriptionum opera pervincit adversus Alex. ab Alexandro, de cujus plagiis, male compactis, inferius male sentit, usum tam cremandi, quam humandi, eorundem consuetudine temporum celebratum, nec lege quadam, quæ conficta sit, sed more, neque eo quidem constanti, receptum fuisse, uti corpora, quæ primum humi condebantur, crebrius posthac cremarentur. Quam quidem consuetudinem ad Theodosii usque M. patuisse tempora, e Jac. Gothofredi animadversione, posteaque humandi more cremandi ritum extinctum, e Macrobio demonstrat. Ad extremum ollariorum seu columbariorum ichnographiam, justis distinctam intervallis, ollarumque formam & magnitudinem, excudendam curavit. Capite *altero* cum agit de Operculis, illud titulorum genus persequitur, quo cinerariæ angusti oris urnæ contegebantur. Hic ubi ostendit, foramina, quibus pertusa fuerint opercula, recipiendis parentum conjugumque lacrymis inprimis serviviffe, Geniorum varietatem quo exponat, tradit primo, inscriptionum auctoritate fultus, Genium defuncti sumi pro ipsius Manibus; deinde ex Apulejo atq; Augustino, Genium humanum esse animum, quoad in corpore versetur; tertio fide Plutarchi, Platonis apud Apulejum, & Censorini, esse potestatem quandam inter hominem & Deum, atque adeo differit de duplici genio; quarto ex Festo Pompeio, esse Deum, qui vim obtineat omnium rerum gerendarum; quincto subjicit inscriptiones, Genio viventium nuncupatas, vel ut animo humano, vel ut bonæ cuidam ipsius animi cupidini; sexto e Censorino & Apulejo, Genium nobiscum gigni, vel esse Deorum filium, e Festo; septimo dedicationes non raro fieri Geniis ipsarum rerum inanimarum, corporisque alicujus politici, suarum exemplis inscriptionum comprobat; demum ex Petronii fragmento observat, Genios etiam sine adjectione appellari *tutelas*, quorsum explicat inscriptionem Gruterianam. Exposito Geniorum

 argu-

argumento, Manes pertractat, quos cum H. Norisio contendit summatim, esse vel ipsas defunctorum animas, vel Deos inferos, sub quorum potestatem hæ, corporeis solutæ vinculis, redigantur. Alterum auctoritate inscriptionum, quemadmodum solet, firmat, lectoremque ad ampliorem Norisii enarrationem delegat; alterum perinde, prolatis inscriptionum testimoniis, conficit, speciatimque inscriptionibus Græcis, in quibus Dii manes ΘΕΟΙ ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΙ vocantur. Iisdem, subtexit, Manibus antiquitatem, superstitione depravatam, lucis hujus fruendæ arbitrium permisisse, idque inscriptione evincit illa, qua manes fatorum arbitri appellantur. Omittimus, quæ de siglis notisque, vel inferius de horis, earumque divisione, & segmentis, in inscriptionibus obviis, de scrupulis item ex Jul. Polluce, Ptolemæo, Plutarcho, Irenæo, Rhabano Mauro, Josepho Scaligero, & aliunde; de execrandi item ritu, a paganis æque, ac Christianis, adversus violatores sepulcrorum adhibito, atque adversus Reinesium excusato, aut amplius traduntur. At CL. Fabrettum, reticere non possumus, novam Theonis recensionem orbi erudito polliceri ab Eruditissimo Benedicto Averano, quem confirmet hunc Ptolemæi enarratorem cum codice manu exarato, qui Mediceæ sit bibliothecæ, diligenter comparare, novamque ejus interpretationem moliri. Capite *tertio* ex occasione inscript. XIII. de Prætoriis cohortibus, ab Augusto institutis, dicere ingressus, quarum Tacitus Annali quarto novem, Dio. lib. LV. decem, memoriæ prodiderunt; utrumque scriptorem pro sui ratione ævi exponit, repudiato Lipsii judicio, qui Tacitum secutus Dionem erroris accusarat. Mox eidem negat Lipsio, caussam esse, quamobrem apud Tacitum quatuordecim, quam quatuor, urbanas sub Vitellio cohortes legi malit, demonstratque, quod quidem sciat, primus, quatuor illis cohortibus Vitellianis cum numero decimæ tertiæ cohortis urbanæ bene convenire, modo recogitemus, primam urbanarum cohortium decimam esse appellatam, & continuata quadam progressione post novem, munere suo digniores, Prætorias cohortes, sub Tiberio ex ultima Augusti institutiõe sic numeratas, de quibus loquatur Tacitus, subsequentes numeros X. XI. XII. tres primi illius census cohortes urbanas occupasse, quas quidem ad Constantini mansisse tempora, seu tandem ad pristinum numerum, numerandique rationem superiorem esse revocatas, inscriptione subjecta firmat. Dehinc cum evin-

cere

cere parat, Lipsium dubia admodum fide Dionis ævo plures denis cohortes Prætorias tribuere, quoque declaret, sub M. Aurelio, Pii F. easdem ad decem jam redactas fuisse; expromit marmor, quod eo rarius judicat, quo clarius Centurias Statorum Evocatorum idem commemoret, quos, nec fortasse alios, cum apud Tranquillum legeret Lipsius, miratus est, nullam eorum memoriam, aliis literarum monimentis consignatam, extare. Ut mittamus, quæ de apicum in lapidibus usu, a temporibus inde Augustis repetito, docet; quam dignum lectu est perelegans funebris orationis fragmentum, quod e Museo Carpineo promit, inferiusque conjectura quadam resarcire studet, tam laudandus profecto conatus, quo clarissimam Helvidiorum stirpem inde a Cæcinna Pæto atque Arria e lapidibus, æqualibusque scriptoribus, refert, justaque ordinis serie contexit. Nec nullius sunt ingenii, quæ exponit de ratione Asciæ, quæ in summo incisa lapide, eruditorum conjecturas in diversa sententiarum studia distraxit, cum primisque in lapidibus Lugdunensibus conspicitur, ubi extat: ET SUB ASCIA DEDICAVIT. Derelictis Manutii, Aimari Rivalii, Pierii Valeriani, Reinesii, Chorerii, Sponiique, judiciis, eos putat, quibus per mediocris fortunæ rationes marmoreos condere tumulos minus licuerit, lateritios hos exquisito fabricandi artificio struxisse, ejusque moderationis suæ testimonio, & forsan cum quadam magnificentiæ, in modico quæsitæ, ostentatione, professos esse, se SUB ASCIA, hoc est, unius asciæ ope opus tam præclarum fecisse. Inde profert in medium Rusticeliorum monimentum, quod anno superiore negotiatores vinarii sub Testaceo tumulo aperuerunt, veterum dignitate possessorum insigne, atque antiquitate ipsis R. P. temporibus conjunctum. E quo Carolum Patinum corrigit, nummumque ab eo editum, & Celiæ attributum, Rusticeliis reddit, ejusdemque occasione perobscuram investigat originem Testacei collis, sub quo monimentum, id quod prædiximus, inventum est, nemini veterum, nisi Sex. Aurelio Victori, & scriptori Notitiæ Imperii, *Dolioli* nomine memorati. Capite *quarto* inter alia veteres tam effuse laudasse mortuos, ut nulla non inscriptio sepulcralis hyperbolica sit dicenda, positis ante oculos exemplis, ostendit. Postea de militia Vigilum, quæ alibi minus inveneris, exponit. Ac primo quidem muros, quos septem Vigilum cohortes in urbe tenebant, interpretatur ipsas cujusque regi-

regionis ſtationes, Fam. Nardino, poſtremo argumenti hujus explanatore, confutato; quem nec Dionem capere, nec falſo non opinari, ſeptem illas cohortes ad triginta & octo progreſſu temporum auctas fuiſſe, ut pervincat, Rufum, Victorem, ac Notitiam Imperii emendat; quadamque inſcriptionum acceſſione Gruterianis adjuncta, ubi VII tantum cohortes comparent, editoque Victoris fragmento, quod Illuſtris Vir, Gu. Godefridus Leibnizius (qui & ipſe adjectis quibusdam animadverſionibus eundem refellit Nardinum) cum eo communicavit, obſervat demum, illarum VII cohortium ſingulas totidem centuriis conſtitiſſe. Miratur inde, qui factum, quod Laur. Pignorius, doctiſſimus Servorum expoſitor, data diſſerendi occaſione, munus Vicariorum ne attingat quidem. Quos cum per *ſubſtitutos* expoſuerit Sponius, refellitur, aliiſque deinde interpoſitis, feruntur demum Chriſtiani ultimorum temporum memorias tituloſque Paganis nonnunquam abſtuliſſe, eiſque ſuos occluſiſſe loculos, ſuis ipſorum nominibus inſculptis, prioribuſque profanorum inductis, aut eraſis; id quod Paganis lege interdictum fuiſſe docetur. Nec nullius ſunt momenti, quæ ediſſeruntur de conjugibus Virginiis ſive Univiris, earumque prærogativa, ex inſcriptionibus, Livio, Tertulliano; de iis itidem, in quorum vita obituque annorum, menſium, dierumque numerus exæquatur, quique diem eundem natalem, ac fatalem, habuerunt, quorſum Attalus rex, Pompejus, Ofilius Hilarus, Henricus Cardinalis idemq; Rex Portugalliæ, referuntur. Quoq; intelligas, veteres canũ quoque fidem, avicularumque dulcedinem, memoria dignam habuiſſe, quædam inſcriptionum exempla producuntur, in iiſque lepidum luſciniæ epitaphium, quod fuit in antiquo vaſe minutiſſimis literis inſcriptum. Capite *quincto* non luſerit fortaſſe operam, qui legerit, quæ diſſeruntur de Equitibus Singularibus, argumento certe, quam inſcriptionum veterum uſu contrito, tam eruditorum ſententiis diſcrepante. Quos quidem conſtituit CL. Fabrettus gradu militiæ Prætorianis proximos, cum munere cuſtodiæ, tum prætenturæ vicinia, & Noriſio aſſentitur, Neronis principatum ætate anteceſſiſſe, Marcello Donato, Claudioque Salmaſio, refutatis, Lipſii etiam atq; Hermanni Hugonis ſilentio in re commemorabili caſtigato, Reineſioque pro parte collaudato, qui Singulares quaſi Singularios, Singulatores, uno merentes equo, interpretatur. Nec tædeat perluſtrare monimentum,

Mar-

Marcio Hermæ factum, cui Phœnix, ſuo inſiſtens rogo, utrinque adjectus exponitur de ſpe æternitatis, ſeu perſuaſione æternæ feliciorisque poſt præſentem vitæ, Poetis pariter, ac pleriſque Philoſophorum familiis, nec minus Inſcriptionibus, quæ SPEI ÆTERNAE, & PERPETVAE FELICITATI, aut AETERNAE ANIMAE nuncupatæ ſunt, celebratæ. Ut autem ſilentio tranſimus, quæ de Caſtris Prioribus conjicit primus: ita ſummatim indicamus, quæ de Octoviris & Seviris Auguſtalibus uberius diſputantur. Principio Fabretto negotium exhibuerunt Octoviri, de quibus omnes ſilere ait: id tamen ipſe collegit demum, magiſtratum hunc non fuiſſe perpetuum, & conveniſſe quidem quadam ex parte cum Seviris, his tamen dignitate inferiorem fuiſſe; eosdemque Octoviros fuiſſe fanorum atque ærariorum curatores, Ædilicia vero poteſtate præditos, quo muneri ſuo majorem afferrent auctoritatem. Injecta deinde controverſiæ, quæ Noriſio cum Reineſio de Sacerdotio Sevirûm Auguſtalium intercedit, mentione, Noriſio ſuffragatus, negat Reineſio, Seviros inter magiſtratus, & quidem juris dicundi poteſtate præditos, numerari debere, quos Sacerdotii munere perfunctos eſſe, auctore Tacito comprobat; horumq; nil miratur aliquando plures quam ſex ſimul nominari, quum ſex tantum vere ejusdem temporis munus geſſerint, ceteri vero nominis hujus honorem ex temporaria ſuperioriq; muneris hujus perfunctione, eademque vel unius, vel quinq; annorum, ſervarint. Tacemus reliqua, quæ de aliis Seviris, Equeſtri militiæ cognitis, eorumque ſex, vel, quas quidem in lapidibus viderit, quinque turmis, ex Jul. Capitolino, Reineſio, Spanhemio, ſpeciatimque, ſicuti ſolet, e lapidum indiciis arceſſit, pariter atque alia, quæ de Latina, Lavicana, Præneſtinaque viis, & de aliis denique rebus, erudite expoſita, induſtriæ lectorum judicioque relinquenda putamus. Capite *ſexto* edit lapides, Ægyptia ſuperſtitione imbutos, horumque Romæ duos, tertium Urbini, inventos, poſtq; illos Græcum Herophili epitaphium, elegantia non minus, quam pergrata ſimplicitate, ad memoriam inſigne. Ex cujus occaſione de licentia Bacchanalium, & ſymbolis ad ſacra hæc pertinentibus diſſerit, eorundemque e Livio initia ab ultima origine repetit, ac S. C. ab eodem hiſtorico c. XVIII. lib. XXXIX brevi quadam ſumma comprehenſum, perantiquo illuſtrat monimento, Poſtumio Conſule in tabulam æream inciſo, priſcaque ſcribendi ratione exarato, quod ex illa exceptum tabula CL, Fabretto tradidit Auguſtinus Scilla, Pictor Meſ-

ſanenſis. Poſtea, quam eorum attigit ſummam, quæ de Accenſis commentatus eſt Salmaſius, eumque modo firmavit, modo caſtigavit, nec minori cura de nominibus novorum civium, & collegio concordiæ, egit; Victimariorum collegium, antehac ignotum, extitiſſe oſtendit, non illorum, quos Victimarios negotiatores appellet Plinius, ſed eorum, qui in ſacrificiis Imperatori ipſi, Sacerdotibus, Magiſtratibus, & Senatui præſto eſſent. Quæſtionem hinc de Dea Feronia, quam Servius, cum eoque Sponius, ipſam Junonem virginem, cum aliis Jac. Oiſelius Deam Florum, ab Junone diverſam, putat, ipſeque Reineſius a Junone, Fabretto quam libet invito, diſtinguit, in medio tantiſper relinquit quidem, ſed aliam, longe graviorem, controverſiam indidem elicit de Fano, cujus meminit Dionyſ. Halicarnaſſeus, Deæ Feroniæ, eamque ita diſceptat, ut contra pervulgatam eruditorum opinionem evincat, fanum hoc non eſſe illud ſub Soracte monte extra Latinorum & Sabinorum fines, ſed in Sabinorum agro ſitum, a priorique diverſum. Feroniam denique cum Junone paria facere, auctoritate Servii, & inferius Livii, concludit. Nec vero diſplicere lectori queunt, quæ de templo Felicitatis tradit, id quod ab Lucullo conſtitutum fuiſſe docet, reprehenſo Donato, qui dixerat a Sylla extructum, & Nardino, qui unum tantũ Deæ hujus templum Romæ fuiſſe ſtatuerat. Miſſa facimus, quæ in aliis commemorari poſſent de Oſiride & Serapide, quæ nomina ei unum idemque Numen ſignant; de Voſſio patre, quod Corn. Balbum Gaditanum, vocet Mitylenæum, & hiſtoricorum numero adſcribat, correpto; Sponio item, qui Faſtos Panvinianos cum Capitolinis confundat, Lipſio & Al. ab Alexandro notatis, quorum poſteriori negat, Sacerdotium Regis ſacrorum, & Maximi Curionis, idem fuiſſe. Capite *ſeptimo* miratur antiquarum notas Figlinarum in ſpatiis tanti voluminis leviter perſtrinxiſſe Gruterum, easdemque vix ſummo tetigiſſe digito Sertorium Urſatum in Patavinis Inſcriptionibus, & Smetium, Neomagenſium Antiquitatum auctorem; quas tamen conſtet Faſtis emendandis, temporibus, quibus extructa ſint ædificia, dignoſcendis, ſingularibus locis, quorum notitia deerat, cognoſcendis, aliiſque rebus, ſingulare afferre adjumentum. Cujus quidem laboris, quem integrum ſibi relictum eſſe pronunciat, initio Figlinas ordine ſecundum elementa inſtructo diſponit, eademque poſtea ſerie nomina Conſulum, quorum quidem in Figlinis extat

memoria,

memoria, percenset. Hic ubi inscitiam Ligorii fraudesque cum Norisio coarguit, contendit adversus Lucam Pætum, pondera, quibus nostra utamur tempestate, antiquis majora non esse. Ac primo ubi tam de Romanis, quam de Græcis disseruit ponderibus, colligit demum, unciam nostrorum temporum Romanam antiqua leviorem quidem esse, sed Græca graviorem. Addit, Herculem custodem ponderum, ob justitiæ & æqualitatis laudem, non a Romanis magis, quam Etruscis, habitum fuisse. Longum foret, enumerare, quæ disputantur de orbiculis osseis, iisque missilibus, numismatum instar utrinque inscriptis; de pilulis ex fossili crystallo; & post Jo. Macarium, ejusque enarratorem Jo. Chifletium, de amuletis, sive, quos vocant Arabes, de lapillis Talismanis, quos quadam signatos inscriptione ipse possidet, omnesq; fere ad Mithram ac Solem refert. Capite *octavo* inscriptionum Christianarum spicilegium post Aringhum affert, easdemque non alio quam alphabetico ordine distinguit. Hic nominis contemptum laudat in Christianis veteribus, quorum nomina loculis religiosorum locorum rarius adscripta sint; quum Christi contra nomen, omni veneratione dignum, notis quibusdam crebrius designetur, ad mortuorum velut professionem fidei in ipsa calce, qua occluduntur tumuli, incisum. Cujus generis tesseras, Christianæ pietatis professione insignitas, qui desideret, eum ad Aringhum delegat, ejusque eruditam e Sanctis Patribus earundem explanationem laudat. Inscriptione inde, cui falx cum palma ferro insculpta est, vasculumque adjectum, prolata, cultrum illum, contendit, seu falcem, a latere positam, cum palmæ ramusculo in ea insculpto, facere indicium martyrii, per vasculum itidem appictum, in quo asservatus sit sanguis, significati; sicut hodieq; vitreæ consimiles ampullæ, sanguinea & purpurea obductæ crusta, in sacris cæmeteriis juxta SS. Martyrum loculos, qua recumbunt capita, creberrime reperiantur, nec dubium sanguinis, pro Servatoris gloria profusi, argumentum prodant. Rubedinem enim, qua ampullæ tinctæ sunt, non a colore terræ, per quam humor pluvius percolatur, sed revera a sanguine contractam esse, rationibus probat, testimonio etiam Illustris Leibnizii nostri adducto. Nec porro sine laude antiquæ religionis, qua homines Christo conjuncti, a profanorum vanitate sejungi consueverunt, illud pariter in suis observat inscriptionibus, Christianos cruce recta, literarũ *α* & *ω* comitatu stipata, suos signasse

cippos. Ad illam venimus inscriptionem, cujus siglas illas D. M. Jo. Mabillonium submonet Fabrettus, DEO potius MAGNO, quam DIS MANIBUS, exponi debere. Quæ quidem altera duarum est inscriptionum, quæ Mabillonio e Fabrettianis perplacuerunt; quamvis hoc loco a Mabillonio modeste dissentiat Fabrettus, negetq;, reliquiis profani ritus locum hic relinquendum esse; uti porro adversus eundem comprobat, vitem vindemiamq; inter præcipua Christianorum monumentorum ornamenta fuisse. Fassus porro, coronam, pyram ardenté, & palmas, lapidibus incisas, Martyrium supplicio ignis finitum testari posse, non spernendum Clementis Alexandrini locum gemmarum antiquarum inscriptionumque fide firmat atq; illustrat, quo veteres Christiani aut columbam, aut piscem, aut navim, aut lyram, aut anchoram, in signatoriis suis expressisse annulis dicuntur. Ac secundum Monogrammata, in Christianorum tumulis conspicienda, quæ sagacius exponuntur, digna lectu est, tam inscriptio illa XCVI, qua memoriæ VLPIAE FELICITATIS, XIII annorum, & VII mensium uxoris, consuluit maritus, quam erudita annotatio moris Romani, quo, ex Plutarchi inscriptionumque auctoritate, puellæ duodecim, aut paucioorum etiam annorum, nuptui collocabantur; id quod multo fiebat aliter apud Spartanos. Jam inscriptiones Græcas, quarum pauciores afferuntur, si perlustremus, inter has eminere videbitur inscriptio Eutropi, quem Martyrem fuisse, opinatur CL. Fabrettus, quod vasculum sanguine, pro Servatoris honore profuso, repletum, sinistra manu sustineat, orantisque more passis ambabus adstet. Mittimus, quæ explicantur, scribendi compendia, inscriptiones item Latino-Græcas, non tam a Græcis, quam ab amantibus Græcorum, profectas; nec minus illam, in qua literas Græcorum recentium minusculas primas in lapidibus observavit Fabrettus. Quæ vero de imaginibus vitreis ex Philippo Bonarroto, sigillatimque Petri & Pauli, ubi Petrum loco superiori semper collocari contendit, adducuntur, ea quidem studio lectorum judicioque relinquimus. Capite *nono* nominum gentilitiorum, quorum Gruterus non meminit, quæque alii inscriptionum conquisitores aut non habent, aut indiligentius tractant, indicem contexit, & secundum elementorum seriem ordinat, creditque adeo fore, ut, si extremum subtexuerit caput, hæc demum,

mum, quæ acceſſionum loco habeat, præcipuum opus utilitate vincant. Reineſio autem vitio vertit negligentiam, qua gentes diverſas ſæpe miſceat ac confundat. Tacemus de lamina, apud Canuſium reperta, editaque a Nicolao Bon, memorabili quidem, quod, præter cetera, integrum Decurionum ſive Centumvirorum numerum implet, Patronis Prætextatiſque ſeparatis, quos in extremo recenſet. Neque hujus eſt inſtituti perſequi, quæ de Dendrophoris, de aliiſq; decerpi rebus poſſent. Caput denique *decimum* Illuſtris Fabrettus cumulat inſcriptionibus varii argumenti, quæ vel ſuperfuerunt, vel adhiberi quidem ſupra potuiſſent, ſed, confecto jam negotio, cognitæ demum ſunt aut acquiſitæ; idque nullo ordine, ſuccinctisq; ad eas notis adjunctis. Nos, ne nihil memoriæ mandaſſe videamur, in tranſcurſu monemus, oſtendi adverſus Jac. Gothofredum, acutiſſimum cetera Codicis Theodoſiani enarratorem, idque ope inſcriptionum, frumentum æneum ſive ænum ad civitatem Carthaginienſem non ſpectaſſe, ſed asſervatum Romæ diſtributumq; fuiſſe. Juſtam porro naturalemq; Caracallæ matrem, non, id quod multis viſum eſt, novercam, fuiſſe Juliam Domnam; idque non inſcriptionibus minus, quam Oppiani & Dionis auctoritate probari. Nec minorem inde controverſiam, quæ multorum induſtriam fatigarit, Juliamne uxoris loco habuerit Caracalla, in eam decidi ſententiam, ut, comprobata Triſtani defenſione, tanti criminis infamia liberetur Caracalla, quum nullæ inſcriptiones ſuffragentur. Ac judicare adeo CL. Fabrettum, Spartianum, qui turpitudinis hujus notam Caracallæ memoriæ primus inuſſerit, multos fefelliſſe auctoritate ſua; deceptum vero ipſummet ex male intellecto Herodiano, qui ſcripſerat, Alexandrinam plebem Juliam hanc per jocum Jocaſtam vocaviſſe. Id enim Spartianum ita interpretatum, ac ſi Juliæ inceſtæ cum filio a nuptiæ vulgo eſſent exprobratæ, de quibus tamen & Herodianus & Dio ne meminerint quidem. Comparationem vero Juliæ cum Jocaſta potius ad mutuum inter utriuſque filios odium, parricidium ferro venenoque intentatum, fratricidium, aliaque Auguſtæ domus mala, trahendam. Cetera dimittimus, quæ dici poſſent de inſtauratione marmoris omnium Barberinorum eruditiſſimi, quod inſcribitur Lex Collegii Æſculapii & Hygiæ; vel de iis, quæ diſputantur contra Minucium Felicem, Lactan-

tiumque, quo Floræ honestas cum Ouzelio defendatur; vel de situ Laurentini Pliniani, idque ex illius summa epistolæ, qua Laur. Panciatici rogatu perscripta, Holstenium præcipue Noster coarguit; vel de aliis demum rebus, quæ tantundem jucunditatis, quantum utilitatis, eleganti antiquitatisque cupido lectori pollicentur. Atque hæc quidem, multoque his plura, nec minora, (nam nobis pro instituti nostri ratione non nisi paucissima licuit attingere) ubi perdocuit Cl. Fabrettus, operi subjunxit Emendationes quasdam Gruterianas, usui, quemadmodum ratus est, futuras novæ Thesauri hujus recogniti editioni, quã & ipse accepit a Basileensibus parari, & nos pariter cum omnibus, qui Thesauri hujus opes, ex omni antiquitatis memoria cumulatas admirantur, bonis ominibus votisq; prosequimur, quo tanti conatus operis prospere cedant, ad optatumque tandem exitum provehantur.

## A TREATISE OF THE ASTHMA.

i. e.

*TRACTATUS DE ASTHMATE. AUTORE JOHANNE FLOYER.*

Londini, apud Richardum Wilkin, 1698. in 8. plag. 18.

CUm Experientissimus Autor ipse periodico Asthmate triginta fere annos multum laborasset, nullumque e remediorum a Recentioribus præscriptorum usu, sensibile autem ex iis, quæ Veteres laudarunt, percepisset levamen; in præsenti de Asthmate tractatu, in Actis a nobis jamdum indigitato, quando Nostri opusculum de præternaturali humorum animalium statu A. 1697. p. 106. recenseremus, tanto exactius diuturni hujus affectus cum Theoriam, tum Praxin, e Veterum præcipue monumentis explanare, novisque observationibus corroborare voluit, quo magis & Medicorum alii, ad integram eorum morborum chronicorum, quibus ipsimet forsan detinentur, accuratius consignandam historiam incitarentur. Nempe ut de symptomatibus ante omnia constaret, quæ Asthmatis flatulenti, vulgo humidi, paroxysmos & præcedere, & concomitari soleant, ac quo anni tempore quamque sæpe hi ingruant, ventriculus plerumque a meridie secunda vel tertia ab ingestis cibis hora notabiliter primum inflari, mox sub noctem sanguis aliqualiter effervescere, corpusque leniter incalescere ac spiritus rare-

rareſcere, cum levi cephalalgia, multa ſomnolentia, laſſitudine artuum, pectoris gravitate, tuſſi convulſiva, multa urinæ pallidæ excretione &c. annotantur, uſque dum circa ſecundam vel tertiam horam nocturnam, ſenſibilius paroxyſmo affligente, atque reſpiratione difficulter admodum cum ſtertore procedente, æger lectum, in quo non minus ac in febris paroxyſmo perquam incaleſcat, & cum pulſu frequenti, inæquali tamen, ad ſudorem propendeat, cogatur relinquere, ac in ſella erectus ſedere. Frequenter tunc alvus deponitur, & propter circulum ſanguinis impeditum, pulſus in lentum atque intermittentem mutatur, extrema frigent, facies ſubinde nigricat, interdum pallet vel livet, oculi trepidant & lacrymas involuntarias ſtillant, labia ſugentis ſpeciem præ ſe ferunt, & muſculi totius corporis multum ſubſident, artuſque ad motum languent, bilis aliquando evomitur viridis vel flava, urina autem tinctior & ſedimentum deponens in fine redditur paroxyſmi. Qui brevior ſi habeatur, a diætæ errore vel inclementia aëris adinſtar ephemeræ reſultans, ac poſt duas vel tres horas iterum ceſſans, ſputatorius dici meretur, quia flatus ſolummodo ac ſputum cum pulſu frequenti ac diſpoſitione ad ſudorem ſocientur, præter ſomnolentiam vero nulla ventriculi anguſtia, nec urina pallida prægrediatur. Si longius autem ad duos, tres quatuorve dies protrahatur paroxyſmus, primis diebus nihil vel parum ſcreatu rejicitur phlegmatis, tertia vero vel quarta die tuſſi expectoratur mucus magis digeſtus minuſque viſcidus, coloris albicantis ac ſaporis dulcis, interdum putridi, ſalſi vel acidi, ſæpe ſanguine nigricante interſtinctus. E diario, in quod ſingulos paroxyſmos Aſthmatis proprii, occaſione demum febris intermittentis facti periodici, Autor ſeptem per annos aſſidue retulit, ſedecim paroxyſmi hyberni, æſtivi autem iique graviores viginti, omniumque graviſſimus menſe Auguſti, enumerantur, circa Lunæ phaſes plerumq; contingentes, ac citius vel tardius repetentes, quo breviores vel longiores iidem anticiparint; paroxyſmo inopinato inſignis ſemper in tempeſtate mutationis inſecuturæ præbente indicium. Neque evacuantia tamen, neque pectoralia & cephalica calida in paroxyſmis antevertendis quicquam profuiſſe, pluribus ante innuitur, quam Aſthmatis hyſterici, nobili fœminæ viginti annos moleſti, pro hujus ſimul cum Aſthmate flatulento oſtendenda convenientia, deſcribatur hiſtoria. Hacce nihilominus in præſenti neglecta, humo-

humorum potius & ſpirituum animalium præternaturalem porro attendamus ſtatum, periodico aſthmati cum tot pathematis producendo commodum; in quantum aſthma ſublimis, tarda, rara & laborioſa perhibetur reſpiratio, ab inflatione membranarum pulmonum, bronchia, veſiculas pulmonales & vaſa ſanguifera comprimente, immediate oriunda, dum ſpiritus animales flatulenti occaſione vel externorum accidentium, vel periodicæ febrilis efferveſcentiæ ſanguinis rarefiunt, & per cerebri glandulas propelluntur. Humores videlicet inter, chylus potiſſimum accuſatur, fermentationis deficientis vel imminutæ culpa in ventriculo flatulentus & viſcidus progenitus, gaſtricam pariter lympham crudam, viſcidam & flatulentam ſuppeditans, ac ventriculi inflationem tam in aſthmate ſputatorio, quam in hyſterico procreans. Sicut namq; naturalis per fermentationis modũ chylificatio a Recentiorum nonnullorum dubiis vindicatur, ita & ſuccus nutritius flatulentus tanquam fermentum conſideratur, quod commixtum ſanguini hunc ad efferveſcendum pronum exagitet, lentamque febrim aſthmaticam concitet, ab ephemera parum diſcrepantem, quod eædem cauſæ evidentes, quæ in corpore ſano ephemeram gignunt, v. g. caloris vel frigoris exceſſus, nimia corporis mentiſve commotio &c. in cacochymico aſthmaticam pariant febrim, multæ defluxionis ſeri in partibus variis, præſertim urinæ pallidæ in renibus ac lymphæ flatulentæ in ventriculo, inteſtinis, pulmonibus ac cerebro, cauſam proximam. Spiritus autem animales, comparati cum vegetabilium ſpiritibus inflammabilibus, quorum particulæ oleoſæ, acidæ ac aëreæ bullulis aqueis incluſæ, itidem taxantur flatulenti & vehiculo mucilaginoſo irretiti, occaſione magnæ rarefactionis facile in nervis ſubſiſtentes horumque pneumonicos & intercoſtales, veluti ex morbo antecedaneo debilitatos, inflantes, per conſequens diverſarum partium membranas contrahentes rigidaſque efficientes. A bronchiis quippe inflatis ſtertor ſive ſonitus in exſpiratione, a veſiculis autem pulmonum anguſtatis, ſufficientem aeris ingreſſum debitumque diaphragmatis deſcenſum impedientibus, ipſiſque diaphragmatis & aliorum pectoris muſculorum membranis contractis, thoracem haud ſufficienter diſtendentibus, tarditas inſpirationis & exſpirationis deducitur; quemadmodum reſpirationis raritas pulſui impedito, cephalalgia vero & hebetudo membranarum capitis rigiditati, & flatulentia

lentia primarum viarum, membranarum ſimul ventriculi ac inteſtinorum conſtrictioni, adſcribitur. E quibus quamvis haud difficulter intelligatur, quomodo e remotarum ſive evidentium cauſarum cenſu, cum ſex res non naturales Medicis denominatæ, tum varia morborum genera ad aſthma producendum concurrant, lubet tamen e rebus non naturalibus aerem, in corpus animale eadem ratione ac in barometrum agentem, ſpecialius adhuc perpendere, hinc catalogum morborum attexere, quos aſthma tanquam ſymptoma comitari ſoleat vel inſequi. Etenim quilibet aeris ſtatus, in quo Mercurius barometri ob aeris elaſticitatem ac preſſuram a particulis aqueis infractas locum inferiorem petit, noxius declaratur aſthmaticis, quod horum tunc ſpiritus magis elaſtici non æque ac a graviori aere ſicco cõerciti ſe ipſos expandant, nervoſque pneumonicos ac membranas inflent; qualis effectus non minus contingat, ubi iidem ſpiritus vel ab aere calidiori nimium rarefiant, vel a fumis etiam inſpiratis aut odoribus quibuſcunque irritentur. Atque hic mentione odorum facta, qui pariter atq; ſapores ab olei, acidi, terræ & aquæ commixtione reſultent, magnamq; cum ſpiritibus animalibus affinitatem colant, in genere odores non tam in gratos & ingratos, quam in calidos & frigidos ita diſpeſcendi cenſentur, ut calidi, vel acres, vel aromatici, vel fœtidi, ſpiritus expandere, frigidi autem, vel crudi, vel acidi, vel narcotici, ſpirituum calorem, motum & expanſionem compeſcere aſſerantur. Sed e morbis, aſthmate veluti ſymptomate ſtipatis, hæmorrhoidum menſiumque ſuppreſſio, plethora, cordis & pulmonum polypus, catarrhus ſuffocativus, peripneumonia, pulmonum calculi, pica aliæque cachexiæ, catarrhi diuturni, magnum in pulmonibus tuberculum, ſcabies retropulſa & ulcera exſiccata, febres ac variolæ, vomica pulmonum, horumque compreſſio quælibet externa, tumores viſcerum, apoplexia, podagra, paſſio hyſterica, malum hypochondriacum & ſcorbutus prolixe numerantur. Tandem, quo aſthmatis medela rite ac feliciter abſolvatur, in paroxyſmo, pro curationis ſcopo, quantitas chyli flatulenti nunc clyſmate, nunc mitiori emetico evacuanda, conſtrictio bronchiorum & vaſorum ſanguiferorum venæ ſectione allevianda, ſpirituum rarefactio liquoribus frigefacientibus condenſanda, motus ſpirituum ad artus veſicatoriis revocandus, ac membranarum ventriculi & pulmonum inflatio blandis opiatis ſuffla-

 minan-

minanda ſuadetur, remedii loco haud caſtoreo, ſuccino, aſa fœtida, ſalibus volatilibus, & ſulphureis, verum aqueis, acidis, acido-ſalſis & carminativis per acida temperatis commendatis. Extra paroxyſmum autem, hujus arcendi gratia, uti cacochymia flatulenta & viſcida tam evacuantibus omnis generis imminuenda, quam diluentibus ac digeſtivis amaris, ſalſo-acidis & chalybeatis ſive vitriolicis corrigenda, effervescentia humorum & rarefactio ſpirituum præcavenda, & glandularum pulmonalium, ſi adfuerit, obſtructio removenda, glandulæ autem cerebri conſtringendæ & roborandæ præcipiuntur: ita e medicamentis febrifugis, quibus humorum & ſpirituum turgeſcentia præcaveatur, tum cortex Peruvianus, tum alia, cumprimis acida, in certas claſſes ſolicite digeſta, extolluntur, omniumque remediorum antaſthmaticorum optima, quæ ſine calore incidunt, e magna obſervationum caterva fuſe adſtruuntur.

## *DOMINI MARCHIONIS HOSPITALII FACILIS ET EXPEDITA Methodus inveniendi Solidi Rotundi, in quod, ſecundum axem motum, minor fiat a reſide fluido reſiſtentia, quam in quodvis aliud ejusdem Longitudinis & Latitudinis.*

DOno miſit ad me nuper D. *Fatio* librum ab ipſo de murorum inclinatione fructiferas ad arbores ſuſtinendas benigniorique Soli oſtendendas aptiſſima, Londini recens editum, ad calcem cujus reperi ſolutionem Problematis, de *Solido rotundo in quod minima fiat reſiſtentia.* Hujus autem Solidi affectionem jamjam unam notaverat Doctiſſimus *Neutonius* pag. 327 exquiſiti Libri ſui, de *Philoſophiæ naturalis principiis Mathematicis*, cujus inveniendæ artificium cum illic celatum ſit, nil ex ea lucis ſperandum eſſe Clariſſimus *Fatio* exiſtimat. Ut ut ſit, alia, quam hic detexit, ejusdem Curvæ proprietas, viam eum a *Neutoniana* diverſam iniviſſe liquido monſtrat. Atque hinc id conſilii mentem ſubiit, ut hanc ſagaciſſimi *Neutonii* viam exquirerem, nec ſpe (ut reor) vana, cum eandem quam ille, fuerim aſſecutus affectionem Curvæ quæſitæ. Perfacilis autem Methodi, qua uſus ſum, eo lubentius copiam facio, quod ea ſolvendis aliis quampluribus ejuſmodi quæſtionibus inſervire poſſit. Sit igitur

Pro-






*Fig. 3.*




ſcribit MN rota

$\frac{c \times \overline{MF}^{3} \times MP}{\overline{MN}^{2}}$ eam ipſam exhibebit reſiſtentiam quam ſuperficies hæc reipſa partes ad contrarias mota patitur a reſide fluido. Eadem ratione

...a contuli meditationi, ut hanc sagacissimi *Newtoni* viam exquirerem, nec ſpe (ut reor) vana, cum eandem quam ille, fuerim aſſecutus affectionem Curvæ quæſitæ. Perfacilis autem Methodi, qua uſus ſum, eo lubentius copiam facio, quod ea ſolvendis aliis quampluribus ejuſmodi quæſtionibus inſervire poſſit. Sit igitur

TAB. V.

Problema.

*Invenire Curvam D M, quæ circa axem A L rotata, describat superficiem solidi, quod in fluido quieto motum secundum axis directionem ab L versus A, minorem patiatur resistentiam, quam Solidum quodvis aliud per eadem puncta D & M pari ratione descriptum, inibique simillime motum.* fig. 1.

Solutio. Fingantur rectulæ M N, N O, quasi latera duo Polygoni infiniti-lateri quod constituit curvam quæsitam. Tum ordinatim applicatis MP, N Q, ad axem AL, huic parallela fiat GNF, cui ad angulos etiam rectos occurrant O G & M F, ut & recta D M lateri M N. fig. 2.

His ita paratis, constat rectulas M N & M F secundum axis directionem motas ab L versus A, iisdem a fluido resistentiæ viribus impediri, quæ actionis essent fluidi hujus in eas quietas pari velocitate moti ab A versus L. Atqui hoc in casu vis seu nisus fluidi propellentis F M ab A versus L, esset ad nisum ejusdem prementis M N ab M versus D : : M D. D P. Præterea nisus hic secundum M D esset etiam ad ejusdem fluidi nisum in M N ab A versus L : : M D. D P. Ergo ordinatim multiplicando, vis seu nisus fluidi propellentis F M ab A versus L, esset ad eum quo premit M N ad easdem partes : : $\overline{DM}^2 . \overline{DP}^2$ : : (ob similia triangula D P M & M F N) $\overline{MN}^2 . \overline{FM}^2$. Unde si fluidi in rectas M N & M F impacti velocitas exprimatur per constantem A B ($a$) palam fit, totum fluidi nisum in planam & perpendiculariter obviam superficiem, descriptam ab F M rotata circa A L, æquari producto ex hac superficie facto per velocitatem $a$, seu (assumpta $c$ in circuli peripheriam, cujus radius sit $a$) producto $c \times MF \times MP$. Ergo si fiat $\overline{MN}^2$. M F. : : $c \times M \times MP$. $\frac{c \times \overline{MF}^3 \times MP}{\overline{MN}^2}$. Quartus hic terminus vim etiam exprimet fluidi prementis ab A versus L superficiem quam pariter describit M N rotata circa A L; vel (quod eodem recidit) quantitas $\frac{c \times \overline{MF}^3 \times MP}{\overline{MN}^2}$ eam ipsam exhibebit resistentiam quam superficies hæc reipsa partes ad contrarias mota patitur a reside fluido. Eadem ratione

tione constabit resistentiam similem, quam ab eodem fluido patitur superficies orta ex irotato latere NO circa AL, indicari per $\frac{c \times \overline{OG}^3 \times NQ}{\overline{NO}^2}$

Jam vero fictis punctis M, O, & recta GF, quasi positione datis in eodem plano cum axe AL, inquiro quod debeat esse punctum N rectæ GF, in quo si conveniant rectulæ MN & ON, superficies ex iisdem circa AL rotatis orta minimam patiatur resistentiam, sive minorem quam si concursus earum fieret in alio quovis puncto rectæ GF.

Hoc autem ut inveniatur punctum N, sint constantes MF $=$ $m$, MP $= f$, OG $= n$, NQ $= g$; & variabiles FN $= v$, NG $= t$: Ac proinde etiam $\overline{MN}^2 = mm + vv$ & $\overline{NO}^2 = nn + tt$, ob triangula rectangula MFN & OGN. Ergo resistentia $\left(\frac{c \times \overline{MF}^3 \times MP}{\overline{MN}^2}\right)$ qua superficiem ortam ex rotato latere MN circa AL, impediri mox inventum est, erit $= \frac{cm^3 f}{mm + vv}$; Item & altera $\left(\frac{c \times \overline{OG}^3 \times NQ}{\overline{NO}^2}\right)$ quam similiter patitur superficies pari ratione orta ex latere NO, erit $= \frac{cn^3 g}{nn + tt}$. Unde & ex Problematis conditionibus sequitur, quantitatem $\frac{cm^3 f}{mm + vv} + \frac{cn^3 g}{nn + tt}$ debere esse *minimam*; adeoque (juxta doctrinam Libri *Analyseos infinite parvorum*) differentiam ejus æquandam esse zero: Quod si fiat, invenientur $\frac{2cm^3 fv\,dv}{\overline{mm + vv}^2} = \frac{-2cn^3 gt\,dt}{\overline{nn + tt}^2}$; atque hinc, cum ex FG $(v + t)$ ob fixa puncta M & O constante, fluat $dv = -dt$, erit etiam $\frac{m^3 fv}{\overline{mm + vv}^2} = \frac{n^3 gt}{\overline{nn + tt}^2}$. Ergo ducta AB $=$ $a$, perpendiculari ad axem AL, cum BC & BH parallelis ad infinitilateri polygoni latera MN & NO; erit $4\overline{AB}^2 \times AC$. $\overline{BC}^3$ : : BC. MP.

MP. Ac etiam similiter $4\overline{AB}^2 \times AH. \overline{BH}^3 :: BH. NQ.$ siquidem his ita positis, habebitur $\frac{m^3 fv}{\overline{mm + vv}^2} = \frac{a}{4} = \frac{n^3 gt}{\overline{nn + tt}^2}$.

Constat igitur indolem seu naturam hanc esse Curvæ quæsitæ DM, ut assumpta $AB = a$ in AK perpendiculari ad axem AL, ductaque BC parallela tangenti Curvam in quovis puncto M, semper & ubique $4\overline{AB}^2 \times AC. \overline{BC}^3 :: BC. MP$ applicatam hoc in respondenti puncto M.

Et vero cum hæc affectio Curvæ, tangentibus innixa tantum, primas duntaxat differentias in ejusdem expressione requirat, nullatenus crediderim; quod asserit D. *Fatio*, hac simpliciorem eam esse quam ipse protulit, quæ nimirum osculi radios comprehendens, secundas differentias adhibet, ubi primæ nobis sufficiunt. His adde ex affectione mox inventa, Curvæ constructionem ultro fluere a sola Hyperbolæ quadratura dependentem, quo sane nil simplicius hac in quæstione potest haberi. Sic autem Curva hæc construitur:

Assumantur $AB = a$ in AK perpendiculari ad axem AL, & $AE = \sqrt{\tfrac{1}{3}aa}$ in AL producta ad partes A, sitque per E Logarithmica FEN, cujus asymptotus AK, & subtangens $= \tfrac{1}{4}a$; præterea ponatur AC magnitudinis ad libitum quam appello $z$, ducaturque CN, parallela ad AK, usque ad occursum cum Logarithmica in N. Tum si fiat $AK = \frac{aa}{4z} + \tfrac{1}{2}z + \frac{z^3}{4aa}$, & $AP = \frac{zz}{4a} + \frac{3z^4}{16a^3} - \frac{5a}{48} \pm$ CN nimirum — CN cùm est $AC > AE$, & + CN cùm est $AC < AE$, perficiaturque parallelogrammum KP; angulus ejus M, seu concursus laterum KM & PM, erit ad Curvam quæsitam DM.

Nam manente $AC = z$, si fiant insuper $AP = x$, & $PM = y$; affectio mox inventa Curvæ dabit AK seu PM $(y) = \frac{a^4 + 2aazz + z^4}{4aaz}$; ac proinde etiam $dy = \tfrac{1}{2}dz + \frac{3zzdz}{4aa} - \frac{aadz}{4zz}$. At siquidem

(*hyp.*) B C eſt parallela tangenti in M, eſt quoque $dx = \frac{z\,dy}{a} = \frac{zdz}{2a} \mp \frac{3z^3dz}{4z} - \frac{adz}{4z}$, ejuſque integralis AP ($x$) $= \frac{zz}{4a} \mp \frac{3z^4}{16a^3} - \int\frac{adz}{z} \mp$ vel $-$ conſtanti alicui quantitati $\frac{sa}{4S}$, qua ſit, ut evaneſcente CN, integrali nempe differentiæ $\mp\frac{adz}{4z}$, evaneſcat & ipſa AP ($x$). Ergo &c.

Hic porro notare juvat, Curvam DM axi AL propiorem eſſe nequire, quam in puncto D ſui concurſus cum AK. Aſt ubi ſit AC minor quam AE; alia Curvæ pars deſcribitur DO concavitatis averſæ; adeo ut ſolidum quæſitum concavum æque poſſit ac convexum eſſe; quod, inquam, notatu dignum videtur. Atque hinc cum in iſtius conſtructione Curvæ Dn. *Fatio* aſſumat AE $= a$, & AC majorem ſemper quam AE; ſequitur punctum, quod in Curva primum ſtatuit, non omnium ejuſdem axi proximum eſſe, ſolamque partem ejus convexam ab hoc *Authore* deſcribi.

Cæterum monuiſſe ſufficiat, ſpatii ADMP quadraturam, ſolidique ab hoc ipſo ſpatio circa axem rotato deſcripti cubaturam, citra ullam ab hyperbolæ quadratura dependentiam facile reperiri. Verum ab hac eadem quadratura pendent rectificatio Curvæ DM, dimenſio ſuperficiei ab ea circa axem rotata genitæ, & menſura reſiſtentiæ qua ſuperficies hæc impeditur a fluido. Quod autem hic de arcu DM, idem etiam ſit dictum de altera Curvæ parte DO.

*Scholium.* Nunc quidem conſtat Curvæ mox inventæ (quæ hic eſt ABCD) latera duo minima quæcunque AB, BC, convenientia in puncto B rectæ KN, parallelæ ad axem LP, circa eundem rotata deſcribere ſuperficiem minori objectam reſiſtentiæ, quam ſi occurrerent ea ſibi in alio quovis iſtius rectæ puncto. At non id æque patet de ſuperficie orta ex ſimili rotatione trium quorumvis ejusdem Curvæ laterum AB, BC, CD, convenientium in punctis B, C, rectarum axi LP parallelarum NK, MH, fixis manentibus punctis extremis A & D; nimirum ſuperficiem hanc impediri minus a fluido quam ſi alibi hic in rectis eadem latera convenirent. Ne autem quis hac in re vel minimum

mum hæreat, en hujus etiam demonstrationem, quæ & superficiei ex quotvis ejusdem Curvæ lateribus simili ratione genitæ conveniat. TAB. V. fig. 3.

Iisdem igitur positis, quæ videntur in *fig.* 3, sint constantes $AK = m$, $BH = n$, $DM = p$, $AB = f$, $BQ = g$, $CR = h$; & variabiles $BK = v$, $CH = t$, $CM = s$. Constat ex superioribus, resistentias quæ fiunt in latuscula AB, BC, CD, exprimi per $\frac{cm^3f}{mm+vv}$, $\frac{cn^3g}{nn+tt}$, $\frac{cp^3h}{pp+ss}$; adeo ut quantitas $\frac{cm^3f}{mm+vv} + \frac{cn^3g}{nn+tt} + \frac{cp^3h}{pp+ss}$ debeat esse *minima*, ejusque differentia $\frac{2cm^3fvdv}{\overline{mm+vv}^2} + \frac{2cn^3gftdt}{\overline{nn+tt}^2} + \frac{2cp^3hsds}{\overline{pp+ss}^2} = 0$. At juxta Curvæ mox descriptæ affectionem superius inventam, est $\frac{1}{4}a = \frac{m^3fv}{\overline{mm+vv}^2} = \frac{n^3gt}{\overline{nn+tt}^2} = \frac{p^3hs}{\overline{pp+ss}^2}$. Ergo si harum singularum quantitatum loco ponatur constans valor earum $\frac{1}{4}a$, fiet $\frac{cdv}{2a} + \frac{cdt}{2a} + \frac{cds}{2a} = 0$, requisitum videlicet ut superficies orta ex rotatione circa axem, trium ejusdem Curvæ laterum AB, BC, CD, minimam a fluido resistentiam patiatur. Atqui hoc ita esse liquet ex eo quod NK $(v+t+s)$, ob fixa puncta A & D constans, differentias habeat $dv+dt+ds = 0$, sive $dv+dt = -ds$. Ergo &c.

Hæc utique demonstratio pari ratione convenit quatuor, quinque, imo quot volueris lateribus Curvæ mox descriptæ; atque ita tandem hæc ipsamet est quæ quæritur, hisque Problema cumulate solvitur.

## *M. RODOLPHI MARTINI MEELFUHRERI ACCESSIONES ad Celeberrimi Viri Theodori Jansonii ab Almeloveen Bibliothecam promissam & latentem.*

Norimbergæ & Lipsiæ, apud Andream Ottonem, 1699. in 8. plag. 12.

INstitutum, quod Celeberrimo Almeloveenio in Bibliotheca promissa & latente A. 1692 edita tenere allubuit, in Actis istius anni p. 299,

299 seq. adumbravimus. Aucturus ergo, quem is exhibuerat, apparatum doctissimus Meelführerus, præludere hoc libro voluit Bibliothecæ ineditorum librorum, quæ alternis mensibus publicari posset, eaque propter simili, qua Almeloveenium uti deprehenderat, methodo scripta plurima nondum edita commemorat. Nec vita solum functorum libros, aut apud hæredes alibiq; delitescentes, verum superstitum etiam & eorum, qui ultimam eis manum cupiunt imponere, recenset. Ex istis nominandi nobis videntur præ cæteris opera Jacobi Golii, p. 35; Guil. Guisii, p. 39; Franc. Junii, p. 45; H. Ernstii, p. 30; Georgii Matthiæ Königii, sub finem superioris anni 1698, ætatis anno 82 defuncti, p. 49; Zach. Lundii, p. 58; Conr. Pellicani, p. 78; Mich. Piccarti, p. 82; Guil. Postelli, p. 84; Balthasaris Scheidii, cujus Nucleum Talmudicum, magnum in universa Biblia opus, in refertissima Theologi Hamburgensis Maxime Reverendi, Jo. Frid. Mayeri, Bibliotheca reconditum asservari scribit, p. 95. Sed major longe numerus est Eruditorum in vivis adhuc degentium, quorum opera aut promissa, aut affecta, aut prælum proxime subitura solicite coacervat. Referas huc (ut aliquos saltem allegemus, ) Andream Acoluthum, p. 1; Matth. Frid Beckium p. 5; Jo. Birksierodium, p. 10; Jo. Ludov. Hannemannum, bigamque Filiorum, p. 40. seq; Christianum Junckerum post, vitam Lutheri e nummis & iconibus illustratam, ac nuper admodum a nobis recensitam, aggressurum præter alia Historiam Societatum per Europam literariarum, p. 44; Jo. Mich. Langium, p. 53; Sever. Lintrupium, p. 55 seq; Jobum Ludolfum, novam Novi Testamenti editionem Æthiopicam molitum, p. 58; Christoph. Henricum Ritmeierum, p. 92; Jo. Schilterum, p. 97; Jo. Christoph. Wagenseilium, p. 149; Franc. Wörgerum, p. 155; Jo. Wülferum, p. 157. Perquam insuper liberalis est in illorum recensu, qui literas eruditissimorum Virorum aut olim aut nuper defunctorum nondum vulgatas solicite custodiunt. Casparem enim Körberum p. 17; Jo. Laur. Lœlium, p. 20; Jo. Mothium, p. 58; Gabrielem Spizelium, p. 113; Jo. Andream Gleichium; p. 166; aliosque ob hanc curam celebrat. Quas inter sua manuscripta numeret Medicus Norimbergensium celeberrimus, Godofredus Thomasius, epistolas, ipse in epistola peculiari ad Meelführerum nostrum huic libro p. 131 seq. inserta indicat. Collectæ a B. Daumio literæ p. 24 seq. recensentur. Nec omittit Noster proavi sui, Jo. Meelführeri, Abbatis Heilsbronnensis,

nensis, thesaurum epistolicum, cujus prolixam mentionem p. 63 seq. injicit. Georgii Hieronymi Velschii Historiam Literariam Turcarum a Matthia Friderico Beckio, si adesset, qui suis eam sumtibus excuderet, edendam dicit, p. 122. ejusque sciagraphiam, prout ab Autore ipso consignata fuit, sub finem hujus opusculi annectit. Quemadmodum autem fieri non potuit, quin aliqui librorum, quos edendis adhuc Autor noster annumeravit, hanc ejus collectionem evulgatam aut anteverterint, aut comitati certe fuerint; (quorsum spectat imprimis Francisci Wörgeri Exercitatio Biblica de Samsone instructis ad incendium vulpibus agros comburente Philistæorum, quæ una cum appendice de maxilla asini, qua percussi fuerunt mille Philistæi, Lubecæ jam ante menses aliquot excusa fuit;) ita & alios pro delitescentibus adhuc habuit, qui tamen jampridem publica fruuntur luce. Videlicet, ne gratis hæc dixisse videamur, Jo. Ciampini Investigationem Historicam de cruce stationali operibus absolutis, sed nondum editis, ejusdemque de S. R. E. Vice-Cancellario tractatum operibus inchoatis p. 16. accenset; ast illa jam A. 1694, & hic A. 1697 prodiit. (Vide Acta nostra A. 1695. p. 168. & A. 1698. p. 67 seq.) Promissum a Jo. Alberto Fabricio in decade Scriptorum recentium A. 688 edita plagiariorum Syllabum p. 34. desiderat, sed dedit eum ille A. 1689 sub titulo: Jo. Alberti Fabri decas decadum, sive plagiariorum & pseudonymorum centuria. Alcoranum vero a Maraccio curatum jam anno superiori inter opera edenda esse desiisse, vel ex Actis nostris hoc ipso anno publicatis constare potest; ubi eum p. 248 Patavii e typographia Seminarii A. 1698 prodiisse innuimus.

*VITRIARIUS ILLUSTRATUS, SEU INSTITUTIONES JURIS Publici Romano-Germanici, antehac a PHILIPPO REINHARDO VITRIARIO ICto & Antecessore Lugd. Batav. edita, sed nunc denuo revisæ ac novis iisque perpetuis notis auctæ a JOHANNE FRIDERICO PFEFFINGERO, Argentoratensi, Prof. Publ. in Equestri Academia Luneburgensi. Adjectæ sunt Tabulæ Genealogicæ Statuum præcipuorum Europæ.*

Gothæ sumtibus Augusti Boetii Heredum & Jacobi Mevii, 1698 & 99. in 4. formæ maj. Constant Alphab. 6. plag. 6.

ERuditiſſimas Juris Publici Romano-Germanici Inſtitutiones, ab Illuſtri Vitriario compoſitas, ac tredecim fere abhinc annis, ſub nomine ejus proprio publicatas, magno applauſu paſſim eruditiores exceperunt, nec tamen eodem modo omnes affectum ſuum hac de re ſunt teſtati. Cum adhuc in ſchedis manuſcriptis doctiſſimæ meditationes deliteſcerent, nonnemo ſub ficto nomine *Nicolai Danckwehrt*, feſtinata editione oſtendere voluit, quo in pretio eas habeat; qui etiam de gratia, pro egregio hoc dono ſibi referenda, orbem literarium effícti nominis notione, non immerito velut admonuit. Alii iique ſine controverſia doctiſſimi, ac in hoc literarum genere illuſtre nomen inprimis conſecuti Viri, ut *Mauritius* & *Kulpiſius*, benigniſſima optimaque de iis tulerunt ſuffragia, earumque adeo præſtantiam irrefragabili teſtimonio comprobarunt. Plures denique ipſo facto, quantopere illæ ſibi placeant, demonſtravere, dum in uſum docendæ ac diſcendæ Juriſprudentiæ Publicæ eas adhibuerunt. Nemo autem enixius impenſiuſque Inſtitutiones Vitriarianas dilexiſſe videtur Doctiſſimo *Pfeffingero* noſtro. Hinc non tantum anno ætatis ſuæ decimo nono, ceu in præfatione ad Lectorem ipſe teſtatur, eas notis non proletariis illuſtravit, illuſtrataſque deinde A. 1690 typis excudi curavit, ſed & nunc editione hac ſecunda, uti affectum, ita etiam laborem auxit, ac perpetuis iiſque ſæpe prolixioribus annotationibus illarum dogmata ſic diduxit, ut *Vitriarius illuſtratus* inter juſta Juris Publici ſyſtemata nunc jure ſuo cenſeatur. Cum autem Clariſſimus Vitriarius a Sacratiſſimo Imperatore Juſtiniano methodum, elegantem pariter ac rerum pulcherrimarum capaciſſimam, fuerit mutuatus, eamque ad Inſtitutiones ſuas applicaverit, hinc Noſtro etiam data eſt occaſio multa notabilia adjiciendi, adeo ut ſive in hiſtoria literaria, aut ſtatus publici, ſive in genealogia, ſive in re formularia ac ad ſtylum publicum pertinente, ſive materia alias curioſa quid requiras, luculenta ubique deprehendere poſſis ſpecimina. Flores enim aliorum exquiſite delibavit Noſter, & quicquid ſapidum, quicquid gratum & dulce fuit, ſedulæ apis inſtar in ſua velut alvearia conduxit, uſus ſtylo, quo nervum rerum melius exprimere non potuerit, procul omni mordacitate ac cavillatione, quæ ipſi tædio fuerunt. Uti vero ingenui eſt profiteri, per quos profeceris, ita etiam ſibi haut parum profuiſſe commercium cum viris, qui Purpuratorum limina frequentant, Noſter fatetur,

tetur, quorum tamen nomina ideo reticuit, ut religiosius ea silentio veneraretur. Aperte vero idem laudat laboris socios & promotores, Dn. *Joachimum Ericum Huldericum ab Eyben*, haut paucas Illustris Parentis schedas transmittentem, Dn. *Johannem Klippe*, Serenissimi Ducis Brunsv. & Luneburg. Georgii Wilhelmi Secretarium, Dn. *Jacobum Hartmannum Kramerum*, Civitatis Wormatiensis Syndicum & Consiliarium, Dn. *Meulinars*, Pastorem Leowardensem, Dn. *J. J. Engelbrecht*, Generosi Dn. de Brineken Equitis Curlandici Ephorum, qui omnes itidem in colligendis recens natis auxiliatrices porrexerint manus, quibusq; adeo non tam ipse, quam publicum gratias debeat, ac tandem Dn. *Johannem Fridericum Keilium*, Serenissimi Ducis Saxo-Gothani Secretarium, cujus, utpote evellendi typographiæ lolii curam sponte in se suscipientis industriæ indefessæ, quicquid nitoris impressio, vel correctionis textus præ se fert, tribuendum sit. Rem ipsam quod attinet, non opus erit, ut de contextu notarum, a Nostro confectarum, quædam dicamus: sequuntur enim illæ Institutionum Vitriarianarum ordinem. Id saltem admonemus, Clarissimum Pfeffingerum in libro primo, cum materiæ dignitas id exigere videretur, fuisse operosissimum, adeo ut ille tres reliquos libros mole sua æquet, imo superet. Præterea ipsum quicquid ex idiomate Germanico inserendum fuit, literis Latinis exscribi curasse, magno exteris adjumento, quos a lectione rerum Germanicarum nihil magis absterrere solet, quam characterum Germanicorum singularitas, ac hinc orta vel ignorantia, vel nimia cognoscendi difficultas. Quid porro in singulis notis contineatur, id referre nimis fuerit prolixum ac mensuram instituti nostri excedens. Quare satis erit, si per exempla quædam Doctissimi Autoris nostri diligentiam illustremus; qua quidem in re ita versabimur, ut potissimum ad monumenta publica, quibus varia juris publici capita egregie illustravit, respiciamus, cum in istorum notitia, vera demum, non simulata aut umbratilis Juris Publici philosophia videatur consistere.

In proœmio & tit. 2. lib. 1. multa annotavit Noster ad historiam literariam seu bonorum Autorum notitiam pertinentia. Eodem tit. 2. §. 10. seq. non proletaria de antiquo Imperii Francici gentiumque vicinarum statu, de regno Arelatensi, varietate Bullarum, Pace publica & religiosa recenset. Tit. 4. de titulis Imperatoris, inprimis

vario tituli *Majestatis* uſu plura lectu digna commemorat. In tit. 5. §. 6. legere licet literas ad Magnum Moſchorum Czarem in aula Viennenſi A. 1687 datas, in quibus Czari ſub conditione exercitii publici religionis catholicæ in provinciis ſuis concedendi, Majeſtatis titulus promittitur, ſi decretis ſecreto ſigillo Imperiali munitis cum eo agatur, aſt in literis Cæſareis idem ei negatur. §. 8. habetur diploma Friderici II, quo Dux Auſtriæ Rex creatus eſt. In §. 11. occaſione catalogi Imperatorum a Vitriario propoſiti hiſtoria ſingulorum Cæſarum a Carolo M. uſque ad Leopoldum, tractatione, ſi conjunctim ſpectetur, ſatis prolixa contexitur, addita Genealogia Auſtriaca. In tit. 6. §. 5. habetur formula literarum, quibus Moguntinus cæteros Electores ad electionem Cæſaream convocat. §. 9. adductis Imperatoris & Francofurtenſium literarum formulis docetur, quomodo Francofurtenſes, ob electionem alibi inſtitutam jura ſua conſervare ſoleant. §. 12. 13. formulæ juramentorum, Electoribus præſtandorum, nec non decretorum Electoralium de peregrinis, ex urbe electioni deſtinata dimittendis vel retinendis recenſentur; quomodo porro facta electio Comitiis indici ſoleat, adductis litterarum formulis §. 17 exponitur. In tit. 7. Noſter ex Protocollo Comitiali prolixe recenſet, quid intuitu Capitulationis perpetuæ A. 1663. 1664. 1665. actum fuerit. Pag. 230. formula Proteſtationis & Reſervationis Statuum Imperii, quoad nuperrimam Joſephi electionem & capitulationem exhibetur. In tit 8. coronationis ſolennia ex Sigiſmundo Ferrario de Coronatione Joſephi debite illuſtrantur. In tit. 11 §. 1. de Majoribus Domus, de Comitibus Palatinis nonnulla recenſentur, ac §. 5. controverſia Bavari & Palatini ex ſcriptis publicis prolixius exponitur. Tit. 12. §. 14. varia Imperii placita, Reichs Gutachten aliaque ad moderationem matriculæ ſpectantia, exhibentur. In tit. 14. §. 5. controverſia, quæ anno 1688 circa Archiepiſcopatum Colonienſem inter Sereniſſimum Ducem Bavariæ Joſephum Clementem, ac Eminentiſſimum Cardinalem Furſtenbergium vertebatur, ex actis publicis plene ſatis refertur, & quid traditis Dn. Kulpiſii ad Monzamb. c. 2, §. 5, quoad controverſam in Electoratu Palatino, inter defunctum Electorem Philippum Wilhelmum, & Leopoldum Ludovicum C. P. R. lineæ Veldentiæ, ſucceſſionem, amplius addi queat, §. 13. indicatur. In tit. 15. ſat locuples de Epiſcopis & Abbatibus habetur tractatio, inter alia etiam Abbatiſſis

Pro-

Proteſtantibus facultatem nubendi, citra muneris ſui diſpendium, aſſerens p. 347. Longe vero luculentior Principum ſecularium conſideratio tit. 16. inſtituitur. §. 9. habetur diploma Friderici III, quo anno 1453 præter alia privilegia, Duces Auſtriacos, Archiducum titulo decoravit. §. 10. de ſucceſſione Mecklenburgica, ut & reſtitutione Ducis Holſatiæ monumenta quædam publica exhibentur. Inprimis §. 11. prolixa de ſex Ducatibus, qui Carolingorum tempore in Germania fuerint, Saxonico, puta, Thuringico, Bavarico, Suevico, Franconico & Lotharingico, eorumque Ducibus exſtat diſſertatio. In tit. 17. §. 19. exhibetur Tranſactio ratione Dynaſtiæ Jeverenſis inter Regem Daniæ & Principem Anhaltino-Serveſtanum inita. In tit. 20. §. 6. lectu jucunda occurrit epiſtola Henrici Comitis de Woldenberge, Præſulis Hildeſienſis, ad Carolum IV Imperatorem, quæ de ſimplicitate ſtyli antiqui, ac generoſo philoſophiæ titularis neglectu teſtatur. In tit. 21. res Equeſtris copioſe declaratur, confectis in ſpecie Ordinis Johannitici Magnorum Magiſtrorum, Priorum Germaniæ, Magiſtrorum Bajulagii Brandenburgici, nec non Magnorum Magiſtrorum Ordinis Teutonici catalogis. In tribus ſequentibus libris eadem ratione procedit Clariſſimus Autor. In lib. 2. tit. 1. §. 8. adducitur memoriale Brandenburgicum in puncto ſeſſionis & voti, ratione Principatus Caminenſis: §. 20. immunitas Argentorati a neceſſitate præſtandi Cæſari homagium ex actis publicis illuſtratur. Tit. 6. §. 11. lites in circulo Weſtphalico circa condirectorium, inter Electorem Brandenburgicum & Domum Neoburgicam ortas, ac mediante Epiſcopo Monaſterienſi anno 1665 compoſitas, adducta compoſitionis formula, declarat. In lib. 3. tit. 2. §. 20. profert Noſter diploma veniæ ætatis, Duci Wurtembergico A. 1693 conceſſæ. In tit. 4. §. 6. proponitur formula, qua civitas Bremenſis a banno A. 1653 fuit abſoluta. Tit. 10. §. 13. controverſia duplex, an Legatus Moguntinus literas credentiales avthenticas in Comitiis palam producere debeat, & cui, Moguntino abſente, directorium in iis competat, per excerpta actorum publicorum exponitur. In tit. 12. §. 31. legere licet diploma, cujus vigore Fridericus Elector Palatinus, ob jus nobilitandi ſibi competens, intimo ſuo Conſiliario Michaeli Læfenio privilegia nobilitatis A. 1604 conceſſit. In tit. 13. §. 25. controverſia, quæ inter Electorem Brunſwicenſem & Ducem Wurtem-

bergicum ratione Archivexilliferatus enata est, ex scriptis publicis exponitur. In tit. 17. §. 77. controversia, quæ inter Innocentium XI P. R. & Henricum Carolum, Marchionem Lavardinum, Ludovici Magni Galliarum Regis Oratorem, anno 1687 quoad Jus Asyli intercessit, ex documentis publicis enarratur. Tit. 19. §. 31. iniquius mandatum Caroli Ducis Lotharingiæ, contra Lutheranos A. 1665 emissum, § 32. vero literas Electoris Brandenburgici, in favorem Protestantium Tyrolensium A. 1688 ad Cæsarem datas, in medium affert. §. 43. matrimonium Ducis Megapolitani, Christiani Ludovici, & Ducissæ de Castillon, ex memoriali Statuum Imperii, diplomate Cæsareo aliisque actis publicis illustratur. In lib. 4. tit. 1. §. 34. quid circa jus voti & sessionis, quod anno 1686 Nobiles immediati in aula Cæsarea valde ambivisse perhibentur, a diversis Imperii Statibus actum sit, fusius enarratur. §. 36. gravis legitur invectiva Cæsaris de anno 1664 ad Vice Mareschallum Imperii, ob ablata per latrunculatorem den Reichs Profos insignia Hamburgensia. Eodem loco quid anno 1686, ratione jurisdictionis criminalis, Vice-Mareschallo in Comitiis asserendæ aut negandæ, inter Electorem & Duces Saxoniæ actum sit, adductis literis ostenditur. §. 51. habetur schedula Legati Cæsarei, qua Vice-Mareschallo Statuum ad Comitia auspicanda convocatio injungitur. In tit. 2. §. 8. Friderici Wilhelmi Electoris Brandenburgici literæ, ad Landgravium Hassiæ anno 1685 datæ, proponuntur, quibus eum rogat, ut mortuo Carolo Electore Palatino, & Electoratu ac Principatu Simmerensi in Ducem Neoburgicum devoluto, juncta sollicitudine curet, ut in numerum Deputatorum ordinariorum, loco laudati Electoris & Principis cooptetur. §. 26. quid Dux Saxo-Weissenfelsensis ratione voti Querfurtensis anno 1687 denuo petierit, indicatur. In tit. 10 §. 8. præcipuæ Academiæ totius Christiani orbis recensentur.

Operi absoluto non tantum Noster subjecit consignationem de Scriptoribus Juris Publici præcipuis, quæ in Institutionibus Vitriarianis alias etiam exstat, sed & Josephi, moderni Romanorum Regis Serenissimi Capitulationem, ac Instrumentum Pacis Ryswicensis, nec non Tabulas Genealogicas, quadraginta capitibus comprehensas, addidit.

*Q. HORATIUS FLACCUS CUM J. RUTGERSII LECTIONIbus Venusinis. Cura PETRI BURMANNI.*

Trajecti Batavorum, apud Fr. Halmam & Guil. vande Water, 1699. 12. Plag. 20.

HOratium, credas, ſibi non parum indulſiſſe, ſi memineris, quam fidenti animo immortalem operibus ſuis gloriam polliceatur. Nec tamen plus ſibi tribuit, quam aut alii Poetæ ſibi ſumpſerunt, aut eruditiſſimus quiſque ei largitur. Auguſtus certe a nemine, niſi ab Horatio, voluit ſæculare carmen componi. Ab eodem demum Vindelicam victoriam, Tiberii Druſique ductu partam, ſcribi juſſit, ratus, id quod proditum memoriæ eſt, hujus demum ſcripta ad poſteros fore. Sunt vero illa poſteris curæ, eruntque porro ſeris, ſi qui futuri ſunt, nepotibus, quoad literis locus relinquetur. Hæc leguntur vulgo, atque ediſcuntur. Soli autem docti quo magis legerint Poetam, hoc magis mirantur. Cauſſam ſi requiras, experire ingenii prorſus Attici ſuavitatem: expende ſapientiæ, monimentis comprehenſæ, momenta: æſtima judicium, non in umbra, ſed ſummorum conſuetudine hominum, ad vitæ prudentiam excultum. Ita vero & coles Poetam & laudabis eos, qui hunc aut e codicibus, inter ſe comparatis, emendant nobis, aut aliorum induſtria caſtigatum reddunt, aut quoquo denique modo bene de eo merentur. Nec nihil gratiarum ages Viro Clariſſimo *Petro Burmanno*, qui non Horatio magis, quam literis, quantum præſtiterit officii, cognoſce. Batavi, ſuperiori Elzeviriorum fama excitati, ſcriptores veteres, ſigillatimque Poetas, elegantius recudere ſtatuerunt. Quibus Burmannus & ſuam profeſſus eſt operam, & Horatium commendavit primum. Nec providit modo, ut Poeta nitidis exſcriberetur formis, verum ut illius quoque emendationes ſubtexerentur, cujus prudentiam Reges, doctrinam eruditi, elegantiam omnes, in oculis tulerunt. Janus eſt Rutgerſius, hac, opinor, fortuna clarus, quod adoleſcentulus in amicitiam G. J. Voſſii, Jos. Scaligeri, Dom. Baudii, Danieliſque Heinſii, pervenit; at divini exemplo ingenii multo illuſtrior, quod adoleſcens, & obſervationes ſuas eruditis, & conjecturas ſuas Joſ. Scaligero adeo probarit, ut eruditionis hujus princeps in oras codicum ſuorum eas conſignare non dubitaret. Qui cum intelligeret,

ret, annotationibus, quas in Horatium ediderat adolescens, doctorum conciliatam esse benevolentiam, eas constituit augere. Cœpto tamen destitit, aliis districtus negotiis, quæ apud Ordines Fœderati Belgii, Regis Sueciæ causa curabat. Itineribus inde, huc illuc susceptis, præpedito sex Variarum Lectionum libros, inter ipsos fere itinerum labores conficere vix vacavit. Otium tandem Hagæ Comitis nactus, instituit quidem quatuor libros Lectionum Venusinarum scribere, sed, cum id minus diuturnum esset, parum elaborati operis ab excessu ejus inventum. Quicquid tamen reliqui erat, Daniel Heinsius, heres ex asse scriptus, accepit, promiseruntque Heinsiorum uterque, edituros, quicquid possiderent. Fidem neuter liberavit. Daniel, aliis distractus curis, Lectiones, in liturariis jacentes, ne composuit quidem. Easdem manu sua ex schedis Avunculi cum concinnaret Nicolaus, consilium occupavit fatum. Ita vero Amplissimi Gœsii, & Nobilissimus Carolus Crucius, Reipublicæ Leidensis Senator, hereditatem Heinsianarum opum adierunt. Beneque factum Rutgersianis, cum ad Crucium pervenissent. Nam Burmanno fratri uterino aperuit reconditos doctrinæ thesauros, quo ex Heinsianis seligeret, quæ in lucem emitti literarum interesset. At Burmanno maximæ fuit curæ, quemadmodum Lectiones Venusinæ in vulgus primæ exirent. Has norat septuaginta jam annis scriniorum custodia teneri, promissas toties, & toties ab eruditis exoptatas. Has omnibus omnino interpretibus Horatii explicandi solertia præferendas putabat. Nec vero nescius erat, quam male audiant, qui potuissent quidem Heinsii junioris beneficio Lectiones has edere, sed inepte eas excerpserunt, (ad editionem Horatii Schrevelianam A. 1670 respicimus) suique labe judicii Rutgersianæ gloriam memoriæ prope contaminarunt. Has igitur, quoad extiterunt, integras, & diligenter descriptas, unoque & triginta capitibus comprehensas, divulgavit primus. Quisquis legerit, is fatebitur nimirum, Rutgersium Horatio plurimum, nec parum depravatis aliorum scriptorum libris, industria sua profuisse. Vel ipsum primæ Odes initium interpunctione quadam restituere cœpit. Quam qui neglexerunt antehac, non ceperunt, quantum apud Venusinum vatem inter agricolam navum parvoque beatum, & divitem, interesset. *Exilem domum Plutoniam*, quam pars enarratorum jejunius excusarunt, pars audacius mutarunt, non per commune animarum

recepta-

receptaculum, sed, quô exiguo claudimur mortui, per sepulcrum e Tibullo, lapidibus antiquis, Petronio, Glossariis, & aliunde explicavit. Commonstravit porro imitandi studium, quo Græcos Horatius, speciatimque Alcæum expresserit, idque commonstravit ita, ut Alcæum ibi emendarit, ubi neque Hadrianus Junius, neque Isaacus Casaubonus, vulnus sanarunt. Nec parum ei debet Horatius, contra Cæsarem Scaligerum, qui aridas frondes *Hebro* dedicatas noluerat, ita defensus, ut non tam cum Hadr. Turnebo, Lævinoque Torrentio excusetur, quam Ebro in *Eurum* mutato, laudetur. Jam scite quoque contra omnes, quotquot evolvit Rutgersius, interpretes contendit, *pullam ficum* non esse, quemadmodum velint multi, nigram, hoc est, maturam, sed sobolem e matre succrescentem. Quorsum Catonem, Plinium, Horatium ipsum (quem, illustri Claudii Puteani exemplo, ex Horatio solet interpretari) glossasque affert, & ficum hanc Indicam non magis e Theophrasto Plinioque describit, quam subjecta exprimit imagine, quæ ficum cum pullis, singulari naturæ miraculo ex hac sponte nascentibus, depingit. Pari diligentia Horatii judicium, in præstantibus Poetis, in utramque partem cognoscendis, sagax accuratumque, a Cæsaris Josephique, Scaligerorum, atque Hadriani Turnebi, reprehensione vindicat, idemque consentientibus Senecæ, Q. Curtii, atque Aristotelis sententiis tuetur. Cetera in præsens nihil nos moramur, quibus satius fuerit, quædam e Rutgersio edi specimina, unde reliqua in alios scriptores merita pro parte constare possint. Est quidam Ciceronis locus, qui continetur Epistolarum ad Pomponium Atticum lib. V. Epistola XI: *apud Patronem & reliquos barones te in maxima gratia posui* &c. qui uno *Baronum* verbo tot tantorumque Virorum conatus tantopere elusit, ut contendere ausit Rutgersius, hoc demum in omnibus Ciceronis literis impeditiorem inveniri nullum. Primus, quem quidem sciat Rutgersius, Victorius Baronum vocem comprobavit. Victorio assensus est longo intervallo Elias Vinetus, cum eoque fatuos intellexit. Accessit his Dionysius Lambinus, nisi quod, Turnebo auctore, Varones eandem in sententiam scribendos putarit. Nec repugnavit Simeo Bosius. Nec minus Manutius Barones legit quidem, nec tamen, ut alibi, fatuos, sed a Barone, muliere quadam apud Suidam philosopha, velut mulierculas, effœminatumque Epicureorum genus, interpretatus est. Hunc

adverſus Fr. Junius, antiqui Gloſſarii auctoritate fultus, Barones viros fortes, atque a perturbationibus invictos, duxit exponendos. Andreas autem Alciatus Barones aſſeclas Patronis philoſophi apparitoreſque appellavit. Alii multo ineptius, ipſos Principes intellexerunt. Sebaſtianus demum Corradus κάῤῥονες legit. Quorum alius alio magis ineptit Rutgerſio, rem expedit nemo. Legit igitur non Barones, ſed *Patrones*, quos urbaniſſime dici putat Patronis ſodales, ejusdemque familiæ placita amplexos, figura quadam, Juvenalis, Horatiique, & aliorum veterum exemplis contrita. Venimus ad illum Taciti locum, qui extat Annali quarto, cujuſque emendandi ſpem Lipſius abjecit: *neque aliud probis quam ex matrimonio ſolatium: eſſe in civitate, Germanici conjugem ac liberos recipere dignaretur.* At Rutgerſius interpunctione quadam, levique emendatione reſtituit ita: *Ex matrimonio ſolatium eſſe. In orbitate Germanici conjugem ac liberos recipere dignaretur.* Præterimus tres reliquos, eodem in Tacito correctos, nec commemoramus illum, qui Thucydideo imitandi genere ab intempeſtiva virorum, cetera doctiſſimorum, emendatione aſſeritur, neque illos demum, qui in C. Nepote, Gellio, Suetonio, Plauto, Ovidio, & paſſim, caſtigantur. Potius ad Clariſſimum Burmannum revertamur. Hic nempe perelegantibus his commentationibus Eclogas quasdam ſive Excerpta, ex aliis ejusdem Rutgerſii notis delibata, ſubjunxit. Pollicitus etiam eſt Valerium Flaccum Nicolai Heinſii notis illuſtratum. Plura quoque alia ex Heinſianis reliquiis exquiret prometque, ſiquidem reſcierit, eruditis conatus ſuos non diſplicere. Quos quidem, credat velimus, omnibus, qui literis conſultum cupiunt, probatum iri, ſiquidem ad eos perferantur vel Heinſianæ, vel aliorum lucubrationes, ex Heinſianis ſcriniis elatæ, quarum plurimas haud dubie expetunt omnes, & primo quoque tempore videre, legere, complecti optant.

## VITA DI DON PIETRO GIRON, DUCA D' OSSUNA &c.

id eſt:

*VITA PETRI GIRONIS DUCIS DE OSSUNA, PROREGIS Regni Neapolitani & Siciliæ, regnante Philippo III. Auctore GREGORIO LETI.*

Amstelodami, apud G. Gallet, 1699. 12. Alph. 1. plag. 20.

QUi plurimis variisque scriptis Historicis & Politicis rem literariam ditavit Vir celeberrimus *Gregorius Leti*, præter cætera in vitis Principum illustriumque Virorum perscribendis singularem industriam fere sine exemplo posuit. Extant ab illo luculenter compositæ vitæ *Philippi II Regis Hispaniarum, Elisabethæ Reginæ Angliæ, Sixti V Pontificis, Oliverii Cromwelli, Dominæ Olympiæ, & Ducis Valentini seu Cæsaris Borgiæ.* His accedit vita *Petri Gironis Ducis Ossunæ,* quæ jam prodit, & Cardinalis *Ægidii Albornossii,* quam prælo paratam habet: ut in universum octo vitas illustriores elaboraverit πολυγραφώτατος Autor, quot vix alius quisquam perficiendas aut publicandas suscepit. Distribuit hoc opus in tres partes, & unamquamq; partem in totidem libros. Et primo quidem primæ partis libro generatim exponit mores & instituta Hispanorum, aulæ regnique statum, & Hispaniæ regiones præcipuas; quæ fundamenti loco vitæ hujus descriptioni substernenda judicavit Autor. Altero libro domus Gironiæ antiquitatem a prima origine repetit, ejusque successionem & incrementa usq; ad hunc ipsum Ducem persequitur. Docet vero, Gironiam domum esse ramum e Gisneria, clara jam seculo decimo stirpe, propullulantem, & Rodericum Gisnerium, Alfonsi VI Regis Castellæ generum, cum socero e Maurorum manibus erepto in memoriam hujus rei limbum regiæ vestis præsecuisset, quem Hispani *Giron* vocant, inde sibi posterisque novum hoc cognomen invenisse. Ex eo tempore Gironios inter Proceres Castellæ meritis, opibus & dignitatibus effloruisse commemorat, & inde usque a Ferdinandi Catholici ævo Majores nostri Ducis nominatim exequitur; Petrum maxime Gironium, avum nostri Ducis & primum Ducem Ossunæ, eundemque Pro Regem Neapolitanum paulo prolixius enarrans. Tertio libro accedit ad Ducis nostri ortum & nativitatem, ejusque educationem & studia ab incunabulis ad adultam ætatem persequitur. Cum vero pater hujus Ducis Johannes Telesius Giro admodum adolescens, annos sedecim na-

, docto-
Cœpto
Fœderati
c susce-
s fere itine-
Hagæ Comitis
Venusinarum scri-
elaborati operis ab
erat, Daniel Hein-
que Heinsiorum u-
fidem neuter liberavit.
parentes, nec com-
Avunculi cum concin-
Ita vero Amplissimi
Reipublicæ Leidensis Sena-
t. Beneque factum
Nam Burmanno fra-
uros, quo ex Heinsianis
cresset. At Burmanno ma-
Venusinæ in vulgus primæ
scriniorum custodia teneri,
tas. Has omnibus omni-
præferendas putabat. Nec
, qui potuissent quidem Heinsii
sed inepte eas excerpserunt, (ad
respicimus) suique labe ju-
prope contaminarunt. Has
genter descriptas, undique &
gavit primus. Quisquis lege-
Horatio plurimum, nec parum
, industria sua profuisse. Vel
ctione quadam restituere cœpit.
ceperunt, quantum apud Venusi-
parvoque beatum, & divitem, in-
, quam pars enarratorum jejuni-
t, non per commune animarum
recepta-

receptaculum, ſed, quo exiguo claudimur mortui, per ſepulcrum e Tibullo, lapidibus antiquis, Petronio, Gloſſariis, & aliunde explicavit. Commonſtravit porro imitandi ſtudium, quo Græcos Horatius, ſpeciatimque Alcæum expreſſerit, idque commonſtravit ita, ut Alcæum ibi emendarit, ubi neque Hadrianus Junius, neque Iſaacus Caſaubonus, vulnus ſanarunt. Nec parum ei debet Horatius, contra Cæſarem Scaligerum, qui aridas frondes *Hebro* dedicatas noluerat, ita defenſus, ut non tam cum Hadr. Turnebo, Lævinoque Torrentio excuſetur, quam Ebro in *Eurum* mutato, laudetur. Jam ſcite quoque contra omnes, quotquot evolvit Rutgerſius, interpretes contendit, *pullam ficum* non eſſe, quemadmodum velint multi, nigram, hoc eſt, maturam, ſed ſobolem e matre ſuccreſcentem. Quorſum Catonem Plinium, Horatium ipſum (quem, illuſtri Claudii Puteani exemplo, ex Horatio ſolet interpretari) gloſſaſque affert, & ficum hanc Indicam non magis e Theophraſto Plinioque deſcribit, quam ſubjecta exprimit imagine, quæ ficum cum pullis, ſingulari naturæ miraculo ex hac ſponte naſcentibus, depingit. Pari diligentia Horatii judicium, in præſtantibus Poetis, in utramque partem cognoſcendis, ſagax accuratumque, a Cæſaris Joſephique, Scaligerorum, atque Hadriani Turnebi, reprehenſione vindicat, idemque conſentientibus Senecæ, Q. Curtii, atque Ariſtotelis ſententiis tuetur. Cetera in præſens nihil nos moramur, quibus ſatius fuerit, quædam e Rutgerſio edi ſpecimina, unde reliqua in alios ſcriptores merita pro parte conſtare poſſint. Eſt quidam Ciceronis locus, qui continetur Epiſtolarum ad Pomponium Atticum lib. V. Epiſtola XI: *apud Patronem & reliquos barones te in maxima gratia poſui* &c. qui uno *Baronum* verbo tot tantorumque Virorum conatus tantopere eluſit, ut contendere auſit Rutgerſius, hoc demum in omnibus Ciceronis literis impeditiorem inveniri nullum. Primus, quem quidem ſciat Rutgerſius, Victorius Baronum vocem comprobavit. Victorio aſſenſus eſt longo intervallo Elias Vinetus, cum eoque fatuos intellexit. Acceſſit his Dionyſius Lambinus, niſi quod, Turnebo auctore, Varones eandem in ſententiam ſcribendos putarit. Nec repugnavit Simeo Boſius. Nec minus Manutius Barones legit quidem, nec tamen, ut alibi, fatuos, ſed a Barone, muliere quadam apud Suidam philoſopha, velut mulierculas, effœminatumque Epicureorum genus, interpretatus eſt. Hunc

tus cum Anna Maria e domo Velaſca, 15 annorum virgine, nuptias contraxiſſet, & in familia adhuc paterna ageret, cum hic filius illi anno 1579 naſceretur: omnem hujus educandi curam eo magis in ſe ſuſcepit avus, quod pater ejus animo eſſet omiſſiore & a rebus gerendis alieno. Animadvertens vero, infantem eſſe ingenio auſteriore, eidem, ſimulac a materno lacte depulſus eſt (mater enim ſuis illum uberibus per 30 menſes aluit) educando adhibuit mulierem nobilem florenti ætate, & corporis ſpecie, tum urbani feſtivique ſermonis, quo puerum paulo triſtiorem excitaret, & ad hilaritatem traduceret. Eodem conſilio illi jam diſciplinæ capaci admotus eſt præceptor Andreas Savonius, Arlotti Plebani Veneti facetiſſimi hominis familiaris quondam & diſcipulus, qui ridendo ludendoque elementa literarum Noſtro tradidit, eumque in finem delegit Eraſmi Roterodami colloquia multis ſalibus referta, e quibus Latinæ linguæ uſum & facultatem diſcipulus hauriret. Ex hac diſciplina & conſuetudine contraxiſſe dicitur eam ridendi jocandique facilitatem, cui per omnem deinde vitam non ſatis potuerit moderari, quin in ſcurrilem dicacitatem nonnunquam fuerit prolapſus. Uſus vero eſt hoc præceptore Neapoli apud avum illic Pro-Regem, quo cum reverſus in Hiſpaniam in Academiam Salmanticenſem miſſus eſt, ubi Geographiæ, Matheſi & Architecturæ dedit operam, & in claſſis Hiſpanicæ adverſus Eliſabetham Anglicam A. 1588 miſſæ interitum odam publice recitavit, atque imprimi curavit. Exacto ibi ſeſquianno domum revocatus, & curæ nobilis ephori commiſſus, cum in aliis ſtudiis & exercitiis ſuo loco & ordine dignis, tum inprimis in Hiſtoria plurimum induſtriæ poſuit, eoque majores in ea progreſſus fecit, quo tenaciore erat memoria, quæ ſine ullo repetitionis adminiculo cuncta ſibi credita fideliter retinebat. In his dum verſatur ſtudiis, excurrit quoque in Franciam, & libris hiſtoricis & mathematicis onuſtus rediens, deinde Portugalliam inviſit, (cujus regni notitiam Autor hic inſerit, ſupra libro primo inter Hiſpaniæ provincias omiſſam.) Hinc iterum Franciam adiit in comitatu Legatorum pacis Vervinenſis firmandæ cauſa ad Regem Galliæ miſſorum, & redux animum adjecit ad nuptias, uxoremque duxit Catharinam e domo Ribera, Ferdinandi Henriquezi de Ribera Ducis Alcalæ filiam, mox vero patre amiſſo Ducis Oſſunæ nomen & titulum tertius ſuſcepit; in quo tertius hic liber deſinit. Parte ſecunda.

da pergit ad publicam Ducis vitam, quam a Flandrica expeditione inchoavit. Cum enim per malevolorum artes aditus illi ad honores in aula redderetur difficilior, comitatu pro dignitate instructo in Flandriam ad Archiducem Albertum militatum abiit, iter per Galliam faciens, & cum Comite Stabuli Castellæ, Regem Heinricum IV veneratus, cum hic caput operire a Rege juberetur, nec Noster dubitavit, quamvis injussus, caput operire. Quod ægre ferentes Principes Regii sanguinis, qui apertis capitibus apparebant, a Rege impetrarunt, ut & illis jus esset tegendi caput, quoties Legatus aut alius eminentioris dignitatis Regem tecto capite alloqueretur. Delatus in Belgium Ossunius in obsidione Ostendana aliisque expeditionibus ita se gessit, ut & ab Ambrosio Spinola supremo exercituum Duce opera ejus magni fieret, & ab Archiduce Alberto consiliis bellicis adhiberetur. Etsi vero per sex annos non sine gloria militaverat: pœnituit tamen eum hujus consilii, quod procul a patria tantum temporis sine fructu contrivisset, facultatibus exhaustus, & corpore quoque mutilus, (qui in oppugnatione Grollæ pollicem dextræ amiserat) neglectis interim occasionibus domi emergendi. Redire ergo statuit in Hispaniam, præsertim quod de induciis inter Hispanos Belgasque Fœderatos ageretur, & honorificentissimis elogiis dimissus, atque efficacissimis literis commendatitiis ab Archi-Duce Alberto ejusque conjuge Isabella Clara instructus, simulac in aulam reversus esset, inter Comites cubicularios Regis receptus, & Curiæ, quæ de regni Portugallici rationibus consultabat, adscriptus est. Neque tamen non aliis gravioribus de salute totius Monarchiæ deliberationibus adhibitus, inter cætera suasit, ne induciarum tractatus cum Belgis Fœderatis abrumperetur, licet hi pro liberis populis agnoscendi forent. Dissuasit vero magnopere, ne Mauri tota Hispania ejicerentur, & periculum a tribunali Inquisitionis sibi ea propter intentatum gravi oratione discussit. Quibus aliisque documentis cum solidam prudentiam rerumque usum Consilio Regio approbasset, Pro Rex Siciliæ anno 1611 dictus est & constitutus. Priusquam vero iniret magistratum, diligenter ea omnia meditatus, quibus tanti honoris nominisq; mensurā impleret, & majora quædam in regni salutem animo agitans, quam quæ ab Antecessoribus essent præstita; a Rege facile impetravit, ut salarium, quod Pro-Reges accipiebant, sibi duplicaretur, & pro bis mille solidis seu ducatis, quater

mille in ſingulos menſes præberentur. Adita ergo cum imperio Sicilia (cujus hic deſcriptionem Autor interponit) duo maxime ſibi propoſuit, quibus inſigne beneficium afferret Siculis, & Magiſtratus ſui memoriam redderet immortalem. Cum enim intelligeret, & domi turbari tranquillitatem Reipublicæ ſceleribus & maleficiis, quæ paſſim & impune perpetrabantur; & foris piratarum Turcicorum incurſionibus, qui quotannis oram maritimam deprædabantur: purgandam facinoroſis hominibus provinciam, & piratas armis repellendos ſtatuit. Edictum ergo propoſuit, quo, quæ negligentia priorum Pro-Regum invaluerant, vitia & delicta, ſevere prohibuit: ſecundum quod, cum jus incorrupte diceret, & non magis in tenuiores quam potentiores animadverteret, brevi quietem & ſecuritatem toti provinciæ præſtitit. Quanquam in levioribus delictis facilem ac indulgentem ſe præbuit, ſæpe etiam pro ingenii ſui urbanitate inexpectatas facetaſque ſententias tulit, quibus calumniis actorum occurrit, & ſtrictum jus æquitate mitigavit. Quarum ſententiarum memoria & alias in ſcriptis animiſque hominum viget, & exempla non pauca per hoc opus diſperſa ſunt. Veluti cum juberet eum, qui alterum accuſabat ſtupri violenti in filiam admiſſi, gladium in vaginam quam inſtabili manu gerebat, recondere; quod cum accuſator negaret fieri poſſe, quod manus vaginam tenens vacillaret: non magis veroſimile eſſe pronunciavit Pro-Rex, mulieri invitæ vitium eſſe oblatum. Revocata juſtitia, ſingularem ſuſcepit rei maritimæ curam & ipſam a Pro-Regibus neglectam & valde prolapſam, conductiſq; navarchis peritiſſimis claſſem ornatiſſimã inſtruxit: cujus auxilio non arcuit modo piratas Turcicos a litoribus Siciliæ, ſed & Turcica claſſe victa & profligata, magnas prædas ex oris Turcicis egit. Quo factum ut nomen ejus magna eſſet gloria, & a populo Siculo, quamvis tributis exhauſto, amaretur & coleretur. Quare cum Regis juſſu, exacto Præfecturæ ſuæ triennio, Neapolitano regno imponeretur: non dubitavit, priuſquam provincia decederet, Panormi celebrare Ordinum regni comitia, quorum decretis ampliſſime laudatus Neapolim trajecit. In hoc regno (cujus conditio & ſtatus hic ab Autore delineatur) gubernando eandem viam inſtitit, deditque operam, ut juſtitiæ paciſque ſtrenuus aſſertor haberetur. Copias vero eo majores terra marique conſcripſit, quo ampliores erant præ Siculo hujus regni opes & facultates; &

claſſe

classe sua non solum Turcas, sed & Venetos infestavit, in quos singulari odio ferebatur, eosque imperio maris Adriatici exuere tentabat. In quod eo acrius incubuit, quod in alterum triennium magistratus illi prorogatus esset. Neque enim dubitavit cum Legato ad Venetos Hispano Alfonso de Cueva, & Petro Toletano Gubernatore Mediolanensi, famosam illam A. 1618 conspirationem vel conflare, vel omni ope fovere & juvare, qua nomen Venetum exscindere parabant. Extat inter opera Abbatis Sancti Regalis hujus conspirationis historia Gallice perscripta, etiam Autori nostro ab elegantia laudata, sed cujus veritatem nonnullis in locis in dubium revocat & emendat. De ipsa conjuratione Autoris nostri hoc est judicium, quamvis illa non fuisset mature detecta, in ipso tamen opere successu fuisse carituram. At Pro-Rex noster adeo persuasus erat rem successuram, ut de ea quasi peracta & feliciter perpetrata ad aulam literas daret. Quod & reliqui autores conjurationis fecere, dum suam quisque in hoc consilio reperiendo & exequendo operam venditare, & laudem ac præmium primus referre cupit. Unde Ossunius ex irrito rei conatu eo plus pudoris & indignationis cepit, quo certiorem de exitu felici spem animo conceperat. Neque non adversus hic casus ad evertendum Ossunium plurimum contulisse visus est. Factum enim artibus Venetorum, & odio Nobilitatis Neapolitanæ, quam plebis gratiam captans a se alienaverat, ut multa de eo sinistra in aulam perscriberentur, & in suspicionem regni affectati is adduceretur. Sentiens ergo aversum a se aulæ animum, Regi se per literas purgavit, & omnium Ordinum benevolentiam colligere studuit, præcipue ordinis sacri, & in his Jesuitarum, quos plus vice simplici offenderat. Verum ea re non diminuta suspicio, sed aucta, præsertim quod ipso festo trium Regum anno 1620 coronam regni in regio thesauro reconditam, inspectantibus multis proceribus, veluti per ludum jocumque capiti suo imposuisset. Quam quidem admonitus a Principe Bisiniano, eam non nisi caput Regis decere, statim deposuit. Aula tamen re comperta Cardinali Borgiæ mandata dedit, ut Roma se Neapolim sine mora conferret, regnique illius administrationem capesseret. Ab hoc ergo invitus & præter opinionem, nondum elapso magistratus sui triennio, potestate spoliatus in Hispaniam recessit ingentibus quidem divitiis ipse instructus, regnum vero relinquens immenso ære alieno obrutum. Uxo-

rem

rem vero cum filio breviori via per mare præmisit, qui aditum sibi ad regios administros pararent, eorumque animo donis placarent: ipse per Galliam terrestri itinere paulo serius Madritum adveniens, a Rege omnibusque purpuratis clementer comiterque exceptus est, & non sine spe redeundi Neapolim, summo splendore vixit, donec Regis Philippi III morte omnia subverterentur. Amoto enim Duce de Uzeda, qui post patrem Ducem Lermæum, primum gradum honoris & potentiæ in aula tenuerat, idemque socer erat Johannis filii Ducis Ossunii, & in ejus locum a Rege juvene Philippo IV evecto Comite Olivario, quem Dux noster dicteriis quibusdam pupugerat, in custodiam sub ipsa novi regni auspicia abreptus est, in qua per tres annos detentus, & pendente judicio nec absolutus, nec condemnatus, A. 1624 d. 25 Sept. decessit. Filium habuit unicum Johannem Telesium Gironem, qui & ipse Siciliam pro Rege gubernavit, & in illo magistratu obiit, relicto itidem unico filio Caspare Tellesio Girone, qui ex duplici conjugio & opibus & utriusque sexus prole auctus, anno 1694 moriens duos filios reliquit, Franciscum hodie Ducem Ossunæ, & Josephum. Præter hæc vero, quorum summa capita attigimus, hæc Vita distincta est multis non solum digressionibus ad docendum vel oblectandum lectorem accommodatis, sed etiam acute dictis, facetiis, & amoribus, aliisque ad interiorem Ducis Ossunii vitam pertinentibus, quæ ex diario Thomæ cujusdam, familiaribus Ducis ministeriis inde a teneris usque ad ejus obitum adhibito, Autor se didicisse refert.

## DEUX DISSERTATIONS DE RAYMOND VIEUSSENS Medecin de la Faculté de Montpelier.

i. e.

*RAYMUNDI VIEUSSENS, MEDICI MONSPELIENSIS, DISsertationes duæ, quarum altera de salis acidi e sanguine extractione, altera vero de quantitatis principiorum ejus sensibilium proportione agit.*

Montis Pessuli, apud Honoratum Pech, 1698. in 8. plag. 12.

QUam de sanguine humano in *Actis superiori anno p 459* recensuimus, quamque Illustris etiam Societas Regia Anglicana *Philoso-*

*phicis Transactis N. 241. p. 224.* integram inseruit, Epistolam, vix *Nobilissimus Autor* ad celebrem quoque Facultatem Medicam Lipsiensem ac ad alia Collegia inclyta exaraverat, cum aliquis Professorum Monspeliensium (quem *D. Petrum Chirac* ferunt, e Dissertatione *de pilorum structura, in Act. Supplem. T. 2. p. 435.* recensita haud ignotum) adversarius prodiret, atque in tribus literis spiritum acidum e sanguine destillandi rationem sibi attribuens, non modo Autorem plagii diversi argueret, sed & acidi e sanguine a Nostro descriptam extractionem, ac proportionem particularum sanguinis ab eodem inventam, dubiis variis lacesseret. Ast quemadmodum plagii reatum in peculiari jam scripto, ad nos tamen cum literis Adversarii nondum perlato, Autor a se suisque libris studuit avertere: ita reliquas quoque objectiones in præsentibus Dissertationibus eum in modum refellere voluit, ut e contrario in prima harum extractionem acidi spiritus e massa sanguinea & utilem & exactam evinceret, acidarumque particularum nonnullas ab aliarum nexu in sanguine liberas ostenderet; in altera vero alteram itidem inventionem, qua proportionem sensibilium sanguinis principiorum detexit, cum proficuam, tum possibilem comprobaret. In *prima* nempe *dissertatione* acidi e sanguine extractio primum multi e docetur usus, utpote vel Recentiorum iis, qui contra rationem & Hippocratis autoritatem omne acidum massæ sanguineæ denegant, per experientiam redarguendis; vel ipsi sali fixo sanguinis, e quo acidum destillatur, non mere alcalino, sed salso, textura nihilominus & proprietatibus a sale communi sive marino multum diverso, declarando; vel potissimum differentiis temperamentorum corporis humani explanandis, apprime inserviens. Deinde vero cum a morbis salia non tam immutari soleant, quam exaltari, destillatio acidi e sanguinis etiam ægrotantium sale fixo ab omni defenditur labe, modo eadem cum bolo rite præparata, i. e. acido prius accurate spoliata, fuerit adornata. Præter quas tamen particulas acidas alcalinis combinatas ac sal fixum salsum efformantes, aliæ demum extra harum consortium in massa sanguinea tum volatiliores, tum fixiores, monstrantur, quod non solum urina humana, veluti sanguinis excrementum, majorem rubedinem tincturis florum malvæ & heliotropii conciliet recens reddita, quam per aliquot horas aeri exposita; sed & quod dicta urina nunc inspissata, nunc ab aqua affusa iterum diluta, colorem ista-

rum tincturarum in rubicundum acidorum adinstar vertat. Quo minus autem moleculæ istiusmodi acidæ per destillationem ex urina vel sanguine obtineantur, causa in arctiorem ipsarum rejicitur unionem, qua destillandum inter a copiosioribus particulis alcalicis, fixis & volatilibus, absorbeantur; prout spiritus acidi e sanguinis bubali sale fixo rite proliciti exemplo eorum omnino scrupulus evellitur, qui acidum sanguinis sali communi assumto unice ferunt acceptum. Hinc in *secunda Dissertatione*, ut de utilitate planius constet, quam inventa particularum sanguinis proportio in Theoria & Praxi pariat Medica, doctrina temperamentorum corporis humani partim Medico perquam utilis & necessaria, partim ipsi proportioni corpusculorum sanguinis innixa, in quantum temperamentum sanguinis non nisi in determinata principiorum ejus sensibilium proportione quoad quantitatem & qualitatem consistat, totius vero corporis temperamentum a temperie sanguinis dependeat, fusius explicatur. Sed ne possibilitas sensibilium ejusmodi in sanguine corpusculorum proportionem, non tam geometricam, quam physicam, detegendi ac determinandi posthac vocetur in dubium, ad multos denique Viros Experientissimos provocatur, qui phlegma, spiritum ruffum, oleum nigricans, sal volatile, sal fixum & terram, post multos labores, e sanguine humano in pondere æquali cum tota destillata portione, adeoque sine sensibili particularum dispendio, ipsi viderint atque examinarint extracta. Quamvis enim præfracte haud negetur, insensibiles forsan nonnullas particulas, sive spirituosas & nitro-aereas, sive alias, vehementia ignis in auras secessisse, tales tamen eo minus videntur attendi, quo earum vel minima habeatur quantitas, vel jactura etiam aliis similibus ab igne ipso resarciatur.

## ANALECTA PHILOLOGICO-CRITICO-HISTORICA, opera THOMÆ CRENII.

Amstelodami, apud Thomam Myl, 1699. in 8. Alphab. 1. plag. 13.

## *EJUSDEM MUSEUM PHILOLOGICUM ET Historicum.*

Lugd.

Lugd. Batav. apud Abrahamum van der Miin, 1699. 8. Alphab. 1. plag. 9.

PRæter novem, quos vocat, fasciculos varias Dissertationes Historico Critico-Philologicas complectentes (& ejus quidem istas generis, quales illæ sunt, quas, cum primum fasciculum A. 1691 recenseremus, in Actis nostris p. 336 nominavimus, ) Fasces etiam peculiares & ab istis diversos hinc ab A. 1697 evulgavit doctissimus Crenius, hosque jam ad ternarium numerum perduxit, & in illos Ægidii imprimis Strauchii, Christiani Chemnitii, atque aliorum Dissertationes rariores constipavit, quin & in tertio integros aliorum libros, ut pote Christophori Helvici Vindicationem potissimorum locorum Veteris, itidemque Andreæ Schotti Adagialia Sacra Novi Testamenti repetiit, ac fasces de cætero singulos in fontispicio præfationibus suis sat prolixis, textum vero ipsum notis subinde interspersis, calcemque copiosis Indicibus solerter exornavit. Neque tamen in his acquiescendum sibi ratus, pro indefessa sua industria duas etiam has, quarum titulos junctim modo exhibuimus, hoc ipso anno addidit collectiones, ad eundem ferme scopum collimantes. Analecta enim, quæ dicit, Philologico-Critico-Historica duodecim opuscula continent, quæ seorsim olim evulgata fuerunt, Thomæ utpote Hayne *linguarum cognationem*, seu de linguis in genere & variarum linguarum harmonia Dissertationem, Londini A. 1663 editam; Merici Casauboni de *verborum usu & accuratæ eorum cognitionis utilitate* diatriben; Christophori Crinesii Partem priorē Disputationis de *confusione linguarum*, Wittebergæ A. 1610 ventilatæ; Abrahami Gibelii de *genuina λεξικογραφίας Chaldææ constitutione* theses Wittebergæ itidem propositas; Laur. Fabricii *Reliquias Syras* in eadem Academia A. 1613 primum in lucem publicam emissas; Henrici Kippingii Exercitationem de *lingua primæva*; aliasq; ejusdem duas de *lingua Hellenistica* & de *characteribus novis*; Pauli Slevogti Dissertationem, unico exemplo maximum *linguæ Hellenisticæ usum in Interpretatione Scripturæ* ostendentem; Petri Holmii de *primævo ac authentico charactere literarum Veteris Testamenti* in Regia Academia Carolina A. 1669, deque *scriptura seu scriptione* A. 1670, ac tandem de *sermone* A. 1675 habitas. Præterea una Josephi Scaligeri & quatuor Marci Zuerii Boxhornii epistolæ de *literis Hebræorum*,

*divisionibus vocum*, *Celia & Sudario*, *ac Persicis quibusdam vocabulis* differentes accedunt, operique integro prolixa de *Angelorum linguis* Dissertatio Crenium autorem agnoscens præfigitur. Museum deinceps (quo titulo insignire Collectori placuit volumen alterum,) Philologicum & Historicum, post præfationem in vocis שעירים Es. XIII. 22. occurrentis significationem inquirentem, primo loco sistit Isaaci Casauboni de *Satyrica Græcorum Poësi & Romanorum Satyra* libros duos, (cujus & quatuor epistolæ, duæ puta ad Scipionem Gentilem, totidemque ad Janum Rutgersium perscriptæ & nondum hactenus editæ p. 357. in apricum producuntur, de quibus tamen, cum singulare quid haud referant, ulterius heic quicquam dicere non attinet;) quos excipit *Cyclops Euripidis Latinitate donata a Q. Septimio Florente Christiano.* Hinc *inscriptio vetus dedicationem fundi continens, ab Herode Rege factam*, comparet, prout eam Isaacus Casaubonus recensuit & notis illustravit. Porro ὀλυμπικὸς ἄγων Dissertatione Historico-Chronologica ab Ægidio Strauchio A. 1661 descriptus sistitur, ac denique Jo. Lehmanni Schediasma de *Serapide, Ægyptiorum Deo maximo*, annectitur.

## *FRANCISCI ARIOSTI DE OLEO MONTIS ZIBINII SEU Petroleo Agri Mutinensis Libellus &c.*

Mutinæ, typis Ant. Capponi, 1698. in 12. plag. 5.

Nudius tertius ad nos Illustris Magliabechii beneficio libellus hic pervenit, jam quidem A. 1460 ab Auctore suo compositus, ast A. 1690 demum e tenebris in lucem a Viro Clarissimo, Oligero Jacobæo, Professore Regio Hafniensi protractus, Hafniæque typis Jo. Phil. Bokenhorf excusus. Cum enim Oleum e montibus effluens, quod ex India Orientali a pluribus annis ad nos transmitti consuevit, & in officinas pharmaceuticas receptum *olei terræ* nomine censetur, haud dissimile Jacobæus observasset Petroleo illi, quod ex monte Zibinio in Mutinensi Italiæ tractu destillat, rem gratam se facturum putavit Orbi Erudito, si non inelegans Francisci Ariosti, Icti quondam Ferrariensis, de Petroleo Mutinensi opusculum publici juris faceret, Viro Inclyto, quem supra laudavimus, Antonio Magliabechio dedicatum. Tantum vero abest, ut spe sua exciderit, ut ab Italis ipsis, quibus Fran-

cisci Ariosti nomen (nam Ludovicus quidem Ariostus, Poeta clarissimus, exteris etiam innotuit) ignotum hactenus fuerat, avide exceptus libellus fuerit, dignusque a Clarissimo Viro, Bernardino Ramazzino, Professore Mutinensi habitus, quem recudi Mutinæ, quod Hafniensis editio rara admodum in Italia esset, curaret, adjecta insuper Epistola præsentem scaturiginum illarum statum exponente. Ac de ipso quidem Ariosti opusculo, quod doctorum virorum manibus dudum versatur, & Historias inprimis Medicas, quibus mira Petrolei illius in curandis varii generis morbis virtus comprobatur, continet, non est ut plura dicamus. Ex Ramazzini vero Epistola ut pauca delibemus, non erit invidiæ. Gratulatus nempe is tum Mutinensibus Petrolei fontibus de præcone Ariosto, tum Ariosto ipsi de patrono in tam remotis regionibus Jacobæo, memorat, in Estensi Bibliotheca non solum exemplar manuscriptum Ariosti hujus de Petroleo opusculi, quod cum editione Hafniensi contulerit, sed & alia ejusdem Auctoris scripta, Dialogum nempe de Divina Providentia, Sermonem de Purificatione B. Virginis, & Epistolam ad Sixtum IV Pontificem de rebus summo in Pontificatu suo agendis reperiri. Refert porro, ut scaturigines hasce ad duodecim millia passuum Apenninum versus Mutina distantes ipse inviserit, inque valle montes interjacente rupem præruptam, ne herbulæ quidem aut fruticeti alicujus feracem, ex cujus ventre scaturigines Petrolei erumpant, invenerit. In ea per scalam in saxo insculptam ad gradus viginti quatuor, satis commodum ad parvam scrobem descensum esse narrat, quæ aquam candicantem contineat, illique Petroleum innatare, una cum aqua ex vicina rima defluens. Ut accensa lucerna exactius cuncta perlustraret, permissum sibi a fontium custodibus non fuisse, metuentibus ne Petroleo Naphtæ ad instar flammam forte concipiente, totus subterraneus locus incendio corriperetur. Odorem vero gravissimum ingratumque has Petrolei scaptensulas ad integrum fere stadium exhalare, ut verosimile sit, cum odoris potius suavitatem Ariostus olim deprædicarit, oleosum hunc laticem a prisca sui bonitate paululum descivisse, tametsi vim medicam minime exuerit. Bis in hebdomade Petroleum colligi, & qualibet vice ex fonte primario sex libras, plus minus, educi. Tacemus quæ de Chymico processu, quo Petroleum generetur, doctissimus Ramazzinus conjectat, peragi rem omnem arbitratus vi igni-

um

um ſubterraneorum, qui in rupis ventre, tanquam in furno chymico bituminoſam materiam, qua ſolum iſtud luxuriet, fundant & colliquent, quæ poſtmodum una cum aqua ſub olei forma per rimam in ſcrobem, velut in Recipiens, defluat. Nec attingimus, quæ de tractu illo Mutinenſis agri, ignibus ſubterraneis referto, flammaſque ac ſaxa ſubinde non ſine fragore eructante, præſentientibus per aliquot dies jumentis, ut paſcua etiam proxima averſentur, memorat. Solummodo, quæ tentata Petrolei illius deſtillatione obſervaverit, ipſius Ramazzini verbis ſubjiciemus. *Deſtillationem*, inquit, *ego quoque inſtitui, ac liquor exivit, cui aliquid majoris perſpicuitatis acceſſit, ſed non parum nativi odoris deceſſit, exiguo magmate flavi coloris in fundo relicto. Petroleum ſic deſtillatum igne accenſum flammam quidem minus fuliginoſam, ſed magis languidam edere viſum eſt. Quare Petroleo, montis Feſtini ſaltem, nihil perfectionis per deſtillationem accedere, facile crediderim, cum a Natura, viribus Arti non datis, ſatis elaboratum videatur. Fragmenta laterum ignitorum in Petroleum conjeci, ut ex illis Petroleum laterinum elicerem; liquorem ruffum obtinui, qui nihil fere genuini odoris referret. Hujuſmodi occaſione expertus ſum, an igniti lateres plus aquæ abſorberent quam Petrolei, ac facto per exactiſſimam bilancem examine, plus aquæ quam Petrolei bibiſſe compertum eſt. Deſtillatio quoque facta ex æquis portionibus Aquæ fortis & Petrolei. Indiſcriminatim viſa ſunt aſcendere Petroleum & Aqua fortis; in Recipiente tamen ab invicem ſeparabantur, innatante Petroleo, ac immutato non parũ illius tum colore tum ſapore, quare Olei Amygd. am. indolem referebat. Magma in fundo collectum eſt atri coloris ad inſtar picis, in quo nihil Electrici deprehendi. In hac deſtillatione multum Petrolei abſumtum eſt, ac tota fere Aqua fortis recuperata eſt.*

## *SEX. POMPEI FESTI ET MAR. VERRII FLACCI de Verborum Significatione Libri XX.*

Amſtelodami, ſumptibus Huguetanorum, 1699. in 4. maj. Alph. 4. plag. 2.

ANni jam lapſi ſunt octodecim, ex quo Vir celeberrimus Andreas Dacerius, in uſum Sereniſſimi Delphini, hoſce de Verborum Significatione Scriptores notis ſuis & emendationibus illuſtratos Pariſiis edidit;

edidit; ceu pluribus a nobis in Actis A. 1682, pag. 174 seqq. fuit expositum. Eadem editio repetita nuper Amstelodami fuit, nec sine augmento tamen, ut vel eo nomine indicanda hoc loco Benevolo Lectori fuerit. Nimirum cum Dacerius quidem suis notis Josephi etiam Scaligeri selectas notas nonnullas admiscuisset, recentissimæ hujus editionis curatoribus visum fuit, notas Scaligeri, nec ejus tantum, sed & Antonii Augustini, nec non Fulvii Ursini integras exhibere; Fragmento etiam Festi & schedis cum notulis Fulvii Ursini subjunctis.

## LIBRI NOVI.

*Johannis Wallis Operum Mathematicorum Volumen III. Accedunt Epistolæ nonnullæ rem Mathematicam spectantes, & Opuscula quædam Miscellanea. Oxoniæ e Theatro Sheldoniano, 1699. fol.*

*Numismata Pontificum Romanorum, quæ a tempore Martini V usque ad annum 1699, vel authoritate publica, vel privato genio in lucem prodiere, explicata, ac multiplici eruditione sacra & prophana illustrata a P. Philippo Bonanni S. J. Romæ typis Dom. Ant. Herculis, 1699. fol.*

*Joh. Cunradi Sostmanni Jus Summi Imperantis circa Acta Decessoris. Ultrajecti apud Ant. Schouten, 1699. 8.*

*Voyages de Francois Bernier, Docteur en Medecine de la Faculté de Montpellier. A Amsterdam chez Paul Marret, 1699. 12.*

*The History of the Works of the Learned. Or, an Impartial Account of Books lately printed in all parts of Europe. With a Particular Relation of the State of Learning in each Country. Done by Several Hands. London, printed for H. Rhodes, T. Bennet &c. 1699. 4.*

*Fables and Storyes Moralized. Bein a Secund Part of the Fables of Æsop, and other eminent Mythologists. By Sir Roger L'Estrange. London for R. Sare, 1699. fol.*

*The Lives and Characters of the English Dramatick Poets. First begun by Mr. Langbain, improv'd and continued down to this time, by a Careful Hand. London printed for Nich. Cox and W. Turner, 1699. 8.*

A Mo-

*A Modest Defence of the Clergy of the Church of England, against the false suggestions and injust prejudices of the present Age. London, printed for John Nutt, 1699. 4.*

*A Discours upon the Form and Manner of Making, Ordaining and Consecrating Bischops, Priests and Deacons, according to the Order of the Church of England. By Thomas Comber. London for R. Clavell, 1699. 8.*

*Joh. Frid. Hornii Architectonica de Civitate, notis illustrata a Simone Kuchenbecker. Lugd. Bat. apud Corn. Boutensteyn, 1699. 8.*

*Georgii Hornii Introductio in Historiam Universalem, aucta ab Hieronymo Dicelio. Lipsiæ apud Joh. Herb. Klos, 1699. 12.*

*Dialogues Posthumes du Sieur de la Bruyére sur le Quiétisme. A Paris, chez Charles Osmont, 1699. 12.*

*Parrhasiana, ou Pensées diverses sur des matieres de Critique, d' Histoire, de Morale & de Politique. Avec la Defense de divers Ouvrages de Mr. L. C. par Theodore Parrhase. A Amsterdam chez les Heretiers d' Antoine Schelte, 1699. 8.*

*Les Plans & les Descriptions de deux des plus belles maisons de campagne de Pline le Consul, avec des Remarques sur tous ses bâtimens, & une Dissertation touchand l' Architecture Antique & Gothique. Par Mr. Felibien des Avaux. A Paris, chez Florentin & Pierre de Laulne, 1699. 8.*

*Histoire, ou Antiquitez de l' Etat Monastique & Religieux. A Paris, chez Francois André Pralard, 1699. 12.*

*Traitez Historiques sur la Grace & la Predestination. Avec un Memorial de Lanuza presenté à Paul V, & le Traité d' un Abbé contre Abaillard. Par l' Abbé de St. Julien. A Sens, chez Louis Prusserot, 1699.*

*Nicolai Vallerii, Ostrogothia Sueci, Tentamina Physico-Chymica circa Aquas Thermales Aquisgranenses. Lugd. Bat. apud Corn. Boutensteyn, 1699. 8.*

*De Eruditione comparanda in Humanioribus &c. Tractatus Joach. Camerarii, Joh. Fungeri, Arn. Clapmarii, Christoph. Coleri, Joh. Caselii, Ign. Hallielis, Ægidii a Lancken, Joh. Andr. Bosii &c. Thomas Crenius conlegit &c. Lugduni Bat. apud Abrah. de Swarte & H. Teering, 1699. 4.*

* * * * * *
* * *

# ACTA ERUDITORUM

## *Publicata Lipsiæ*

*Calendis Septembris, Anno M DC XCIX.*

*R. P. NATALIS ALEXANDRI, ORDINIS FRATRUM PRÆdicatorum, Historia Ecclesiastica Veteris Novique Testamenti, & in loca ejusdem insignia Dissertationes Historicæ, Chronologicæ, Criticæ & Dogmaticæ, in octo divisa tomos, ante quidem per partes, nunc autem conjunctim & accuratius edita.*

Parisiis, apud Antonium Dezallier, 1699. fol. Alphab. 64.

FRequentissima olim fuit in Actis hisce nostris mentio Natalis Alexandri, occasionem quidem subministrante Historia, quam composuit, utriusque Testamenti Ecclesiastica. Quemadmodum enim hanc Eruditissimus Autor in pluribus voluminibus diversis temporibus sigillatim quondam edidit: ita anno statim primo, tertio dehinc & quarto, sexto etiam ac septimo Actorum nostrorum ea memoravimus; nec primus Supplementorum tomus mentione ejusdem caret, integram quippe Veteris Testamenti Historiam Ecclesiasticam a Natali repræsentatam in nucleo exhibens. Quin & hic ipse annus memoriam illius nobis refricuit, posteaquam Maxime Reverendi Veielii Isagogen in solertissimi Autoris opus universum, mense superiori Julio p. 320 adumbrandam nobis sumsimus. Hac autem vice circa novam illius editionem versabimur, quandoquidem tot volumina minora in octo tomos majores constipata nunc accepimus, e quibus duo priores Historiam Veteris Testamenti complectuntur, tertius tria a Christo nato proxime quæ effluxerunt secula, quartus seculum quartum, quintus sequentia quatuor usque ad octavum, sextus nonum ad duodecimum usq;, septimus decimum tertium cum

decimo quarto, & octavus denique secula decimum quintum, decimumque sextum continet.

Antequam vero ad indicandas reliquas mutationes, omissiones item & accessiones in hac nova editione obvias pergamus, operæ nos facturos esse censemus pretium, si ex octo priorum a nativitate Christi seculorum historia nonnulla carptim delibemus. Ejus namque delineatio a Natali Alexandro edita cum Actorum nostrorum initium anteverterit, non potuimus non a nono demum seculo auspicia recensionum nostrarum capere; unde istum defectum nunc, postquam opus integrum auctius prodiit, qualiquali modo resarciri, haud incongruum existimamus. Seculo proinde primo describendo intentus, Christi ante omnia genealogiam, nativitatem, baptismum, prædicationem, passionem, resurrectionem & ascensionem considerat. Hinc Matthiæ & septem Ecclesiæ Diaconorum electionem, primam Evangelii prædicationem, Petri & Pauli gesta ac mortis genus enarrat, paucula de Pontificibus, qui isto tempore Romanam rexerint Ecclesiam, deque istius seculi persecutionibus commentatus. Ex hæreticis Simonem imprimis Magum introducit, ac postea Menandrum, Saturninum, Basilidem, Cerinthum, Ebionem & Nicolaitas allegat. E monumentis ad istud ævum referri solitis, scripta Christi supposititia nominat, librosque Novi Testamenti canonicos scriptis, quæ Apostolorum nomen falso præ se ferant, opponit. Nec dicere omittit de liturgiis Petro, Jacobo, Matthæo & Marco tribui suetis, de actis Pauli & Theclæ, quæ una cum epistolis aliquot ad Senecam & decantata illa ad Laodicenses spuriis annumerat; nec mitius de Barnabæ epistola deque libro Pastoris judicium fert. Primam vero Clementis ad Corinthios epistolam pro genuina agnoscit; ast vicissim reliquas ejus nomen in fronte gerentes, libros item Recognitionum cæterosque Clementi tributos rejicit. Epistolam Polycarpi ad Philippenses, & encyclicam Ecclesiæ Smyrnensis de Polycarpi martyrio approbat. Areopagitæ Dionysio libros suos vindicat. Ignatianas epistolas genuinas a spuriis segregat. Octo libros Sibyllinos ex parte, sed non æque Sibyllarum carmina conficta censet, Mercurioque Trismegisto Pimandrum abjudicat. Pleraque autem horum, posteaquam ante breviter recensuit, integris mox dissertationibus persequitur, quas inter & una est de Symbolo Apostolico, id quod omnino ab Apostolis traditum

ditum fuisse contendit; alia Petrum Romam venisse probat; alibi peculiaribus dissertationibus de fidei propagatione in Hispania Galliaque agit, inque ultima Mariæ Magdalenæ, Lazari & Marthæ in Gallias appulsum pro certo venditat. Ad seculum secundum progressus, hæreses cumprimis tunc exortas, autoresque ecclesiasticos, qui tum inclaruere, designat, & in dissertationibus Synopsi Historiæ subjunctis, præter alia liberationem Trajani ex inferno tanquam commentitiam explodit; Montanistarum & Catholicorum jejunia sibi invicem opponit, Joannem Dallæum, parem utrorumque conditionem statuentem refutare conatus; controversiam, quæ hoc seculo circa celebrationem Paschatos emersit, late recenset; nævos in S. Justino, Irenæo, Clemente Alexandrino, aut merito notatos, aut præter rem iisdem affictos, dissertationibus tribus, sed una, ast ea tamen sat prolixa, doctrinam Tertulliani examinat. Seorsim quoque de versione septuagintavirali differit, & quibusdam interjectis, traditionum non scriptarum necessitatem & autoritatem adversus Rivetum & Dallæum tueri nititur. Præcipuæ seculi tertii dissertationes versantur circa fidem Zephirini, Romani Pontificis; circa Libellaticos; disciplinam pœnitentiæ; controversiam circa hæreticos rebaptizandos; mores, fidem atque defensores Origenis, materiasque ad tempora hæc spectantes alias. Seculo quarto Historiam imprimis Donatistarum illustrat, inque commentationem de Concilio Nicæno multum operæ impendit, Constantinum Magnum non Romæ, sed Nicomediæ baptizatum asserit, donationem ejusdem explodit, perpetuam Deiparæ virginitatem contra Helvidium, Jovinianum & Bonosum, sanctæ itidem virginitatis meritum adversus Jovinianum vindicat. In Historia seculi quinti, & ejusdem Synopsi, Pelagianorum imprimis errores late considerat, Synodosque, quibus ansam hi suppeditarint, recenset, nec constitutiones Imperatorum, atque debellationes sanctorum & eruditorum virorum adversus eos susceptas indicare omittit. Inde ad Semi-Pelagianos pergens, eadem utitur industria, parilique studio Prædestinatianam, Eutychianam, Nestorianam & reliquas hæreses persequitur. Ad Scriptores Ecclesiasticos delatus, Augustini præ cæteris prolixe meminit, & ejus pseudepigrapha enumerat. Inter dissertationes prima ostendit, quod Diospolitana Synodus, etsi decepta, Pelagium absolverit, sed ejus tamen hæresin damnarit. Tertia Zosimum Celestii hære-

ſin approbaſſe negat. Septima Concilium Epheſinum contemplatur. Octava epiſtolas, anathematiſmos & reliqua S. Cyrilli ſcripta penitus ab errorum Apollinaris labe aliena pronunciat, atque adeo perperam ea ab Orientalibus hæreſeos inſimulata fuiſſe dicit. In decima octava de Zenonis Henotico ſuam hanc ſententiam aperit, quod, etſi nullam hæreſin aperte contineret, merito tamen a piis quibuſdam rejectum fuerit. In ſequenti decima nona Acacium, utut a fide haud alienum, juſtis tamen de cauſis a Romanis Pontificibus damnatum ſiſtit. Vigeſima quinta diſſertatio in eo tota eſt, ut contra Vigilantium & alios venerationem reliquiarum Sanctorumque cultum & invocationem ſtatuminet, ac Joannis præſertim Dallæi libros de religioſi cultus objecto, in quantum illi iſtis adverſantur, refutet. Seculi ſexti Synopſis præter memoratu digniora alia, multas etiam Synodos multaq; Concilia deſcribit, & cauſam trium Capitulorum uberius declarat; prout & in peculiari diſſertatione, quæ quarta eſt ad præſens ſeculum ſpectantium, eadem merito damnata fuiſſe innuit. Poſt Symmachi cauſam Romanæ Synodo ſubjectam contemplatur; Scythas monachos ab Eutychiana hæreſi abſolvit; in Synodi quintæ œcumenicæ convocationem, præſidem, autoritatem inquirit; tandemque Aphthartodocetas atque Agnöetas ſigillatim perſtringit. E diſſertationibus ſeptimum illuſtrantibus ſeculum, ſecundam ſtatim nominamus, qua Honorium in ſexta Synodo œcumenica juſte damnatum probat, ut naſcentis Monotheliſmi Monothelitarumque fautorem, licet eum ab hæreſi excuſari tam vere quam pie fateatur. Quarta Wambam, Gothorum Regem, a Concilio Toletano XII exautoratum negat. Quinta, ſexta & ſeptima Monothelitarum, Mahometanam & Paulicianorum hæreſin convellit. Ut magnam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſeculi octavi partem conficit iconoclaſtarum hæreſis; ita hinc occaſionem mutuatur Noſter, uſum cultumque imaginum prolixa ſatis diſſertatione adverſus varias, & Dallæanas maxime, impugnationes aſſerendi. Ante tamen in diſſertatione ſecunda de translatione Regni Francorum a Childerico Rege ad Pipinum, Majorem Domus, agit, & nec Zachariæ, nec Stephani III Romanorum Pontificum autoritate regnum iſtud translatum contendit.

Jam quod ad mutationes in nova hac editione factas attinet, levior fortaſſis illa eſt, quando ad ſeculum primum in peculiari diſſertatione

tatione fidem Nicolai, unius e ſeptem Diaconis, contemplatur, de qua tamen in editione prima ad articulum ſeptimum capitis decimi, ubi de Nicolaitarum erroribus ſermo, diſſeruerat. Seculo duodecimo, incertum qua de cauſa, inſtituta eſt ordinis inverſio, dum diſſertatio de Concilio Lateranenſi tertio, quæ prior olim fuerat, poſterior facta eſt illa, quæ agit de contentione inter Eccleſiæ Romanæ Cardinales & Gallicanos Præſules, exorta in Concilio Rhemenſi A. 1148, occaſione Symboli contra Gilb. Porretani errores ab iſtis editi. Notatu magis dignum hoc in loco illud eſt, quod appendicem de Canone XLVII Concilii Carhaginenſis tertii de libris canonicis, quam in priori editione ſeculo quarto ſubjunxerat, a ſede ſua nunc dimovit, & de libris ejuscemodi ad Vetus Teſtamentum pertinentibus in V. T. Hiſtoria, de libris autem Novo Teſtamento vindicandis ſeculo ſtatim a C. N. primo latius diſpexit.

Acceſſionum maxima pars conſtat peculiaribus, quæ ipſe vocat, ſcholiis, quibus anſam dedit indiculus cenſurarum variarum, quæ ab anonymis quibuſdam Religioſis contra iſthoc ejus opus ſuſceptæ fuerunt. Iſtum ſibi ab Eminentiſſimo quodam Cardinali oblatum teſtatur, inque eo multa ſibi monet tribui, a verbis plerumque ſuis & mente prorſus aliena; multa per ſe innoxia, quæ hiſtorice duntaxat tradiderit, acerbis perſæpe criminationibus impeti, quaſi aſſerta eſſent ut dogmata inconcuſſa fide ab omnibus tenenda; multa ſibi affingi queritur, ac ſi iis autoritatem ſedis Apoſtolicæ impugnaſſet, quam ob rem juſtæ defenſionis gratia ſcholia hæc ſingulis capitibus, diſſertationibus, quæſtionibus & articulis, in quibus aliqua notarunt Cenſores, ſubjunxit.

Equidem in Hiſtoria Veteris Teſtamenti ſcholiorum iſtorummet pauca ſunt, & in his plerumque tantum allegat Autor Patrum aut aliorum Scriptorum ſententias, idem, quod ipſe ante dixerat, confirmantes. Interdum typos paſſim obvios evolvit. Jam applicationes ſubjicit ad praxin Chriſtianiſmi facientes. Modo myſticas textuum Biblicorum interpretationes tradit. Inter potiſſima tamen eorum, quæ ex acroamaticis ab ipſo addita ſunt, iſtud forſan retuleris, quod pag. 27 tomi I non aſſentitur iis, qui Moſen Angelorum creationem eam ob cauſam non commemoraſſe dicunt, ne Judæi ad idololatriam jam ſatis propenſi Angelos ut Numina colerent. Nihil enim magis

conducere potuisse respondet ad divinos Angelis honores haud deferendos, quam eorum creationem. Potius itaque eam ob causam heic siluisse Mosen innuit, quod aspectabilis duntaxat mundi creationem scribere instituisset.

Ast insigniora sunt, quæ Novi Testamenti ecclesiasticam historiam locupletare deprehenduntur, scholia, e quibus aliqua huc referemus, & talia præsertim, ubi ne latum quidem unguem a pristina sententia discedendum sibi venire contendit. Ita v. g. Tom. III ad nummum Herodis Antipæ, tempus nativitatis Christi, quod ipse determinarat, confirmantem provocat p. 74. Cur Patrum plerorumque sententiam de morte Christi sub duorum Geminorum Consulatu haud amplexus fuerit, declarat p. 84. Recte se dixisse profitetur, quod Episcoporum autoritas sit immediate a Deo p. 117, & quod Petrus ex imprudentia peccarit, factoque suo gentibus scandalum dederit, p. 139. Anacletum a Cleto distinctum non esse, adhuc se credere affirmat p. 156. Epistolas decretales Romanorum Pontificum ad Siricium usque apocryphas esse, novis testimoniis probat p. 218. Merito se de assumtione B. Virginis in cœlos dubitasse monet p. 301. Recte etiam se docuisse ait, quod abstinendum sit ab uxoribus prægnantibus, p. 307. quod summi Pontifices in quæstionibus facti possint decipi, p. 331. quod non sit hæresis, si quis animas & Angelos corpus habere dixerit, p. 393. quod Parochorum ordo sit de Jure divino, p. 576. quod offula Judæ a Christo porrecta panis eucharisticus non fuerit, p. 719. quod tribus seculis prioribus nullum in Ecclesia imaginum usum, aut certe admodum rarum, deprehendere licuerit, p. 744. Tomo IV denuo defendit, Clericos, quod tributa haud solvant, minime ex Jure Divino, sed ex Imperatorum pietate & munificentia habere, p. 5. non censendam sententiam erroneam, quæ Paulum perhibeat vixisse in conjugio, p. 99. comœdias esse illicitas, p. 103. hymnum, *Te Deum laudamus*, Ambrosii non esse, p. 156. S. Hieronymum non fuisse Cardinalem, p. 172. Imperatorem Episcoporum sententias in Conciliis promulgatas autoritate sua confirmasse, p. 187. Constantinum Romæ non esse baptizatum, p. 307. Lege veteri Synedrium causas & delicta summi Pontificis cognovisse, p. 609. dissertationem denique, qua mentales restrictiones impugnarat, adversus anonymum æquivocationes defendentem vindicat p. 622. In scholiis Tomi V adhuc asserit, Zosimum errorem

facti

facti in Celestii & Pelagii causa commisisse p. 42. Reges Galliæ, ex quo Christiani facti fuerint, habuisse potestatem convocandi Concilia nationalia, p. 198. Episcopos respectu Papæ vocandos Coëpiscopos, p. 390. Dissertationem de Honorii in sexta Synodo œcumenica damnatione legitima, quam maximam partem expungendam esse Censores dixerant, defendit p. 615. seq. In Tomi VI scholiis ulterius affirmat, Sergium III nequissimum fuisse Papam p. 27. Johannem quoque XII pessimam egisse vitam, mortemque eum pessimam mansisse, p. 32. Papæ non promitti obedientiam a Gallis absolute, sed secundum Canones, p. 118. Donationes Papæ factas esse non a Constantino, sed a Galliæ Regibus p. 184. Dissertationem de translatione Imperii a Græcis ad Francos præter rem a censoribus expungendam postulari innuit p. 217. seq. Joannem VIII indignum Romano Pontifice facinus edidisse, rescindendo Prædecessorum & œcumenicæ Synodi decreta, p. 275. contendit. Tomo VII persistit in ea opinione, quod Parisiensis Facultas habeat jus doctrinalis judicii, p. 92. quod S. Thomas Aquinas nunquam Casini monachus extiterit, p. 143. quod Sanctius II Lusitaniæ Rex regno prorsus ineptum & cucullo quam diademate digniorem se gesserit, p. 309. Tomo VIII, quicquid censoribus videatur secus, statuit, Sixtum IV pessimo exemplo suos ditasse, spoliando Ecclesiam, p. 24. Sacramentum non adorari, sed Christum, p. 158. Trithemium ob Steganographiam in Magiæ suspicionem immerito fuisse vocatum, p. 207. Savonarolam non incongrue virum beatæ memoriæ & Prophetam appellari, p. 276. Regios Judices non censeri mittere falcem in messem alienam, cum causas profanas Ecclesiasticorum virorum judicent, p. 707.

Etsi vero in his pluribusque similibus a sententia sua se dimoveri nequaquam passus fuerit, non æque tamen constans nobis videtur in condemnandis Joanne Tanquerello & Florentio Jacobo. Istud enim caput, in quo hos olim hæreticis eam ob causam accensuerat, quod Romano Pontifici supremam rerum omnium spiritualium pariter & temporalium potestatem tribuere haud dubitarint, in hac secunda editione omisit; unde sane vanos nos augures non fuisse colligimus, quando in Actis nostris A. 1687. p. 438. Romanæ Curiæ assertum istud parum ad palatum fore, in antecessum diximus.

Non est tamen, cur quis repetitæ huic editioni scholia modo,

quæ

quæ diximus, acceſſiſſe exiſtimet. Immixti namque paſſim ſunt libelli & tractatus ſingulares ſeorſim antea a Natali Alexandro evulgati, quorſum referas Apologeticam & Anti-Criticam adverſus Claudium Fraſſenium Diſſertationem, Pariſiis A. 1682 editam, & a nobis quoque in Actis iſtius anni menſe Decembri recenſitam, quæ una cum iſta, unde litis materiam Fraſſenius deſumſit, trigeſimam nonam & quadrageſimam ſeculo IV conſtituit. Parilem in modum Diſſertationes de divina Epiſcoporum ſuper Presbyteros eminentia adverſus Blondellum, & de ſacrorum Miniſtrorum cœlibatu, Pariſiis 1678 impreſſæ, una cum appendice de Chorepiſcopis, ſeculo IV inſeruntur. Quæ dudum Eruditis innotuit concepta adverſus Waldenſes, Albigenſes & Wiclefianos in Calvinianis redivivos de Sacramentali Confeſſione Diſputatio, locum ſuum nunc tomo VII p. 597. ſeq. ſortita eſt. Huic tomo ſubnectuntur quoque duo opuſcula A. 1680. vulgata, unum, cui titulus: Collatio Dominicani cum F. Minore de titulo Præceptoris S. Thomæ ex elogio Alexandri Halenſis expungendo, alterumque, quod Panegyricus audit Thomæ Aquinati dictus.

Denique & iſtud a nobis ſilentio haud eſt prætereundum, quod novam plane & typis nunquam antea impreſſam Diſſertationem eidem huic tomo ſeptimo Autor inſeruerit, directam adverſus Quietiſtas, in quibus Beguardorum errores novam quaſi vitam adeptos dicit. Ea fini octo propoſitiones format, quarum prima eſt: *homo in vita præſenti ſecundum legem communem tantum ac talem perfectionis gradum conſequi non poteſt, ut reddatur impeccabilis & amplius proficere non valeat.* Secunda: *Nullus eſt in hac vita perfectionis ſtatus, in quo juſti jejunare & orare, bonaque ſpiritualia, remiſſionem peccatorum, gratiam perſeverantiæ, vitam æternam, &c. deſiderare & ſupplices petere a Deo non debeant.* Tertia: *Juſti ſpiritualesque Viri, in quocunque perfectionis gradu conſtituti ſupponantur, Eccleſiæ præcepta ſervare tenentur, & Paſtoribus ac Præpoſitis obedire, non ſolum in his, quæ diſciplinam exteriorem, verum etiam in iis, quæ directionem interioris animarum ſuarum ſpectant.* Quarta: *Homo non poteſt ita finalem beatitudinem ſecundum omnem gradum perfectionis in præſenti aſſequi, ut eam in vita beata obtinebit.* Quinta: *Nulla natura intellectualis creata in ſe ipſa naturaliter beata eſt: anima vero indiget lumine gloriæ ad Deum videndum & eo beate fruendum.* Sexta: *Ad Chriſtiani hominis perfectio-*

*fectionem pertinet exercere se in actibus virtutum.* Septima: *Asserere fornicationem aliosve carnales actus non esse peccata, cum graviter tentatur exercens, hæreticum est.* Octava: *Asserere, cogitationem de Christo Jesu & ejus mysteriis omnemque erga ipsa devotionem a contemplatione excludi, hæresis est.* Harum propositionum quamlibet e domesticis primum Theologiæ suæ principiis probatam dat; post thesin cuique contrariam in Beguardis olim damnatam, ast a Quietistis nihilosecius resuscitatam fuisse innuit, eamque operose refutat. Quinimo & latus Archi-Episcopi Cameracensis hodierni, ubi ubi potest, haud obscure pungit, & idcirco antagonistis ejus, quos magno alibi numero nominavimus, accenseri utique meretur.

## *GEOGRAPHIÆ VETERIS SCRIPTORES GRÆCI MINORES, Cum interpretatione Latina, Dissertationibus, ac Annotationibus. Vol. I.*

Oxoniæ e Theatro Sheldoniano, 1698. 8. Alphab. 2.

GAvisus est Vir in primis magnus, Isaacus Casaubonus, vehementerq; lætatus quondam illis Davidis Hœschelii literis, quibus renunciabatur, fore proxime, ut minora quædam veteris Geographiæ monimenta, Græcis tradita literis, in vulgus ederentur. Neque id injuria. Intellexit enim summæ Vir doctrinæ, quanti ad Historiæ cognitionem intersit, veteres evolvi Geographos, quamque multa in Scriptoribus antiquis sine regionum, locorumque, ac fluviorum notitia ne intelligantur quidem, aut perperam explicentur, & quantus elegantis doctrinæ fructus ex iis capiatur libris, qui non magis terrarum situm, quam ingenia gentium moresque, memoriæ prodant. Hortatus igitur est Hœschelium, urgeret propositum, atque existimaret, hac futurum industria, ut superioribus, quæ ab eo acceperit, beneficiis magnus meritorum cumulus adjiciatur. Nec vero cœpto prius destitit Hœschelius, quam Marcianum Heracleotam, Scylacem Caryadensem, Artemidorum Ephesium, Dicæarchum Messenium, Isidorumq; Characenum conjunctim Augustæ Vindelicorum A. cIↃ. IↃc. Græce edidisset. At quantopere putamus gavisurum fuisse doctissimum hunc Isaacum, si ad nostra reservatus tempora, illum vidisset laborem, quem non postremum Britanniarum ornamentum, *Johannes*

*Hudſon*, ſuperiore anno ſuſcepit. Neque enim illa contentus fama, quam nova ſcitaque Thucydidis recognitione nomini peperit ſuo, id quoque opus, eruditiſſimo cuique optatiſſimum, moliri cœpit, quod nonnulli, veteris Geographiæ peritiſſimi, promiſerunt quidē antehac, ſed nondum confecerunt, aliis fortaſſe occupationibus diſtracti, fatove occupati. Nimirum conſtituit Geographorum Græcorum ſcripta, eademque minora, ſparſa paſſim ac disjecta, undique conquirere, aliorumque vel enarrationibus uberioribus, vel notis brevioribus, ſuis etiam intextis, emendare partim, partim explanare. Verum inſtitutum, laudis pleniſſimum, nec moleſtia, nec tædio vacavit. Nam Vir CL. neque aliorum, qui ejuſdem forte operis periculum fecerunt, ſchedas oculis uſurpavit, nec per literas exorare potuit lucubrationes L. Holſtenii, aut Iſaaci Voſſii commentarium, quo Hannonem & Scylacem fertur illuſtraſſe. Reliquum adeo erat, ut ſine illo apparatu ad opus hoc aggrederetur, ab iis tantum præſidiis inſtructus, quæ ad manum eſſent. Neque eo ſecius propoſitum tenuit, opuſque adornandum in tria partiri volumina decrevit. Amicis igitur in conſilium adhibitis, ſcriniiſque ſuis excuſſis, optime ſe facturum ratus eſt, ſi præcipuos Περίπλων Scriptores hoc, quod manu tenemus, primo complecteretur. Idemque illud digeſſit ita, ut ſuum cuique ſcriptori locum tribuerit pro ratione ætatis, qua floruiſſe cum crediderat, quoad majus ei lumen prætulerunt exquiſitæ Diſſertationes, quarum copiam ei fecit inſignis rei Chronologicæ diſceptator, Henricus Dodwellus. Quas quidem in ipſo primi voluminis aditu collocavit Hudſonus, quum omnium intereſſe videretur, ante, quam ipſi legantur ſcriptores, has legi, quæ de ætate illorum ſcriptiſque diligenter, nec vulgari quadam ratione exponant. Atque id quidem cauſſæ eſt, quamobrem ſtet nobis, Diſſertationes tam præclaras in aliud differre tempus, quo a nobis cum cura capitulatimque recenſeantur. Proxime, ſuo quemque loco, Geographos conſtituit Vir CL. primumque Hannonem. Eundem ſuperiori ſeculo in lucem protulit Sigiſmundus Gelenius Baſileæ A. cIↃ.IↃ.XXXIII, atq; aliquot poſt annis Latine converſum, & annotationum ſpecimine illuſtratum, cum Jo. Leonis Africa edidit Conradus Geſnerus, demumque A. cIↃ. IↃc. LXXIV. recudendum curavit Abrah. Berkelius, ſubtextis Bocharti animadverſionibus, quas ex ſecunda parte Geographiæ Sacræ mutuatus eſt. Hannoni

ſubje-

ſubjecit Scylacem. Quem quidem A. cIɔ Iɔc Auguſtæ Vindelicorum cum aliis, quæ diximus, Geographorum ſcriptis edidit Dav. Hœſchelius; interpretatus autem eſt, ſuiſque caſtigationibus juvenis admodum illuſtravit Is. Voſſius Amſtelodami A. cIɔ. Iɔc. XXXIX, demumq; celeberrimus Gronovius refinxit, & pluribus locis ſcite caſtigatum dedit Lugduni Bat. A. cIɔ. Iɔc. XCVII. Scylaci ſubjunxit Agatarchidem, ex Photii Bibliotheca deſcriptum, atque a Laurentio Rhodomanno verſum in Latinum. Cognoverat enim, illius Excerpta apud Photium longe auctiora extare, quam in editione Henr. Stephani, quæ Lut. Pariſiorum A. cIɔ. Iɔ. LVII prodiit, aut in altera ejuſdem ibid. A. cIɔ. Iɔ. XCIV adornata, aut in Oxonienſi, quā cum interpretatione A. cIɔ. Iɔ. XCVII accuravit Brettus. Agatarchidi ſubdidit Arriani Periplum Ponti Euxini, itemque alterum maris Erythræi, eidem vulgo attributum. Quorum utrumque, a Gelenio quondam pariter cum Hannone in lucem editum, cum interpretatione, multiſque enarrationum acceſſionibus, Lugduni A. cIɔ. Iɔ. LXXVI ad prelum revocavit Guil. Stuckius, ab eoque Nic. Blancardus Amſtel. cIɔ Iɔc. LXXXIII, cui fuit curæ, recognoſcere Stuckii interpretationem, aliquot locis paulo negligentiorem. Periplo maris Erythræi ob argumenti ſimilitudinem adjunxit Nearchi Paraplum, ex Arriani Indicis delibatum, & Bodlejani codicis manu exarati ope ſæpius emendatum, atque a Bonaventura Vulcanio verſum. Nearcho poſtpoſuit Marcianum Heracleotam, ab Hœſchelio una cum Scylace, atq; aliis divulgatum illum quidem, ſed temporum corruptelis depravatum, nec diligenter ſuperioris interpretis conatu expreſſum. Hunc igitur & caſtigare, & interpretari denuo inſtituit, cumque idem præter duos priores libros, quibus Ptolemæi veſtigiis inſtitit, Artemidori Epheſii, & Menippi Pergameni epitomen comprehendat, eundem cumulavit horum ſcriptorum fragmentis, quæ ex variis Scriptoribus decerpſit. Extremum attulit Anonymi Periplum Ponti Euxini, ab Iſaaco Voſſio e bibliotheca Salmaſiana cum annotatis editum, & Scylaci ſubjunctum, nuperque a CL. Gronovio cum Scylace recenſitum. His ita conſtitutis, operam dedit, ut Scriptoris cujuſque contextum ad emendatiſſimi codicis exemplum exigeret; ea tamen judicii libertate, ut nonnunquam lectionem ejectam reſtitueret, & male affectæ integriorem ſufficeret, reliquarumque editionum varietates, ibidem atque alibi paſſim obvias, ſubinde indicaret. Cumque ſtricturas breviuſculas ad imam cujuſvis paginæ

partem subjecerit, tum observationes Hœschelii, Vossii, Bocharti, Palmerii, Gronovii, ampliores in unum collegit corpus, iisdemque interseruit notas Gesneri, Stuckii, Blancardi selectas, ac quicquid demum usui scriptoribus ornamentoque futurum, aut observavit ipsemet, aut ab aliis observatum esse comperit legendo. Concinnatis ad extremum indicibus, brevique Omissorum & Corrigendorum Appendice adjecta, volumini huic ultimam imposuit manum. Illud autem Lectorem rogat Vir CL. ut sibi faciat indicium, si quod forte opusculum, Geographiæ hujus rationibus innexum, quod quidem nondum in vulgus emanarit, in bibliothecarum pluteis scriniisve meminerit asservari. Quibus quidem precibus omnes, nisi nos fallunt omnia, vota conjungunt sua, qui egregium CL. Hudsonis institutum comprobant, & quod apparatur opus, sua metiuntur utilitate, eoque reliquas ejusdem partes & lautissime instrui volunt, & cupidissime expectant.


## *DE LAPIDIBUS, PODAGRA ET CHIRAGRA IN HUMANO Corpore productis. Auctore JO. BAPTISTA CONTULO, Bononiensi Philosophiæ ac Medicinæ Doctore.*

Romæ, apud Bernabo, 1699. in 4. Plag. 20. Fig. Tab. 10.

Quam Nobilissimus Autor de calculorum & arthritidis generatione ac curatione foveat sententiam, in Actis superiori jamdum anno strictim indigitavimus, cum Brevis ipsius Instructio Medica de Glutine Italico conscripta sermone, atque hic etiam denuo annexa, esset recensenda. Ne repetendo itaque nunc eandem actum agamus, e præsenti scripto, specialius cumprimis tum calculorum in diversis corporis nostri partibus, ipsisque vesicæ quoque vulneribus ac steatomate cruris productorum exempla enumerante, tum methodum docente, qua vesicæ calculis, sive marmoreis, sive mucosis, argillosis & saponaceis in principio debeat succurri, unicam figurarum Tabulam, Tab. VI. cutis quæ structuram illustrat, nobisque VI est, una cum Autoris Observationibus nonnullis, e cadaverum sectione petitis, liceat transscribere. Nempe quemadmodum Berlingerius Gipseus, Professor quondam Bononiensis, in cerebro ægri, præternaturali capitis figura dotati

TAB. VI. ad A. 1699. pag. 396. M. Sept.

Tabula de Cute externa, interna, et pediculis microscopio inspectis in recenter mortuis.



tati, ac ex continua demum cephalalgia denati, pinealem glandulam totam petroſam, magnitudine nucem avellanam adæquantem annotavit, æri inciſam: ita Noſter in gibba dextra pulmonum adoleſcentis, a fixo pectoris dolore pertinaci conſumti, calculum marmoreum ſtriatum, ovi columbini ſpeciem præ ſe ferentem, cum alio in lobis illis prope arteriam aſperam hærente, deprehendit; in æramentorum autem fuſore quinquagenario, qui de capitis & ventriculi doloribus, inappetentia febrique continuis fuerat conqueſtus, laterem quaſi perdurum & excoctum in ventriculi fundo prope pylorum obſervavit. Neque negligenda, quæ anno elapſo in Eminentiſſimi Cardinalis Franzoni, anno ætatis octogeſimo ſexto defuncti, tam thorace, quam abdomine apertis, fuere detecta: ibi enim pulmones parvæ molis prorſus putridi; hic vero ren dexter multo minor ac flaccidior ſiniſtro, in ſiniſtri tamen ureteris extremitate prope veſicam duo calculi, magnitudine & pondere olivarum osſiculis reſpondentes, ſed inæquales ac fere triangulares, tandem præter utramque arteriam cruralem cartilagineo-oſſeam, in veſica tres calculi perquam ſcabri, alter rotundus, reliqui autem ferme ſemilunares, omnes ſibi invicem combinati ac interiori veſicæ membranæ ſtricte agglutinati, cum prioribus libræ unius pondus attingentes, comparuerunt.

*DESCRIPTIO QUINQUE PARIUM MUSCULORUM, DIVERſis capitis motibus ſuper primam & ſecundam cervicis vertebram inſervientium, nec non duorum ligamentorum, vel caput cum prima vertebra, vel hanc cum ſecunda connectentium &c. a Dn.* Dupré *Chirurgo Xenodochii Pariſienſis, quod Hotel Dieu vocant, edita, & in* Tranſactis Philoſophicis Anglicanis N. 251. *i. e.* menſe Aprilis anni præſentis, *a* Guilielmo Cowpero *cum Epicriſi recenſita. Ex Anglico ſermone in Latinum translata.*

TRactatum hunc parvum in Gallia nuper typis exſcriptum Autor ad *Liſterum* miſit, qui mecum eum communicavit. Autor ipſe magnifice de eodem videtur ſentire, dum obvia talia organa hactenus Anatomicos latuiſſe miratur hiſq; inventis æmulationem in iis, qui arti ſuæ addicti ſunt, egregie incitatum iri ſperat, ceu quæ & palmaria ſibi fuerit ratio, cur Chirurgis Xenodochii *Hotel-Dieu* illum inſcripſerit.

*Ad ipsam transversi processus primæ cervicis vertebræ radicem, musculus* (inquit) *utrinque oritur quatuor lineas* (*tertiam pollicis partem*) *latus*, *qui oblique ad interiora pergens in parvum ac levem quendam sinum ovalem, processui styloidi anterius insculptum*, *implantatur*, ac in *Figura prima* delineatus *Frænator* (*Rengorgeur*) capitis *obliquus* appellatur.

Par hocce musculorum in *Myotomia* mea *Reformata* A. 1694 divulgata p. 126, sub titulo *rectorum internorum minorum* descripsi, quod ad situm rectum vergant *rectis majoribus* subjecti, atque *rectorum minorum* posteriorum antagonistæ existant. Ab usu *annuentes* poterunt dici, cum caput antrorsum recta nutent. Alter eorum in situ in *Tractatus* mei *citati Fig.3. i.* meæque *Appendicis ad Anatomiam Corporis Humani Fig. 8. H.* & *Fig. 25. i.* exprimitur.

*A transverso processu* (inquit,) *primæ cervicis vertebræ crassus musculus carneus emergit, digitum circiter latus, qui perpendiculariter ascendens sub processu styloide inter hunc & processum mastoideum inseritur*, atque *Frænatoris* capitis *recti* nomine insignitur.

Hoc non minus, ac antecedens musculorum par, tredecim abhinc annis in corpore humano detexi, tuncque temporis D. *Brown*, Capitaneo *Wine* honoratissimo meo amico præsente, monstravi; verum primarios Myographos evolvens mox deprehendi, ultimum istud par post *Galenum* ab *Oribasio* ex parte commemoratum, & satis exacte a *Fallopio* subsequentibus descriptum fuisse verbis: *Ultimo in loco notandi sunt Musculi duo admodum parvi, qui a processu transverso primæ vertebræ orti valde graciles ascendunt ad caput, & in illud inseruntur prope mammillarem processum.* Iidem in Tractatu superius allegato *p. 127. Fig. 3. k.* describuntur ac depinguntur.

Tertium musculorum par *Frænatorum posteriorum* titulo a Dn. *Dupré* indigitatum, neutiquam (juxta ipsius descriptionem) ab iis, de quibus Autores communiter *obliquorum superiorum* nomine agunt, videtur differre.

Quartum par, cujus meminit, *Rectorum minorum* videtur portio. Hi (inquit,) *musculorum obliquorum majorum & minorum existunt auxiliarii*; id quod tamen erroneum censeo, cum musculi hi in diversis capitis motibus super primam & secundam vertebram adhibeantur, ideoque unum musculorum par utriusque adjutor esse nequeat.

queat. Recte observat, tertium hoc & quartum musculorum par in omnibus subjectis haud reperiri, a *rectis* videlicet *minoribus*, ut conjicio, distinctum. Certe si musculos multiplicare licet, prout in variis appareant subjectis, Myologia perfecta nunquam valebit obtineri, quia in corporibus nonnullis distincti haud raro reperiuntur musculi, quibus tamen alia destituuntur, quemadmodum in *Rhomboide, Psoas, Elevatore Scapulæ*, multisque aliis sæpe annotatum fuit.

*Ultimum musculorum par*, ab Autore nostro memoratum, *a medio processuum transversorum secundæ vertebræ proficiscitur, tenue ac breve, in radices sub transversis processibus vertebræ primæ desinens*. Quos musculos ab usu *Flexores vertebræ primæ super secundam* appellat.

Cum occasio nuper daretur partes has in puero, quamvis multum emaciato indagandi, carneas detegere poteram fibras musculos ejusmodi referentes, & quidem non solum inter processus transversos primæ & secundæ vertebræ, sed & duarum vicinarum, quin ex mea conjectura simili quoque ratione proximarum; tempus tamen investigationi ulterius insistere haud permittebat.

Quomodocunque autem res se habeat, difficulter mihi persuadere valeo, a musculis istis primam vertebram super secundam posse flecti. Motionis ejusmodi in dictis vertebris difficultas promte cuilibet patebit, qui modum, quo invicem articulantur, volet examinare. Constat namque, processus duos planos harum vertebrarum horizontaliter inter se adaptari, adeoque aptos unice esse, qui in alterutrum latus, interveniente axe sive processu odontoide vertebræ secundæ, moveantur. Mihi potius iidem musculi *obliquos inferiores* videntur juvare, sed cum exiles admodum existant, usum tantum habent in capite demittendo seu leniter in alterutrum latus inclinando, in quantum alteruter se contrahens processum transversum vertebræ primæ perpendiculariter ad secundam adducit, v. g. quando caput demittendo mœrorem exprimimus. Musculi transversis processibus reliquarum vertebrarum cervicis interjecti, superiori pariter vertebræ lateraliter commovendæ inserviunt.

Capitis motus super primam vertebram ex articulationis ejus modo adeo manifestus, ut summopere mirari subeat, cur plerique modernorum Anatomicorum (observante Dn. *Dupré*) caput tantummodo super secundam moveri asserant. *Pri-*

*Primum duorum ligamentorum* a *Dn. Dupré* descriptum, *inter primam & secundam vertebram in medio & anterius locatur.* Hoc nulla ratione ab eo discrepare videtur, quod *Galenus*, *Vesalius*, & tantum non omnes descripserunt, quale & anterius reliquas inter vertebras deprehenditur.

*Alterum ligamentum* (inquit,) *longitudine digitum & craffitie calamum anserinum adæquans, supra medium protensi ossis occipitis, & superiorem, mediam atque anteriorem partem vertebræ primæ connectitur. Deficiente* (pergit,) *hoc ligamento, Aponeurosis occipitis os cum vertebra colligans, hic loci robustior ac crassior observatur.* In quo pariter tantam discrepantiam a descriptione, quam plerique Scriptorum de ligamentis hujus partis exhibuere, non video, ut inventum novum mereatur dici; satis quippe evidenter anterior hujus ligamenti pars in medio omnem quamcunque reliquam ejus portionem multum crassitie excedit.

Tab. VII. Figura I. Dn. *Dupré*. partem inferiorem ossis occipitis, una cum tribus superioribus vertebris cervicis, anterius lustratam exhibet.

A. Processus mastoideus. 2. Protensio ossis occipitis. 3. Foramen ossis occipitis, per quod medulla spinalis descendit.

4. Prima vertebra cervicis. 5. Secunda. 6. Tertia. 7. Musculus, quem *Frænatorem* capitis *posteriorem* vocat. Hunc pro parte reputo *Obliqui superioris*, prout apparebit, si descriptio ipsius cum ea conferatur, quam in *Myotomia Reformata p. 120. Fig. 3. b.* suppeditavi.

8. Musculus, *Frænatoris* capitis *recti* nomine apud Dn. Dupré veniens, quem a situ *rectum lateralem* appellavi. A *Fallopio* describitur, ac in *Figura* ultimum *citata* ad *k* exprimitur.

9. Musculus, quem *Frænatorem* capitis *obliquum* dicit, ego autem *annuentem & rectum internum minorem ibid. p. 126. Fig. 3. i.* vocavi. Hic æque ac præcedens musculus in *Appendice* mea ad *Anatomiam Corporis Humani Fig. 8.* & *Fig. 25.* delineatur.

10. Musculus, quem *Flexorem primæ vertebræ* super secundam appellat.

11. Ligamentum, cujus pars superior ossis occipitis protensioni, altera vero extremitas superiori parti vertebræ primæ alligatur;

Fig 2.





Fig. 1.




Fig. 3.





Fig. 4.



tur; hoc portio videtur ejus, quod *Vesalius l. 2. c. 30.* descripsit ac delineavit.

11. Alterum ligamentum breve anterius inter omnes reliquas vertebras vulgo observatum.

Fig. 2. Dn. Dupré partem ossis occipitis, cum duabus prioribus vertebris cervicis, a tergo spectatam repræsentat.

1. Pars interior ossis occipitis. 1. 2. Musculi *recti minores*. 3. 3. Quartum musculorum par, a Dn. *Dupré* indigitatum & pro *auxiliariis obliquorum majorum & minorum* reputatum; qui *rectorum minorum* mihi videntur portio. 4. 5. Prima & secunda vertebra cervicis. A. processus mammillaris.

Quæ tamen Figuræ cum minus habeantur exactæ, commodum visum fuit, duas eorundem ossium in simili situ Figuras addere, ad vivum delineatas, non solum ut musculi superius recensiti, sed & nonnulli alii, a Dn. *Dupré* in partium harum dissectione forsan detegendi ac pro novis itidem inventis venditandi, eo melius explanentur.

Fig. 3. partem superficiei externæ in cranii basi sistit, cum partibus anterioribus cunctarum cervicis vertebrarum. NB. Lineæ, quæ punctis notantur, progressum musculorum in ossibus innuunt.

A A &c. Pars basis cranii. BB. Duo processus mammillares. CC. Processus styloidei.

D. Protensio ossis occipitis. E. Pars foraminis, per quod medulla spinalis descendit.

a a. Portiones duorum processuum condyliformium ossis occipitis, qui a vertebra prima recipiuntur.

1. 2. 3. Partes anteriores septem vertebrarum cervicis. b b. Processus transversi vertebræ primæ.

c c. Earum perforationes, quas trunci arteriarum & venarum vertebralium transeunt.

d d. Processus transversi vertebræ secundæ. e. f. g. h. i. reliquarum vertebrarum cervicis processus transversi.

k k. Partes processuum obliquorum ascendentium & descendentium pone transversos.

l l. &c, *Foramina* inter vertebras propter egressum nervo-

 rum

rum a medulla spinali.

FF. - - Musculi *annuentes* a Dn. Dupré *Frænatores obliqui* dicti.

GG - - *Recti laterales* ab eodem *Frænatores recti* vocati. HH - - Musculi, quos *Flexores vertebræ primæ* super secundam nominat, ego autem usum potius in demittendo capite præbere existimo, a processibus transversis vertebræ secundæ emergentes, ac oblique antrorsum ad primam ascendentes.

J. - - *Obliquus superior*, quem Dn. Dupré *Frænatorem posteriorem* vocat.

Fig. 4. Ossium in præcedenti Figura exhibitorum partes posteriores ostendit cum lineis æque ac antea punctatis.

A. Os occipitis. BB. Portio suturæ Lambdoideæ. CC. Ea ossis occipitis portio, ubi *Splenius, Complexus* ac reliqui musculi capitis terminantur. DD. Processus mastoidei.

EE. Portio processuum styliformium. 1. 2. 3. Partes posteriores omnium vertebrarum cervicis.

FF. Musculi *recti minores*. GG. - - Musculi, quos Dn. *Dupré* auxiliarios obliquorum majorum & minorum asserit, ego autem pro portione modo nominatorum *rectorum minorum* habeo, in cunctis haud corporibus ut distincti occurrentes.

HH. - - - *Recti laterales* a *Fallopio* memorati.

JJ. - - - Musculi exiles inter processus transversos primæ & secundæ vertebræ cervicis locati.

i. - - Alius musculus exilis priori similis, inter secundam & tertiam vertebram situs.

KK &c. Quatuor musculorum paria, quos *Interspinales colli* appello in *Myotomia Reformata* descriptos &c.

## *HISTOIRE DE L' EGLISE DEPUIS JESUS CHRIST JUSqu' à present &c. par Mr. BASNAGE. Tom. I.*

id est.

## *HISTORIA ECCLESIÆ A NATO CHRISTO AD HOC USque tempus: auctore JACOBO BANAGIO. Tomus I.*

Roterodami apud R. Leers, 1699. fol. Constat universum opus 13 Alphabetis & plagulis 17.

QUam doctrinæ & eruditionis laudem Vir Celeberrimus Jacobus Banagius ante aliquot annos ab omnibus retulit, cum in con-

conſpectu totius Eccleſiæ, Proteſtantium cauſam contra Jacobum Benignum Boſſuetum, Meldenſium Epiſcopum celeberrimum, doctrinæ variationem Proteſtantibus exprobrantem, maſcule feliciterque defenderet; eam inſigni hocce & ſplendido opere egregie auctum iri, nulli plane dubitamus. Iſtius autem certaminis, quod cum Boſſueto illi ſubeundum fuit, ſtatim in limine injicit mentionem, exempliſque plurimis evincit, variationes ſententiarum, quas de doctrinæ quibuſdam capitibus Doctores fovent, ſi Eccleſiæ fraudi eſſent, aut ex iis colligi poſſet, eam Eccleſiam, in qua deprehenduntur, non eſſe veram, & de ipſa antiqua Eccleſia, & multo magis de Romana, longe facilius hoc comprobari poſſe. Eſſe tamen variationes non unius generis, idque Boſſueto non eſſe obſervatum porro docet, indeque nec de omnibus uno eodemque judicandum modo, multo minus ex iſtis, quæ in Eccleſia Proteſtantium forte ſe offerunt, quæ leviores tamen ſint, nec ad fundamentum doctrinæ cœleſtis pertineant, colligendum, quod a veritate aberraverint. Atque hæc licet ita ſe habeant, non tamen diffitetur, hiſtoriam variationum a Boſſueto conſcriptam dediſſe ſibi occaſionem, opus iſtud præclarum, quod nunc orbi erudito exponitur, conſcribendi. Cum enim ille contra Albigenſes & Valdenſes, ceu Proteſtantium progenitores, prolixe & copioſe declamaverit, operæ ſe duxiſſe pretium, Eccleſiæ, & qua illa ſemper perſonuit, doctrinæ ſucceſſionem, juſta ſerie, a prima origine ad noſtra uſque tempora deducere. Idque ea ratione pertractandum ſibi ſumpſit, ut quatuor partibus opus univerſum abſolvatur, quarum prima hiſtoriam regiminis Eccleſiaſtici, tum generatim, tum in ſingulis diœceſibus illuſtrioribus, Alexandrina, Antiochena, Africana, Gallicana, Conſtantinopolitana, atque Romana exhibeat: altera hiſtoriam præcipuorum dogmatum, de canone Scripturæ, de traditionibus, de octo conciliis œcumenicis, de juſtificatione, de gratia, atque de euchariſtia ſiſtat: tertia vero, quæ de adoratione ſacramentorum, de cultu Angelorum, Mariæ Virginis, Sanctorum, reliquiarum, imaginum memoratu digna occurrunt, recenſeat: quarta denique hiſtoriam Albigenſium, ſucceſſionemque Eccleſiæ ad noſtra uſque tempora referat. Non diſſimulat, jam multas hiſtoriæ hujus partes ſigillatim a viris doctis fuiſſe pertractatas, quin lucubrationibus præſtantiſſimis ſummorum virorum, Blondelli, Albertini, Dallæi, Larroquani, Stillingfleeti, Dodwelli, Spanhemii, aliorumque ſe mirifice adjutum fuiſſe, gratus profite-

fitetur: aſt vel hoc nomine, quod in unum corpus coire juſſerit, quæ diſperſa hactenus erant atque disjecta, non ingratum multis hunc laborem fore, non ſine ratione ſperat.

Regiminis itaque Eccleſiaſtici hiſtoriam exhibiturus, primo de Eccleſiæ origine ejuſque regimine generatim, de Epiſcoporum, Metropolitanorum & Patriarcharum conſtitutione, eorumque poteſtate & juribus præcipit. Prima regiminis Eccleſiaſtici origo incerta dubiaque illi videtur, nec in Scriptura Sacra Epiſcopos atque Presbyteros ita diſtingui, ut non unam eandemque utrorumque fuiſſe dignitatem, exiſtimare poſſis. Hammondum hic notat, ad eruendam Epiſcoporum originem, verba quæ in Actis Apoſtolorum Cap. II. 25. de Juda leguntur, cum abiiſſe in ſuum locum, ita interpretantem, ut non ad Judam, ſed ad Matthiam Apoſtolum in Judæ locum electum, ea referat, ſenſumque eſſe contendat, admotum eſſe Matthiam Epiſcopatui, per mortem Judæ vacuo. Quam explicationem nimis ſubtilem vocat, fundamentoque deſtitui pronuntiat. Inter Patres Eccleſiæ Clementem Romanum atque Hieronymum favere Presbyterianis docet, licet Hieronymus non ſatis ſibi conſtare videatur. Euſebii magnam prima fronte hic videri auctoritatem, dum non tantum ſeriem atque nomina omnium Epiſcoporum Hieroſolymitanorum refert, ſed innuere quoque videtur, quod ipſius Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Catalogos viderit. Aſt in hanc demum ſententiam aliquem ingredi poſſe dicit, qui tantum Valeſii verſionem conſuluerit, ipſum Euſebium hoc non affirmare. Nec vero hoc eſſe ulla ratione ſimile, cum nullius Eccleſiæ Catalogi magis confuſione ac erroribus laborent, quam iſti Hieroſolymitanæ, ut adeo pro genuinis haberi nequeant. Certe ſi ipſa exempla primaria inſpexiſſet Euſebius, accuratiorem catalogum eum exhibiturum fuiſſe, dubio carere putat. Conſtare autem, quod Euſebius tantum conſuluerit Hypotypoſes Clementis, non Alexandrini, ſed alterius cujuſdam. Sed quod ad rem ipſam attinet, regiminis Eccleſiaſtici formam a Judaicis accepiſſe Chriſtianos, porro doctiſſimus Banagius oſtendit. Judæos ſuæ gentis ritus plurimos in Eccleſiam Chriſtianam intuliſſe, pro certo habet. Hinc & Presbyterorum eandem apud Judæos fuiſſe conditionem, ac apud Chriſtianos. Eadem utrobique eos quoque gaviſos fuiſſe poteſtate. Synagogarum autem Præfectos cum Epiſcopis Chriſtianorum omnino eſſe comparandos.

randos. His ita comprobatis, porro docet, in ſingulis urbibus olim conſtitutos fuiſſe Epiſcopos, nec ullam tam exiguam fuiſſe, quæ non ſuum habuerit Antiſtitem. Nec enim veteres Chriſtianos id egiſſe, ut ambitioni ac avaritiæ Epiſcoporum conſuleretur; quod tum factum, cum non niſi in urbibus majoribus conſtituti Epiſcopi, pluresq; unius regimini ſubjectæ ſunt provinciæ, autumat. Quin in primitiva Eccleſia non ſemper unum, ſed duos pluresve in una urbe fuiſſe Epiſcopos contendit. Certe eos, qui Apoſtolos pro Epiſcopis habeant, negare non poſſe, Romæ uno tempore duos Epiſcopos fuiſſe, Paulum atque Petrum, cum utrumque ibi vixiſſe, & martyrii coronam retuliſſe conſtet. In Eccleſia Hieroſolymitana itidem plures uno eodemque tempore Epiſcopos fuiſſe, vel ex maxima Epiſcoporum Hieroſolymitanorum multitudine, quæ in Catalogis eorum apud Euſebium conſpiciatur, recte colligi. Namque Blondelli conjecturam, ideo numerum horum Antiſtitum auctum tantopere eſſe, quod provectæ ætatis viri ad hanc dignitatem ibi evecti fuerint, quorum unus morte ſua mox alteri fecerit locum, ideo non approbat, quod in reliquis itidem Eccleſiis ſeniores Epiſcopali muneri admoti fuerint, & in illis nihilo ſecius tanta non inveniatur Epiſcoporum multitudo, quam in Hieroſolymitana. Sed hoc ipſo tamen nec Hammondo ſuffragatur, contendenti duas Hieroſolymis fuiſſe Eccleſias, unam ex Judæis, alteram ex Ethnicis collectam, quarum quælibet ſuum habuerit Epiſcopum. Namque huic opinioni diſerte refragari Euſebium, aſſerentem, omnes Epiſcopos, qui ad Hadrianum uſque Eccleſiæ Hieroſolymitanæ præfuerunt, natione fuiſſe Judæos; ut nunc ceteras rationes, quibus eam ſententiam impugnat, taceamus. Aſt Alexandriæ unum tantum Epiſcopum fuiſſe concedit, refellitque Abrahamum Echellenſem, duodecim uno eodemque tempore huic Eccleſiæ præfuiſſe affirmantem. Philippis & Epheſi plures uno tempore fuiſſe, extra dubium poſitum putat, quæque Hammondus hic opponit, paucis diluit. Obſervat quoque, in more poſitum fuiſſe veteribus, vivente adhuc Epiſcopo ſucceſſorem ei deſignare, ſi res Eccleſiæ iſtud poſcerent: indeque originem Coadjutorum derivat. Cujus quidem inſtituti primum exemplum in Alexandro Cappadociæ Epiſcopo, ſed poſtea cum Narciſſo Eccleſiam Hieroſolymitanam regente, reperiri affirmat. Quæ de Chorepiſcopis diſſerit, in compendio nobis exhi-

bent, quæ alii prolixe de iis ſunt commentati. Eorum originem ad ipſos Apoſtolos, fretus auctoritate Clementis Romani, refert. Etſi enim in concilio Ancyrano & Neocæſarienſi, nominis hujus primum facta ſit mentio, errare tamen magnopere, qui inde concludant, circa annum 270 demum ortos eos fuiſſe; quæ & Morini fuit ſententia, qui ideo Noſtro vapulat. Interim Chorepiſcopos Paſtorum munere fuiſſe functos, jureque in ordinem ſacrum alios recipiendi fuiſſe gaviſos, contendit. Ultra quartum quoque ſeculum hanc dignitatem in Eccleſia fuiſſe in uſu obſervat, non obſtantibus quorundam conciliorum, eam abrogantium, decretis. Hæc & alia prolixe ediſſerit, eodemque modo de parochiis Epiſcoporum, eorumque diœceſibus, functionibus quoque & juriſdictione diſputat. Metropolitanorum originem ab Ethnicis repetit. In quo dum verſatur, Hierarchiam quandam Ethnicis receptam fuiſſe, a qua Chriſtianorum Hierarchia non procul recedat, inſtituta comparatione evincit. Namque & apud eos in qualibet urbe ſacrificulis ſuperiorem quendam ſive Pontificem præfuiſſe, qui rurſus illi, ad quem ſacrorum cura in tota provincia ſpectavit, fuerit ſubjectus. Et ad horum quidem exemplum Metropolitanos in Eccleſia Chriſtiana fuiſſe conſtitutos. Illis autem, qui ad Apoſtolos Metropolitanorum inſtitutionem referunt, neutiquam ſuffragatur: refellitque argumenta, quibus doctiſſimi viri, Uſſerius, Hammondus, Marca, Morinus, Beveregius, Pagius, hanc ſententiam confirmare aggreſſi ſunt. Inter alia nonnulli eorum ex eo, quod Petrus Apoſtolus Epiſtolam ſuam ſcripſit ad fideles diſperſos per provincias Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Bithyniæ, collegerunt, conſtituiſſe eum, in regimine Eccleſiæ eandem ſequendã eſſe diſtributionem provinciarum, quam in Imperii adminiſtratione adhibuerunt Romani. Ad quod reſpondet Banagius, ſi hoc Apoſtolo conſtitutum fuiſſet, nullam ſe videre rationem, cur non Epiſcopis Epheſinæ, Nicomedienſis, aliarumque Eccleſiarum potius inſcripſerit Epiſtolam, cum & hi Metropolitani fuerint. Sed ex his, cujuſmodi cetera ſint, intelligitur. Philippis, Philadelphiæ, & Thyatiræ Eccleſias Metropolitanas fuiſſe, negat, finitque hanc tractationem, poſtquam trium primorum ſeculorum traditionem ſub examen revocavit, ſubnectendo quædam de juribus ac privilegiis Metropolitanorum. Ad Patriarchas hinc delatus, ſtatim cum Morino, Allatio, aliiſque congreditur, aſſerentes a

Petro

Petro tres Patriarchas fuisse constitutos, Alexandrinum pro Ecclesiis Africanis, Antiochenum pro Asiaticis, Romanum pro Europæis, inq; eo receptam Geographis orbis divisionem eum fuisse secutum. Ast nihil omnino, quod momentum trahat, hosceAuctores pro sua sententia afferre, Banagius docet. Namque niti eos Decretalibus ejusmodi, quæ omnium consensu ac confessione spuriæ sint ac suppostitiæ, aut uti testimoniis Pontificum, qui multis post Patriarchatuum erectionem annis vixerint, & quibus adeo nulla probandi vis insit, quippe qui secundum morem sententiamque sui temporis de ejusmodi rebus loqui consueverint. Deinde ex plerisque Auctorum Ecclesiasticorum testimoniis, quæ magno numero afferantur, nihil aliud colligi quam Petrum & Romæ & Antiochiæ fuisse. Quod si vel maxime concedatur, non tamen statim inde sequi, quod Patriarchatus ibi instituerit. Inepte quoque provocari ait ad illos, qui de magnitudine urbium Patriarchalium verba fecerunt: cum iterum non nisi per ambages, & infirmo plane concludendi genere inde elici queat, ideo hasce urbes a Petro delectas fuisse, ut Patriarchis sedem præberent. Multa id genus alia contra Patriarchalem in Ecclesia dignitatem Auctor doctissimus in medium affert, tandemque concludit, gradatim Patriarchas ad istud fastigium emersisse, quod postea in Ecclesia obtinuerunt, deque privilegiis eorundem atque functionibus itidem nonnulla subnectit.

Inter Ecclesias Patriarchales, de quibus sigillatim Auctor agit, primum locum tribuit Alexandrinæ. Eam a Marco Evangelista conditam fundatamque fuisse, plerique Hierarchiæ defensores autumant. Qui tamen Nostro fundamento destituti videntur. Eusebium enim talia commemorantem famæ incertæ inniti. Hanc autem successu temporis per traditionem in certam veritatem evaluisse, cui refragari multi nefas ducant. Accedere autem, quod quæ de itinere Marci Alexandriam suscepto referuntur, aut aperte falsa sint, aut per rationes Chronologicas, quod Auctor ostendit, ita impedita, ut sententiæ istius patroni nullo modo hæc inter se conciliare valeant. Dum in hisce occupatur, Therapeutarum illi quoque injicienda fuit mentio, quos Christianos fuisse diserte negat. Atque de origine quidem hujus Ecclesiæ postquam hæc & alia disputavit, de regiminis Ecclesiastici a Marco constituti forma, deque diœcesi Patriarchæ Alexandrini sollicitus est. Observat autem, Ecclesiam Alexandrinam in plures parochias

chias fuiſſe diviſam admodum exiguas, quarum cuilibet Presbyter aliquis præfuerit. Diœceſin autem Epiſcopi Alexandrini primo quidem urbis mœniis fuiſſe circumſcriptam, mox autem hoſce Præſules imperii ſui Eccleſiaſtici limites longius latiuſque protuliſſe. Æthiopiam autem huic Patriarchæ ſubjectam fuiſſe negat, refellitque Morinum ſecus ſentientem. Sed nec Africam ei ſubfuiſſe docet, ut ut conſtet, Alexandrini Præſulis majorem ampliorem que olim fuiſſe diœceſin quam Romani. Inter Epiſcopos Alexandrinos, primum, de quo certi quid & indubitati affirmari queat, eſſe Demetrium, quem lites, quæ cum Origene illi interceſſerunt, reddiderint celeberrimum. Demetrium iſtum non aliam ob cauſam maximo odio proſecutum fuiſſe Origenem, Banagius aſſerit, quam quod excellens Origenis ingenium, doctrina ſingulari excultum, invidiæ Demetrii eum objiceret. Aſt Origenem dum laudat, innocentiam ſimul ejus vindicat ab eorum incuſationibus, qui idolo eum thus obtuliſſe aſſerunt, ne ſtuprum Æthiopis cujusdam pati cogeretur. Hos inter & Huetius eſt, qui Epiphanii fretus auctoritate, hac de re non dubitat. Noſtro autem in ceterorum ſcriptorum fide dignorum ſilentio, Epiphanii auctoritas hic tanti non videtur, ut ea unice ſtandum ſit. Cum enim conſtet, Epiphanium Origenem magno odio fuiſſe proſecutum, facile eum adduci potuiſſe, ut aliorum narrationibus quantumvis frivolis fidem adhiberet, aut ipſe quoque tale quid fingeret, autumat. Certe ſententiam, quam Demetrius contra Origenem pronunciavit, injuſtam fuiſſe, Banagio extra dubium poſitum videtur. Sed reliquos Alexandrinæ Eccleſiæ Præſules dum ordine refert, deque illorum fatis exponit, graviſſima ſubinde Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capita attingit. Quis vero hac de re dubitaret, cum de Dionyſio Alexandrino, Alexandro, Athanaſio, Theophilo, Cyrillo, ceteriſque quorum nomina nemini, niſi qui hoſpitem plane ex veterum monumentis retulerunt animum, ignota ſunt, ex inſtituti quod ſequitur lege, prolixe illi dicendum fuerit; ne dicamus, quod ſchiſmatis Meletiani, & Arrianiſmi Hiſtoria, hic non potuerit ſicco ab eo præteriri pede.

Alexandrinum Patriarcham excipit Antiochenus. Antiochia, quæ huic ſedem præbuit, Orientis metropolis dici ſolet. Quo nomine Orientis Syriam ſolum deſignari, Banagius contendit. Eſſe quidem nonnullos, qui Orientis limites latiores, amplioreſque conſtitu-

ftituant, quod Lactantius referat, Diocletianum in Oriente fuiſſe, cum in milites Chriſtianos ſævire inciperet; aſt cum in bello contra Perſas mox in Meſopotamia, mox alibi fuerit commoratus, nihil obſtare, quo minus A. 295 Antiochiæ degere potuerit, ut adeo ibi quoque Orientis voce Syria tantum deſignetur. De origine autem Antiochenæ Eccleſiæ verba faciens, diſerte negat, eam a Petro fuiſſe fundatam. Conſtare namq; ait ex Actis Apoſtolorum, poſt mortem Stephani, nonnullos per cladem Chriſtianis Hieroſolymitanis illatam, diſperſos Antiochiam delatos, prima Chriſtianæ religionis ſemina ibi ſparſiſſe, quorum nomina ignorentur: tum demum Barnabam & poſtea Paulum Antiochiam conceſſiſſe, ut Eccleſiam ibi jam conſtitutam confirmarent, eoſque ſine dubio regimen quoque Eccleſiaſticum ibi introduxiſſe; hiſce demum peractis Petrum Antiochiam veniſſe, ibique a Paulo fuiſſe reprehenſum. Quæ omnia rem palam evincere putat, ut nulla Patrum quantumvis magna auctoritas ſecus ſentientibus proſit. Primum autem Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum Evodium fuiſſe autumat, eumque ſolum huic Eccleſiæ præfuiſſe, contra Baronium, a duobus Epiſcopis tum hanc Eccleſiam adminiſtratam fuiſſe aſſerentem, evincit. De diœceſi quoque hujus Eccleſiæ non omnes idem ſentire autumat: hoc tamen pro certo habet & explorato, Aſiam univerſam imperio Antiocheni Patriarchæ non fuiſſe ſubjectam; Ignatii autem diœceſin urbis mœniis fuiſſe circumſcriptam: de cujus vita rebuſque dum verba facit, Epiſtolam ejus ad Romanos, & Acta Martyrii ejus a Ruinarto luci publicæ expoſita ſub examen revocat. Inter ceteros autem Antiochenæ Eccleſiæ Præſules celebris quoque eſt Babylas, a quo Philippum Arabem Imperatorem, quod Gordiani filium interemiſſet, excommunicatum & templi ingreſſu prohibitum, Chryſoſtomus auctor eſt, quem multi recentiorum ſequuntur. Aſt falli Chryſoſtomum, Banagius citra ambages pronuntiat. Nimis credulum huncce fuiſſe Præſulem ait, cui facile fama & rumor aliquis impoſuerit. Interim cum ſemel aliquid pro certo arripuerat, inquit, verbis magnificis id exornare didicerat, ut nemini non veriſſimum eſſe, quod dicebat, perſuaderet. Ipſum autem Chryſoſtomum figmenti hujus vanitatem prodere, quod nomen Imperatoris ignoret, cui tale quid a Babyla contigerit. Quod ſi nunc porro, quæ de conciliis Antiochiæ habitis, de Paulo Samoſateno, de Meletio & ſchiſmate Meletiano



tiano

tiano, ceterisque Patriarchis Antiochenis, prolixe & erudite disputat, saltem eundo per summa capita, indicare vellemus, instituti nostri nobis plane migrandi essent limites. Proinde ad alia progredimur.

Africanam Ecclesiam ab Apostolis non esse fundatam constat, & ipsi hoc, ut Banagius observat, fatentur Africani, hoc ipso, eodem judice, ceteris cordatiores, qui ut Apostolorum successores viderentur, figmentis & mendaciis Ecclesiarum suarum consulere dignitati & antiquitati non erubescant. Originem autem Christianismi in Africa obscuram atque incertam esse pronuntiat: eosque qui aut Petrum Africanis doctrinam cœlestem annuntiasse, aut alium quendam Roma in Africam missum, ut hoc ibi officio fungeretur, contendunt, in magno versari errore non dubitat. Cumprimis hic Auctori res est cum Emanuele a Schelstraten, quem omnes ingenii eo contulisse vires constat, ut Romanorum Pontificum in Africanas Ecclesias imperium stabiliret: itaque ab iis & doctrinam cœlestem in Africam usque propagatam fuisse autumat, provocatque, ut plerique Romanensium solent, ad Augustinum, exerte asserentem, quod Roma illis Evangelii doctrinam impertiverit. Quod ipsum Banagius ita diluit, ut parum ingenue verba Augustini ab iis afferri conqueratur. Alloqui enim hunc Præsulem Episcopum Carthaginiensem, asserereque, quod Donatistarum facile carere queat communione, eo quod cum Ecclesia Romana, reliquoque orbe, unde Evangelium transiverit in Africam, ei communio intercedat. Omittere ergo eos verba, *reliquoque orbe*, ut propagatæ in Africa religionis Christianæ gloria ad Romanum Pontificem redeat. Ceterum Carthaginiensem Episcopum Primatem Africæ fuisse docet, ita ut licet tres fuerint in Africa Primates, juxta numerū provinciarum, in quas regiminis civilis causa Africa distributa erat, Africæ scilicet Proconsularis, Numidiæ & Mauritaniæ, ceteri tamen Carthaginiensem ceu principem & caput Episcoporum fuerint venerati: quemadmodum & in regimine civili Proconsul in ceteras provincias omnes imperium obtinuerit. Fuisse quoque horum Episcoporum Carthaginiensium insignem auctoritatem, demonstrat. Namque eos convocasse Concilia nationalia, Episcopos Africæ in ordinem sacrum recepisse, novos Episcopatus constituisse, aliisque privilegiis fuisse gavisos. Quod vero Romano Pontifici fuerint subjecti,

cti, denuo contra Schelstratenum probat, ad Tertullianum, Augustinum, Innocentium I. aliosque Pontifices provocantem. Quod ut refellat Noster, observat primo, Patrum ac Pontificum testimonia rem hanc non conficere, cum nemini fas sit in propria causa testimonium dicere. Deinde manifestum esse, Episcopos Carthaginienses jura ac privilegia Patriarchalia habuisse. Ast, inquit, his si fuere gavisi, sedi Romanæ non potuerunt esse subjecti. Disserit hinc de Primatibus, qui singulis provinciis præfuerunt, hisque enumeratis ad Cyprianum se convertit, controversiamque de baptismo Hæreticorum enarrat. Occasio hic Auctori se offert locum insignem Cypriani explicandi, quo Decium Imperatorem Cornelii Romani Pontificis æmulum vocasse videtur. Id quod maximopere ad dignitatem ac auctoritatem Romanorum Pontificum augendam pertinere contendit Albaspinæus, ut nihil temere præclarius hanc ad rem ex omni antiquitate afferri queat. Banagius contra, rejecta Salmasii emendatione, observat, a Pamelio vocem adjectam, quæ nec in codicibus MStis, nec in præstantioribus editionibus reperiatur, ut Imperatorem Pontificis æmulum faceret. Hisce velut in transitu delibatis, historiam de baptismo Hæreticorum prosequitur: quæque cum Donatistis, itemque cum Pelagianis in Africa gesta sunt, accurate edisserit, nec prætermittit, quæ a Vandalis perpessa est Ecclesia Africana, & ita porro quæ in ea usque ad Saracenorum adventum, a quibus deleta penitus atque eversa fuit, memoratu digna contigerunt, justa serie ordineque enarrat.

Restat nunc in prima hujus operis parte Historia Ecclesiæ Gallicanæ, Constantinopolitanæ & Italicarum, præsertim Romanæ sed cum ex hactenus allatis intelligi facile queat, quam tractandi rationem in his Auctor doctissimus teneat, & alia insuper non levioris momenti sese nobis offerant, hisce diutius non immorabimur. Ex Romanæ Ecclesiæ historia hoc unicum addimus, quod de Johanna Papissa, ex ordinis, quem sibi præscripsit, lege differens, nihil definiat de historiæ hujus veritate, asserta ab aliis, ab aliis in dubium vocata, sed recensitis dissentientium argumentis, judicium lectoris arbitrio committat.

Finita autem ista de Ecclesiæ regimine tractatione, ad historiam dogmatum, quibus Ecclesia Christiana ad seculum XI usque personuit, progreditur. Primum hic locum tenet doctrina de Scriptura S. ejusque Canone. Certum hic exploratumque Auctori est, Apo-

ſtolos divinitus inſpiratos ad ſcribendum ſe contuliſſe. Unicuique tamen certam ſe dediſſe occaſionem, quæ ut hocce munus ſcribendi ſuſciperet, eum impulerit. Et Matthæum quidem ob diſperſionem fidelium, in quam per furorem Judæorum conjiciebantur, permotum fuiſſe, ut hiſtoriam Chriſti ſervatoris litterarum monumentis conſignaret. Metuendum enim ei fuiſſe, ne ita disjecti, doctoreque deſtituti, veritatis jacturam facerent. Græcane an Ebræa lingua ſcripſerit, non definit. Sufficit illi affirmantium, negantiumque recenſuiſſe argumenta. Aſt Marcum Latina lingua ſcripſiſſe negat, exemplaque Evangelii ejus, quæ Venetiis & Pragæ oſtenduntur, pro ſuſpectis habet. De ceteris Novi Teſtamenti libris eodem modo multa obſervat, quæ lectu non ſunt indigna. Nos autem paucis ea ſolum indicabimus, quæ contra Dodvvellum virum doctiſſimum Banagius diſputat. Hujus ſententiam ita refert, quod aſſerat, ſcripta Apoſtolorum & Evangeliſtarum latitaſſe in obſcuro, & Chriſtianis primitivæ Eccleſiæ plane fuiſſe incognita, uſque ad tempora Trajani Imperatoris. Hoc enim victricia arma per Parthos circumferente, libros hoſce a viris ſacris ſcriptos itidem per Orientis regiones longe lateque propagatos fuiſſe. Lucam itaque Evangeliſtam, nec Matthæi, nec Marci Evangelium vidiſſe. Atque hinc eveniſſe, ut a ceteris diſſentiat, iiſque interdum contradicat. Præterea nec Clementem Romanum, nec Ignatium, nec Barnabam ad Evangelia unquam provocaſſe; ſaltem non poſſe dijudicari, ſi provocaſſe videantur, num Matthæi, an alterius cujusdam verba referant. Eosdem Apocryphos pariter ac Canonicos Auctores promiſcue citare; quod documento ſit, ab iis non ſatis a veris ſcriptoribus hiſtoriæ Evangelicæ, ſpurios & parum genuinos fuiſſe diſcretos, quod ſub Trajano demum factum ſit. Juſtinum Martyrem enim atque Irenæum primos fuiſſe, qui Evangelia in notitiam Eccleſiæ deduxerint. Ex quibus omnibus Dodvvellus, ut Banagius refert, colligit, Canonem Novi Teſtamenti per traditionem quorundam ætate conſpicuorum, qui teſtati ſint hæc ſcripta ab Apoſtolis eſſe profecta, fuiſſe conſtitutum, idque tempore Trajani Imperatoris. Hæc omnia, quantumvis ingenioſe excogitata eſſe Noſter non diffiteatur, neutiquam tamen ei ſe probant: ſed ut oſtendat, quam lubrico innitantur fundamento, duo ſibi demonſtranda ſumpſit, primo, Evangelia iſta cognita ſæpiuſque allegata fuiſſe a veteribus ante tem-

tempora Trajani; deinde, ne sub Trajano quidem jam Canonem Scripturæ fixum determinatumque fuisse. Ceterum observat, per sententiam Dodwelli fidem Scriptorum sacrorum facile in dubium vocari posse. Namque si profano homini tale quid persuadeatur, haud difficulter eum in eam ingredi posse sententiam, occultasse Evangelistas atque Apostolos ideo tam diu scripta sua, quod metuissent, ne si statim in lucem emitterentur, redarguerentur convincerenturque falsi, aut erroris, ab illis, qui oculis suis, quæ gesta erant, usurpaverant, proque testibus fide dignis adeo erant habendi. Præterea, quod Scriptores sacri non voluerint latitare sua scripta, ex fine, quem quisq; eorum sibi propositum habuerit, constare. Matthæum namque ideo Historiam suam scripsisse, ut Christiani per hostium furorem dispersi doctrinæ fideique haberent regulam. Quo fine excidisset, si voluisset Evangelium suum occultari. Ex Justino quoque observat, jam inde a temporibus Apostolorum receptum fuisse, ut diebus dominicis illorum scripta in Ecclesiis prælegerentur. Unde rursus sequi, illa non potuisse latitare in obscuro. Verba Lucæ, *quandoquidem aggressi sunt multi narrationem contexere compertarum apud nos rerum*, equidem & ab Eusebio de Evangeliis suppositítiis explicari; ast perperam, cum certum sit, eo tempore, quo Lucas scripsit, Evangelium nullum ab Hæreticis fuisse suppositum. Idque inde probat, quia falsi doctores, qui in Ecclesia Corinthiaca errores spargebant, hoc nomine a Paulo, quod Evangelia spuria finxerint, non sint reprehensi. Quin nec Simoni Mago, Gnosticorum patri, tale quid unquam fuisse objectum. Ebionitas demum hoc nomine male audire, quod libris spuriis fucum facere aliis, religioni sibi non duxerint; ast eos Evangelia Matthæi, Marci & Lucæ recepisse, constare ex Mario Mercatore, & quæ sunt id genus alia. Quod autem ad locum istum Lucæ attinet, eum tum de Christianis quibusdam, verisque fidelibus, qui historiam rerum a Christo gestarum contexere ausi sint, tum & de Matthæo atque Marco intelligi posse contendit. Multo magis autem de Johanne manifestum esse, quod reliquorum Evangelistarum libros viderit. Diserte namque hoc testari Eusebium, qui referat, eos a Johanne fuisse comprobatos. Quin eundem Auctorem diserte affirmare, hos libros jam omnibus Christianis fuisse cognitos. Denique nec illud admittit, quod Ignatius, Barnabas, Clemens & Polycarpus Evangelia nunquam cita-

 rint.

ſint. Contrarium enim prolatis ex Ignatii & Barnabæ Epiſtolis exemplis demonſtrat, quin & ex Epiſtolis Polycarpi & Clementis. Tandem addit, ipſis Hæreticis, Cerintho atque Ebioni, Evangelia iſta non fuiſſe ignota, indeque concludit, ea multo minus Orthodoxis ignota eſſe potuiſſe. Et hæc quidem contra Dodwellum diſputat. De Canonis autem Scripturæ conſtitutione dum porro eſt ſollicitus, in tribus prioribus ſeculis Canonem N. T. definitum rite determinatumq; eſſe, negat: quin unamquamque Eccleſiam hoc ſibi ſumpſiſſe, ut quosdam libros approbaret, alios rejiceret. Occaſio hinc illi enaſcitur de Epiſtola ad Ebræos, & Apocalypſi Johannis prolixius diſſerendi. Illam ab Occidentalibus, hanc maxime ab Orientalibus Eccleſiis rejectam fuiſſe, obſervat. Negat quoque, in Concilio Nicæno Canonem N. T. conſtitutum eſſe, Baroniumque refellit, & ex Hieronymi verbis, ad quem Baronius provocaverat, tale quid colligi non poſſe, demonſtrat. Potuiſſe enim Patres hujus concilii, librum quendam allegando, hoc ipſo demonſtrare, illum pro divinitus inſpirato haberi: attamen inde nullo modo ſequi, eos hac in re aliquid definiviſſe. Proinde in concilio demum Laodicenſi hoc negotium confectum, Banagius autumat. Baronium quidem aſſerere, antiquius eſſe hoc concilium Nicæno: ſed cum conſtet, in eo damnatos fuiſſe diſcipulos Photini, errorem Baronii eſſe manifeſtum. Cenſorem Baronii doctiſſimum, Pagium, ſub Joviano demum, aut ſtatim poſt ejus mortem, celebratum eſſe hoc concilium, aſſerere refert, & quidem a Theodoſio Epiſcopo Philadelphienſi, qui Arrianiſmo fuerit imbutus. Id quod Noſter negat, tum aliis, tum hac cumprimis ratione inductus, quod in hoc concilio damnati ſint Photiniani, quod non facile a Præſide Arriano expectandum ſit. De Canone V. T. plane eodem modo, eundo per ſingula ſecula diſſerit, Patrumque & veteris Eccleſiæ de eo ſententias affert.

Hiſtoriam Scripturæ Sacræ ejuſque Canonis excipit hiſtoria verſionum & traditionum, & hanc hiſtoria octo conciliorum œcumenicorum. Graviſſima hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capita ab Auctore pertractari, quivis, etiam qui librum non vidit, conjectura facile aſſequi poterit, præſertim cum Auctori in more poſitum ſit, cuncta accurate & ſumma diligentia excutere. Quantumvis tamen egregia ſint, quæ hic Lectoribus ſe offerunt, inſtituti tamen noſtri memores ad alia properamus.

Ni-

Nimirum poſt conciliorum generalium hiſtoriam, ampliſſimum campum ingreditur, hiſtoriamque gratiæ & juſtificationis, & qui cum ea connexus eſt, Pelagianiſmi per duos libros perſequitur. Et initio quidem obſervat, Patres trium priorum ſeculorum doctrinam de gratia & juſtificatione ſubtiliter non tractaſſe, eaſque quæſtiones, quæ ſequiori ætate Eccleſiam Chriſtianam traxere in partes, maximam partem iis fuiſſe ignotas. Theophilum e. g. Antiochenum, admodum confuſe de hominis ante lapſum ſpectati immortalitate ſententiam ſuam expoſuiſſe, dum negaverit, eum mortalem conditum, quæ deinceps Pelagianorum fuerit ſententia, ſimul tamen & immortalem eum per naturam fuiſſe, inficiatus ſit, quod hoc ſoli Deo ſit proprium. Quo ipſo inter immortalitatem & æternitatem non ſatis accurate diſtinxerit. Peccatum originale admiſiſſe Eccleſiam, negaſſe tamen illud Clementem Alexandrinum. Nec de ſatisfactione omnes idem ſenſiſſe; præſertim Origenis craſſos & non ferendos hic fuiſſe errores. Communem tamen fuiſſe doctrinam, qua veritas ſatisfactionis egregie ſtabiliebatur, & ad omnes omnino homines, nemine excepto, fructus mortis Chriſti atque redemptionis extendebantur. Hinc & Ignatium de gratia Dei univerſali ea uſurpaſſe verba, quæ Chriſtus de providentia Numinis pronuntiavit, quod Deus oriri faciat Solem ſuum ſuper bonos æque atque malos. Porro de juſtificatione hominis per fidem, Patres trium primorum ſeculorum conſentientem veritati foviſſe opinionem. Rurſus tamen in eo erraſſe plurimos, quod rationi humanæ atque philoſophiæ plus quam decebat tribuerint, aſſeruerintque, ejus beneficio ad æternam homines pervenire poſſe felicitatem, multoſque etiam veterum Philoſophorum perveniſſe. Quem errorem in Juſtino, Origene, aliiſque Auctor notat. Quemadmodum autem Patres hujus ætatis neceſſitatem gratiæ prævenientis omnino admiſerint: ita contra alienos fuiſſe a ſententia Scholaſticorum, ad repellendas tentationes, actioneſque bonas edendas gratiam requirentium. Quod autem ad converſionem hominis attinet, nonnullos quidem omnia gratiæ dediſſe, alios contra voluntati vires gratiæ reſiſtendi tribuiſſe. Nec eos ſibi conſtitiſſe in gratia concilianda cum libertate. Cujus quidem inconſtantiæ & contradictionis hanc cauſam eſſe Auctor arbitratur, quod viris hiſce cum diverſi generis hæreticis fuerit pugnandum. Etenim dum ſententiæ, quam defendendam

dam ſuſceperant, acriter inſiſtebant, ultra limites haud raro provehebantur, idemque illis contingebat, quoties cum alio hæretico, oppoſitam ſententiam tuente, deſcendebant in arenam. Et ita quidem ſententiam Patrum trium priorum ſeculorum de graviſſimis fidei capitibus Auctor delineavit. Hos nunc excipiunt Patres quarti ſeculi, & qui uſque ad ortum Pelagianiſmi vixerunt. Ex hiſce nonnullos peccatum originale fuiſſe inficiatos, docet. Redargui hujus erroris a Garnerio Diodorum Tarſenſem, Theodorum Mopſueſtenum, Baſilium, Chryſoſtomum, Hilarium, Ambroſium. Sed nonnullos ex hiſce perperam. Nec ſatis recte eos hic ſibi conſulere, qui Julianum ſequuntur, cum ejus verbis hic non ſit adhibenda fides. De Theodoro Mopſueſteno tamen & Chryſoſtomo rem manifeſtam eſſe putat, eoſque adeo Pelagii fuiſſe anteceſſores, aſſerere non dubitat. Docet quoque, nonnullos ex ceremoniis quibusdam, ea ætate in Eccleſia receptis, veram ejus ſententiam de peccato originali colligere, uti ex baptiſmo infantum; quam in rem prolixius inquirit. Ceterum Latinæ pariter ac Græcæ Eccleſiæ Patres pleroſque peccatum originale agnoviſſe, demonſtrat: potuiſſeque Auguſtinum, qui ex Græcis quosdam pro ſua ſententia contra Pelagium attulit, longe plures laudare, ſi eorundem habuiſſet notitiam. Pelagium contra perperam egiſſe, dum Eccleſiæ Latinæ Doctores a ſuis ſtare partibus aſſerere auſus eſt. Nec hæc ſufficiunt ad hujus ætatis Patrum ſententiam explicandam, ſed eundo per ſingulas partes, quæ de diverſis gradibus gratiæ, quam Deus peccatoribus impertit, de gratia univerſali, de gratia præveniente, & cooperante, de ſufficiente & efficaci, de libero arbitrio, de effectibus gratiæ, de juſtificatione per fidem, de imperfectione & meritis bonorum operum ſenſerint, docuerint, diſceptaverint, operoſe & ſummo ſtudio recenſet. Atque ita demum ad hiſtoriam Pelagii accedit, pauciſque de ipſo Pelagio præmiſſis, dogmata ejus de peccato originali, de viribus hominum ad exercendam virtutem, ceteraque ordine recenſet. Inter adverſarios autem Pelagii, cum præter Hieronymum, maxime emineat Auguſtinus, in genuina ejus de hiſce doctrinæ cœleſtis capitibus ſententia accurate repræſentanda, tanto diligentius elaborandum ſibi cenſuit Auctor, quanto acrius de ea ad noſtram ætatem uſque, inter viros eruditos fuerit diſceptatum. Nobis nunc non licet, quæ hac de re affert, commemorare, cum paucis verbis

his, perque compendium, ut instituti nostri leges requirunt, hoc fieri nequeat: interim prætermittendam non duximus observationem, quæ caput hocce finit. Nimirum Norisium Cardinalem Emin. atq; Garnerium, in plerisque capitibus, quæ uterque a se demum inventa aut excogitata existimaverit, plane consentire: quod omnino Banagio mirum videtur, cum eodem fere tempore uterque de hoc argumento scripserit, longissimis quoq; intervallis a se invicem remoti, ut unum ab altero ista edoctum fuisse dici nequeat. Utrumque Anianum discipulum Pelagii detexisse, qui & Usserio & ceteris viris doctis plane fuerit incognitus: utrumque Theodorum Mopsuestenum Pelagianis annumerare, quod primum a se factum existimet Norisius: utrumq; in lucem protulisse Ruffini retractationem, aut confessionem fidei, quæ satis orthodoxa videatur: utrumque observasse, ante concilium Diospolitanum Hierosolymis institutam fuisse congregationem, in qua male habitus sit Orosius, quæ vulgo inter commenta referatur: utrumque denique docuisse, dialogum Hieronymi contra Pelagianos compositum fuisse ante concilium Diospolitanum, quod perperam negaverit Baronius. Finit hanc historiæ Pelagianæ partem, differendo de decretis conciliorum & mandatis Imperatorum, quibus Pelagianismus rejectus atque condemnatus sit. Jam hisce expositis inceptam semel telam pertexit, & historiam Gratiæ ac Justificationis, ipsiusque adeo Pelagianismi & Semipelagianismi ab A. 426 usque ad seculum undecimum justa serie deducit. Multa quoque hic observatu dignissima se offerunt, at ipsa ubertas ac copia rerum pulcherrimarum nos deterret. Proinde filum nostræ narrationis hic abrumpimus, & Tomum II alia vice exhibebimus.

## *OSSERVAZIONI ISTORICHE SOPRA ALCUNI MEdaglioni Antichi.*

i. e.


## OBSERVATIONES HISTORICÆ IN QUÆDAM MAXImi moduli Numismata.

Romæ, typis D. Ant. Herculis, 1698. in 4. chartæ augustæ. Constat Alph. 2. plag. 14. multisq; figuris æneis.

HArum in numiſmata vetera obſervationum, Sereniſſimo Magno Hetruriæ Duci dicatarum, Autor eſt doctiſſimus Abbas *Philippus Buonarota*, ex clariſſima illa familia genus ducens, quæ duobus maxime decoribus illuſtrata eſt, altero Pictore & Sculptore incomparabili, altero Poeta in lingua patria & Antiquario celebri, utroque cliente Sereniſſimæ Domus Mediceæ, inſtaurandis provehendiſque bonis artibus natæ. Sunt vero numiſmata his obſervationibus expoſita majoris formæ ſeu moduli, depromta e Muſeo Eminentiſſimi Cardinalis Gaſparis de Carpinea, quibus perpetua fere ſeries Imperatorum, inde uſque ab Hadriano ad Conſtantinum M. exhibetur. Quæ cum æri incidiſſet Scalptor, & 37 tabulis comprehenſa luci publicæ ſiſtere conſtituiſſet: ut illis explicationem adderet, non invitus ſe adduci paſſus eſt Autor, qui longo uſu multa in his deprehenderat, quæ primo intuitu ne doctis quidem peritisque patere poterant. Agnoſcit vero, multa eſſe in ſtudio rei nummariæ incerta, meriſque ſæpe conjecturis niti expoſitionem ſymbolorum & imaginum, quæ arbitrio pictorum ſculptorumque ſæpe mutentur, aut ſingulare aliquod factum nullis literis proditum reſpiciant, aut ab occultis myſteriis petita ſint: quamvis non neget, quædam in hac arte ſatis eſſe certa & inter doctos explorata. Atque hæc quidem uti ſecutus eſt, & recepit: ita in illis nil ſe temere affirmare, nec incerta pro certis lectori obtrudere affirmat. Neque id derogare præſtantiæ hujus ſtudii quicquam cenſet, quin potius cum mentem in veritate inveſtiganda reddat circumſpectam, & a temeraria aſſenſione cohibeat, id ipſum ponendum eſſe judicat in reliquis hujus ſtudii utilitatibus, quæ inde in hiſtoriam ſacram & civilem, chronologiam, geographiam, literas & omne genus eruditionis redundant. Præterea recenſet, quæ in eodem illuſtri Muſeo aſſerventur antiquitatis monumenta, e marmore, gemmis, lapidibus, vitro, chryſtallo, ære aliove metallo, & demum ex ebore, quæ eo rariora, quo difficilius integra ætatem ferunt. Horum figuris cum hoc opus diſtinctum ſit atque exornatum: Autor & generatim horum omnium artificium & uſum, in quem a veteribus conficta ſint, docet, & ſpeciatim inſigniora nonnulla cum in præfatione explicat, tum in fine operis ſpecioſum triumphum Bacchi erudite luculenterque exponit. Eſt is triumphus inſculptus gemmæ, ea prorſus magnitudine, quæ hic

Præfat:

ære



ære expressa est. Spectantur in eo duo Centauri, quorum alter facem, Tab. VIII. alter thyrsum tenet: ex altero latere duæ apparent Centauræ, altera tibias inflans, altera tympanum pulsans. Hi Centauri juncti sunt currui, in quo Bacchus stat erectus, dextra cantharum, sinistra thyrsum gerens, cui a sinistris adstat Ceres, spicas & papaver sinistra ostentans; a dextris cernitur Genius, folium manibus elatis gerens. Sub Centauris in terra jacet ex una parte cista mystica, ex altera vas ingens cum patera seu phiala. Singulorum mythologiam Autor exequitur, de *Centauris* primum observans, eos Soli, Herculi, Æsculapio, sed omnium frequentissime Baccho tribui, seu quod ab eo fuerint domiti, seu quod vino fuerint delectati, (ex quo bellum eorum cum Lapithis) seu potius, quod Bacchus, teste Sarisberiensi, a Chirone Centauro fuerit educatus. *Centauras* in aliis quoque monumentis, & speciatim in nummo Juliæ Augustæ, apud Seguinum extare monet; eas vero tanquam debiliores ex regula Circensium in medio collocari debuisse, quod tunc in triumphis forte negligi potuerit. *Facem* accensam in manu sinistra Centauri in orgiis festisque Bacchi gestari solitam, non tam quod Bacchum eundem crederent ac Solem, quam quod noctu ista festa celebrarentur. *Cornu*, quod alter Centaurus sinistra præfert, pro poculo primi mortales utebantur, nec id posterioribus seculis desitum, præsertim inter eos, qui ἀμυςὶ pocula exhaurire consueverant. *Thyrsus* in altera Centauri manu, hasta est Bacchi & Bacchantium, *cujus mucro hedera lambente protegitur*, ut ait Macrobius. Nomen vero Thyrsi proprie pertinet ad caput seu fastigium hastæ obvolutum, quod plerumque ex meris hederæ foliis contexebatur, quibus nullum telum suberat. Ob quam similitudinem & pinus nomen thyrsi habebat, alioqui Baccho sacrata, & hasta ferro crassiori & rotundo prætexta, quod non dissimilis esset thyrso, dicebatur θυρσόλογχος. *Tympanum* porro, quod in Centauræ manu cernitur, instrumentum est orbiculare, extensa pelle obductum, cui nonnunquam tintinnabula erant appensa, idque in Bacchi festis orgiisque resonabat. *Tibias* porro, quas altera Centaura inflat, e mysteriis magnæ Matris Deum ad Bacchi sacra translatas putat Phornutus, quod plerisque in locis vindemiæ tibiarum cantu perstrepebant. Denique humeris Centaurarum inhæret consuetum Baccharum indumentum, videlicet, pelles tenerorum cervorum, damarumque, quas *Nebridas* vocant, aut capra-

rum, aut pantherarum, in quibus maculæ vel ſtellas referunt, ſicuti Bacchus Solem, vel racemos. *Bacchus* ipſe ſtat erectus in curru, ne vino ſuccumbere videatur, quod divinitatem non decet. Figuram ejus hi verſus Sidonii exprimunt:

*Cantharus & thyrſus dextra lævaque feruntur,*
*Nec tegit exertos ſed tangit palla lacertos.*

Juvenis vero apparet imberbis, capillo flavo, qua forma frequentius pingitur, ſeu quod ignis non ſeneſcit, a Baccho, hoc eſt, Sole profectus: ſeu quod ebrietas nunquam matura eſt. Quanquam & omnem ætatis formam recipit, imitatus Solem, qui omnes anni tempeſtates ætati humanæ reſpondentes producit. Nudus quoque ſiſtitur, quod vinum mores & cogitata cujuſque renudet. Sæpe tamen veſtitus barbatuſque conſpicitur. Ad latus ejus conſiſtit *Ceres*, cum ſpica & papavere. Utriuſque enim uſum mortales docuit, ſiquidem & ex ſpecie quadam papaveris panis conficitur. Hæc dextra Bacchum amplectitur, ut intelligatur utriuſque conjunctio vitæ tuendæ neceſſaria. Unde & utrique conjunctim cultus exhibitus, cum apud Ægyptios Oſiridi & Iſidi, qui iidem ſunt ac Bacchus & Ceres, & inter Græcos, qui nec a ſacris Eleuſiniis Cereri dicatis Bacchum excludebant. Etſi vero Iacchus ille myſteriorum Eleuſiniorum Jovis & Proſerpinæ filius habebatur, a Titanibus occiſus: in Bacchum tamen Thebanum Semeles filium ſic tranſmigraſſe credebatur, ut uterque idem eſſet & corporis ſpecie & animi dotibus. Non defore vero Autor ſuſpicatur, qui mulierem ad latus Bacchi Proſerpinam interpretentur, cui eadem ſymbola conveniant, parque cum Baccho intercedat neceſſitudo, ut in uno ſæpe templo tribus illis, Baccho, Cereri & Proſerpinæ ſtatuæ ſint poſitæ, & huic *Liberæ* cognomen ſit inditum, quod ſoror Bacchi ſit habita. Nonnullos vero putat in illa muliere Bacchi amicam agnituros, quam in triumpho ducat, præſertim quod *Cupido* videatur, qui currum præcedit volans. Autor vero cenſet hunc potius unum eſſe ex *Geniis*, qui Diis veluti pueri miniſtrique adjungi ſolent; folium vero manibus explicitum, comparatum eſſe muſcis abigendis. De *coronis ederaceis* cum alii jam occupaverint dicere, paucis monet, ederam a Baccho ſociiſque forte aſcitam eſſe, quod inculto illo ævo deeſſent plantæ elegantiores: retentam poſtea religione quadam, utut in cæteris Bacchantes delicias luxumque cupidiſſime ſequerentur. *Ciſta myſtica*, quæ Centauri pedibus

dibus subjacet, in pompis sacris gestata, continebat varia a Gentilibus studiose celata, sed a Clemente Alexandrino in Protreptico prodita. Hæc initiati in mysteriis depromebant, & certis carminibus recitatis in cistam reponebant. *Serpens* cistæ incubans Jovem indicabat, qui sub hac figura e Proserpina Bacchum genuerat: quanquam & amuleti vicem præstabant serpentes, quos etiam quasi vino amicos & hederæ, ad instar coronæ capite vel manu præferebant. Postremo vas illud ingens, si ansis instructum esset, cantharus videri posset: sicuti patera rotunda, larga & plana phiala haberi potest, quam clypeum Bacchi metaphorice dici, Aristoteles autor est. Plura vero vasa Baccho dicata, & ab eodem in expeditione Indica circumvecta, quibus Indos ad ebrietatem adduceret, Nonnus in Dionysiacis occinit. Verum satis de Bacchi triumpho.

Accedimus ad numismata, quibus dilucidandis hoc opus perscriptum est. Ex iis ad *Hadrianum* Imp. spectant septem, ad puerum ab eo adamatum & consecratum *Antinoum* tria, ad *Antoninum Pium* sex, ad *M. Antoninum* & *L. Aurelium Verum* Divos Fratres octo, ad *Commodũ* duodecim, ad *Septimium Severum, Caracallã* & *Getam* duodecim, ad *Macrinum* duo, ad *Severum Alexandrum* tria, ad *Maximinum* duo, ad *Gordianum* octo, ad *Philippos* patrem & filium, illiusque conjugem *Otaciliam Severam* quatuor, ad *Decium* quatuor, ad *Trebonianum* unum, ad *Gallum & Volusianum* unum, ad *Valerianum* duo, ad *Gallienum* quatuor, ad *Corneliam Saloninam* Aug. & *Saloninum* Cæsarem duo, ad *Postumum* duo, ad *Aurelianum* unum, quod tamen Autor (detrita enim est inscriptio) Maximiani potius esse censet, ad *Probum* sex, ad *Carum, Carinum & Numerianum* quinque, ad *Diocletianum* sex, ad *Maximianum* septem, ad *Galerium* duo, ad *Constantinum M.* quatuor, in quibus duo Constantinopolim habent inscriptam, ad *Decentium* Cæsarem unum. His subjiciuntur numismata partim excavata, ut pyxidem referre videantur, partim ex mera lamina quæ constant, nec publica autoritate videntur percussa, partim in varios usus perforata, partim ad oram circumcisa, partim utrinque prominentia, ut axis vicem præstare possint. Denique agmen claudunt numismata quædam in superioribus prætermissa & suis locis addenda, velut in *Antinoum*, in *Crispinam* Aug. *Juliam* Augustam, *Caracallam* & *Gordianum*. Observationes, quibus hæc numismata illustrantur, mul-

ta reconditaque eruditione ſunt refertæ: ex quibus ut pauca delibe-
mus,(neque enim ſingula perſequi inſtituti noſtri fert ratio) ad num-
p. 7. mum ſecundum Hadriani, in quo Victoria bigam agit, belli Judaici
tempora & periodos exponit Autor, quod unum ab Hadriano revera
p. 9. geſtum eſſe docet. Ad tertium Hadriani numiſma, quod clypei for-
mam gerit, diſquirit, cur & quando clypei Heroibus fuerint dicati: &
priſcis temporibus nonniſi clypeos hoſtibus ereptos in templis ſuſpen-
ſos eſſe, poſthæc, cum hos ipſos, in quibus imagines Virorum illuſtri-
um conſpiciebant, exoleſcente cladis memoria, veneratione proſe-
querentur, Viris bene meritis ſeu demortuis ſeu vivis ſimiles clypeos
p. 17. fuiſſe dedicatos commemorat. In quinto Hadriani nummo cum ex-
tet templum decem columnis ſtatuiſque ornatum, id eſſe Romæ Ve-
neriſque templum, inſtauratis Palilibus ab Hadriano conditum, ejuſ-
que architectum, qui errores quosdam in Hadriani ſciagraphia nota-
verat, ab eo fuiſſe occiſum, & qui fuerint iſti errores, erudite docet.
p. 30. Nummus ſecundus in honorem Antinoi a Tharſenſibus percuſſus facit,
ut, qui Tharſum ornaverint extulerintque Imperatores; quis metropo-
lim provinciæ fecerit (quod Hadrianum feciſſe ſuſpicatur, Dionem-
que Chryſoſtomum eam vocantem μητρόπολιν ἐξ ἀρχῆς, emen-
dat, & legit μητρόπολιν ἐπαρχίας;) Cydni fluminis eam alluentis
quæ fuerit amœnitas, & quo cultu fluvios proſecuti fuerint Gentiles,
p. 36. diſſerat. In tertio Antinoi nummo id novum & a priſca religione a-
lienum obſervat, quod idem & *Heros* dicatur, & *novus Apollo*. Heroes
enim medium ordinem inter Deos homines obtinent, iiſque tribuunt
inferias ἐναγίζουσι, Diis vero ſacrificant, θύουσι. Hoc diſcrimen po-
ſteriori ævo creſcente adulatione neglectum, etiam hoc exemplo ap-
p. 51. paret. Ex nummo tertio Antonini Pii demonſtrat annum victoriæ
de Mauris partæ, quem Capitolinus ſilet, videlicet 913 U. C. & 160 N.
p. 71. Chr. utpote qui reſpondet XXIII Trib. Pot. in numiſmate notato. In
nummo Fauſtinæ, quam Cyziceni Proſerpinæ ſpecie repræſentant, ſi-
milibus exemplis oſtendit, ſub imaginibus Deorum ipſos Principes fu-
iſſe expreſſos, Proſerpinam vero Cyzici eximie cultam fuiſſe docet.
p. 86. Nummum L. Veri a Magnetibus percuſſum, & in averſa parte Dianæ
Leucophrynes effigie ſignatum, ad Magneſiam, quæ ad Mœandrum
eſt, pertinere oſtendit, utpote in qua ædes Dianæ fuerit ſtructuræ ar-
tificio Epheſinum templum vincens; reliqua quoque hujus urbis or-

namen-

namenta & fata exponit. Qui factum sit, ut Commodus nunc Marci, nunc Lucii prænomine uteretur, ad nummum hujus Imp. secundum disputat, & Lucium vocatum esse usque ad annum III Trib. pot. hinc modo Marcum, modo Lucium, postremo nonnisi Lucium appellatum esse observat, in L. Veri sine dubio memoriam, quem imitari magis quam patrem studuerit, imo a quo forte fuerit adoptatus. In nummo Caracallæ triumphum explicat, qui illic exhibetur, & quod subscriptum est, B. ΝΕΩΚΟΡΟΙ, nullo quamvis præeunte exponit, *Bis Neocori*, non quod duplici vice isto munere sint perfuncti, sed quod uno decreto honos is fuerit geminatus. In altero Caracallæ nummo *Alexandrina Pythia* ludos fuisse docet, in honorem Caracallæ a Communi Thracum institutos: recepto jam more, ut ludos Diis dicatos ad Impp. transferrent. De cætero *Alexandri* cognomen, quod Caracalla sibi ascivit, vix unquam in nummis occurrit, non magis ac *Magni*, quod demum ab illius obitu in nummis legitur, & cum Divo conjungitur. Numisma Getæ Cæsaris in aversa parte sistit templum, & in eo simulachrum Jovis Labradeni cum hasta & securi, a Milesiis, quorum hic nummus est, sub hac figura cultum. Cur vero non cum sceptro, nec cum fulmine, sed cum securi & hasta sit effictus Jupiter, e Plutarcho docet Autor, & ab illa securi Lydica voce Jovem esse dictum *Labradeum*, & ab illo ornatu *militarem*. Antiquitatis vero notam in templo & simulachro esse monet, quod hoc desinat in Hermam seu statuam Mercurialem. In primo Macrini nummo caput Imper. imberbe apparet, in aliis barbatum, idque inde factum esse tradit Autor, quod Macrinus imperio potitus ad imitationem M. Antonini Philosophi se componere cœperit, quem tamen non nisi barba, incessu, sermone expresserit, a reliquis ejus virtutibus prorsus alienus. In nummo Maximini tres puellas in aversa parte cum libra & cornu copiæ conspicuas, addita inscriptione, *Æquitas Augusti*, monetam eamque triplicem, auri, argenti, æris referre, singularumque ornatus unicuique generi monetæ convenire ostendit. Ad nummum Constantini M. primum, in quo caput Imper. corona laureata, eaque gemmis distincta ornatum apparet, observat, hunc Imp invexisse hunc morem, ut & perpetuum diadema gestaverit, & unionibus gemmisque illud insigniverit; quod cum priores Impp. aliquando tentassent, id illis vitio versum & effœminato luxui tributum esse: Constantinum tamen reli-

p. 103. p. 154. p. 160. p. 167. p. 211. p. 220. p. 246. p. 386.

religione potius ductum coronam gestasse, quam mater Helena e terra sancta illi transmiserat Dominicas crucis ferro inter gemmas coruscantem. Eundem Imperatorem dictum esse Victorem, non in elogii, sed prænominis vim & modum, epigraphe nummi: VICT. CONSTANTINUS AUG. ostendit. Plura, neque ea minus elegantia, facile afferri poterant: verum ea quisque ex ipso fonte jucundius hauriet.

*THE LIVES AND CHARACTERS OF THE ENGLISH DRAmatick Poets.*

i. e.

*VITÆ ET CHARACTERES POETARUM DRAMATICORUM Anglorum, primo per* Langbainium *editi, nunc ad hæc usque tempora producti.*

Londini apud N. Cox & W. Turner, 1699. in 8. plag. 15.

IN tanta antiquitatis jactura inter alia non parum dolemus, quod perierint nobis excellentissimi Vitarum scriptores. Etsi enim, ut de Philosophis dicamus, supersint etiamnum Diogenis Laertii, Philostrati, Jamblichi, Hesychii, Eunapii vitæ, tamen & periere nobis auctores longe nobiliores, & hi adeo parum sibi constant non raro, ut vix unus Philostratus in vita Apollonii Tyanæi implevisse satis videatur τȣ̃ βιογράφȣ nomen. De Poetis vero antiquis prope nihil nobis, nisi ex Lexicographis, vel Locorum Communium compilatoribus nonnullis constat. Optime quidem speciatim Dramaticis post Aristotelem & Callimachum consuluerat Aristophanes, nobilis Grammaticus, consignando Διδασκαλίας, quibus catalogum & chronologiam omnium dramatum a Poetis factorum complexus est; verum & hoc opus intercidit. Interim laudandi illorum hoc ævo conatus sunt, qui vel dramatum a suæ nationis hominibus editorum numerum ineunt, vel vitas auctorum atque characteres apte describunt, quorũ illud inter Italos Leo Allatius in opere posthumo *Dramaturgia* dicto, quod septem indicibus Italico quidem idiomate comprehenditur, impressum *Romæ* A. 1666, utrumque vero ante complures annos apud Anglos *Langbainius*, ejusque nunc continuator *Carolus Gildon* præstiterunt. Quanquam enim, quod ad Anglos attinet, duo alii quoque, *Winstanley* & *Phillips*, de poetis nonnulla ediderunt, tamen hi & veteres poetas & cujuscunque generis recentiores complexi simul

sunt

ſunt & in recenſendis dramaticis parciores habentur. Unus, quod ſciamus, *Langbainius*, etſi ſucceſſu non plane proſpero, ſolos Theatri ſcriptores aggreſſus eſt; & quantum de auctoribus Dramatum, quorum catalogum exhibet ſatis ſpiſſum, expiſcari potuit, ita in unum volumen congeſſit, ut odio ſubinde in quosdam abreptus, & appoſitis ſæpiuſcule exemplis male ſelectis, in Poeſi tum Comica tum Tragica mediocriter verſatus videri queat. Quæ cuncta cum obſervaret *Carolus Gildon*, ut librum ad pretium paulo tenuius reduceret, tum ut ſuo loco ſupplere aptius poſſet, quæ deſiderabantur, exempla illa ineptiora omiſit, Poetas item, quibus non optime voluit Langbainius, vindicavit, aliorum vero, quos ſupra modum laudaverat, ſphalmata minime diſſimulavit. Sufficere hæc forſitan poterant, ut de inſtituto continuatoris Lectori benevolo conſtaret. Verum quoniam juvat quoque ex ipſo libro aliquid delibare, colligemus fœminarum nomina, quæ dramate apud Anglos excelluiſſe feruntur. Inter has vero agmen merito ducit *Aphara Behn*, quæ Aſtrææ nomine apud Poetas venit, orta Cantuarii, cujus præter ſeptendecim dramata excellentiſſima, exſtant etiam poemata alia, in quibus eſt, quod obiter monemus, quo fatum Ducis Rocheſtriæ, Poetæ incomparabilis, acerbiſſime lamentatur. Puella dicitur pulchritudine excelluiſſe, maturior vero ætate non ſuum tantummodo ſexum ſuperaſſe in poeſi, ſed & maximam partem ſexus præſtantioris. Amarunt viventem, parentarunt mortuæ omnes. Sepulcrum vero ejus eſt in clauſtris Abbatiæ Weſtmonaſterienſis ſub marmore, cui Anglice inſcriptum eſt in hunc ferme ſenſum:

Ingenio ſuperare ſuo quæ cuncta valebat,
Ingenio mortem vincere non potuit.

Jungimus, quæ illam ætate paululum anteceſſit, ſed poematis gloria longe inferior eſt, *Catharinam Philips*, natam in Walliæ quodam tractu. Unde ſi quis detur Helicon, in Wallia illum eſſe, Comes de Orrery aſſeverat in carmine, quod hujus fœminæ poematibus præmitti meminimus, beatamque prædicat provinciam, a qua Rex titulum habeat, & in qua vivat *Orinda*. Hoc enim illi nomen faciunt poetæ, ut *Aſtraæ* nomen *Behniæ*, quorſum adludunt fere omnes, quorum plauſus *Aſtraæ* poematibus præmittuntur, bene Angliæ ominantium, ex jactura *Orindæ* tam feliciter reparata. Quanquam itaque laude ſua,

quam plena manu congesserunt Orrerius Comes, Cowleus, aliique præstantissimi Poetæ, fraudanda nec hæc est, nolumus tamen cum Auctore contendere, cui *Orindæ* nostræ poemata *Astrææ* illis longe frigidiora videntur. Tragoedias duas *Cornelii* in suam linguam ex Gallica feliciter satis transtulit, *Horatium* & *Pompejum*, quarum hæc tamen majori cum plausu acta fuit. Ut omittamus Franciscam *Boothby* & Elisabetham *Carew*, quarum illa sub Carolo II, hæc sub Elisabetha vixit, utramque unius tantum partus matrem: non possumus non meminisse *Margaretæ* Ducissæ Novi Castelli, quam novimus famæ, quoad vixit, fuisse cupidissimam. Ea quidem, si minus aliis operibus, philosophicis, orationibus, epistolis, quæ aliquot volumina complent, Vita tamen mariti Wilhelmi, in qua adeo nihil dissimulavit, ut aliarum quoque foeminarum fassa fuerit amantem, cetera sibi fidum, immortalem famam videtur promeruisse. Dramata scripsit, si singula volumina computaveris, viginti sex, quibus sæpius subjecta leguntur carmina ab ejusdem ingenii marito composita. Sed & memoranda hic est alia foemina genere non minus, quam favore, quo poetas, speciatim Samuelem Danielem, præceptorem suum prosequebatur, eminentissima, *Maria* Comitissa de Pembrock, soror *Philippi Sidney*, cui is *Arcadiam* suam inscripserat. Ea unica fertur Gildono foemina, quæ vere faverit poetis; verum tragoediam ejus *Antonium* tanta laude dignam negat, quanta illam ornat *Langbainius*, paulo nimis semper favens generi & nobilitati. Supersunt tres foeminæ de gloria theatri hodie maxime inter se certantes, in quibus enarrandis sequemur ordinem Auctoris, qui in illis tanto accuratiorem operam præstitit, quod post Langbainii demum obitum inclaruerunt. Prima Auctori est *Delarivier Manley*, Rogerii Manleii viri de republica & litteris meritissimi, filia doctissima: quippe tantum valuit ingenio, ut in tragoedia, quam scripsit, regulas Aristotelis exactissime videatur observasse, comoedia vero, quam pariter scripsit unicam, propitium magis, quam quod a vulgi plausu obtinuit, fatum promereatur. Scripsisse eadem dicitur & alios libros tecto nomine, quos adeo recensere Auctor dubitat. Plures foetus edidit editque quotidie *Maria Pix*, poetria nobilissima, sive socco, sive cothurno incedere placeat. Commendatur denique ob formam æque ac prudentiam plane singularem *Catharina Trotter*, parentibus Scotis, sed in Anglia nata. Ea non con-

ves-

versatur tantum aliis jucunde, sed & de rebus abstrusissimis prorsusque Metaphysicis egregie ratiocinatur. Tragœdias vero haud ita pridem edidit duas, quarum altera nemini displicuit, altera etiam in admirationem rapuit spectatores, atque non vulgi tantum, sed & severiorum judicum plausus obtinuit. In utraque illius castitas non minus, atque suavitas animi excellentioris abunde apparet; & si quid desideretur in illis sublimius, id non inde esse dicitur, quod ingenium muliebre pertingere eo non potuerit, sed quod sublimi ea in materia locus esset nullus.

## *JAC. B. QUADRATURA ZONARUM CYCLOIDALIUM demonstrata. Vid. Tab. IV, m. Jul. 1699.*

OMnia, quæ circa quadraturas spatiorum cycloidalium inveniri possunt, una Cycloïdis proprietate dudum detecta nituntur, & ex ea tam aperte fluunt, ut Viri celeberrimi Hugenius & Leibnitius, qui duo ejus segmenta quadrarunt, non potuissent non pari facilitate cætera omnia segmenta & sectores quadrabiles reperire, si animum intendere voluissent.

Cum enim, ut vulgo notum, B L æquetur arcui circulari A L, & spatium externum A B N segmento circulari A L I, poterit proprietatis hujus ope spatium cycloïdicum quodvis imaginabile eo reduci, ut non nisi figuræ rectilineæ & segmenta quædam circularia habeantur; idcirco, ut spatium fiat quadrabile, illi tantum termini, qui ex segmentis circularibus constant, mutuo se destruere sunt fingendi & nihilo æquales ponendi (quod fundamentum solutionis est) e qua deinde suppositione quantitates assumtæ facile determinantur. Quæritur ex. gr. quantæ sint assumendæ rectæ H K, H I (fig. 2 & 4) ut Zona I K D B quadraturam admittat: Pono $HA = a$, $HK = x$, $HI = z$, $KM = p$, $IL = q$, $AM$ vel $DM = s$, $AL$ vel $BL = t$; erunt sectores $AHM = \frac{1}{2}as$, & $AHL = \frac{1}{2}at$; adeoque segmenta $AKM$ ($ADO$) $= AHM - KHM = \frac{1}{2}as \quad \frac{1}{2}px$, & $AIL$ ($ABN$) $= AHL - IHL = \frac{1}{2}at - \frac{1}{2}qz$: Sed segmentum cycloïdicum $AKD = KO - ADO = KO - AKM = AK$ in $\overline{KM+MD} - AKM = AK$ in $\overline{KM+AM} - AKM = \overline{a-x}$ in $\overline{p+s} - \frac{1}{2}as + \frac{1}{2}px = ap \quad \frac{1}{2}px + \frac{1}{2}as - xs$; & pariter segmentum alterum $AIB = aq - \frac{1}{2}qz +$

$\frac{1}{2}at$

$\frac{1}{2}at - zt$; ac proinde Zona IKDB $=$ AIB $-$ AKD $= aq - \frac{1}{2}qz - ap + \frac{1}{2}px + \frac{1}{2}at - zt - \frac{1}{2}as + xs$, ubi liquet, quatuor priora membra denotare figuras mere rectilineas, solasque quantitates reliquas, quas ingrediuntur $t$ & $s$ impedire, quo minus Zona sit quadrabilis: facio ergo has æquales nihilo, ut sit $\frac{1}{2}at - zt - \frac{1}{2}as + xs = 0$, ubi si posuero $t$ habere ad $s$ rationem quamcunque (numeri tamen ad numerum, ut uno arcu dato alter geometrice construi possit) semper habebo æquationem, quæ, literis $t$ & $s$ eliminatis, relationem ipsius $z$ ad $x$ patefaciet; nempe, si $t = 2s$ fiet $z = \frac{a + 2x}{4}$; si $t = 3s$, habetur $z = \frac{2a + 2x}{6}$; si $t = 4s$, erit $z = \frac{3a + 2x}{8}$, & sic perpetuo in in eadem progressione. Cumque etiam ex data recta HK, sinu nempe complementi arcus AM, pervulgata analysi reperiri possit sinus complementi arcus dupli, tripli, quadrupli &c. poterit adhuc $z$ in aliis terminis inveniri; np. si $t = 2s$, erit $z = \frac{2xx - aa}{a}$; si $t = 3s$, $z = \frac{4x^3 - 3aax}{aa}$; si $t = 4s$, $z = \frac{8x^4 - 8aaxx + a^4}{a^3}$ &c. qui valores cum superioribus singuli cum singulis collati novas porro æquationes subministrabunt, per quas ipsa quoq; $x$ seu HK determinabitur.

Atque ad eundem modum infinita alia spatia quadrabilia detegi possunt. Sic reperiri potest ex. gr. sector quadrabilis DAB rectis AB, AD comprehensus, vel Zona BDML, arcu cycloidali BD & circulari LM intercepta, quæ quidem perpetuo sectoris dupla est. Existente namque HK seu $x = \frac{1}{8}a + \frac{1}{8}\sqrt{33}$, vel $x = a\sqrt{\frac{1}{6}}$, vel $32x^4 - 32aaxx - a^3x + 4a^4 = 0$; &c. & assumto arcu AL vel duplo, vel triplo, vel quadruplo &c. ipsius AM, erit subinde sector BAD $=$ $\triangle$HAL $-$ $\triangle$HAM, & Zona differentiæ Triangulorum dupla.

Methodum vero tam Facilem haud alia fini pandere volui, quam ut frater exemplo meo ad paria præstanda incitatus, mei quoque Problematis Isoperimetrici promissam analysin tandem aliquando nobis impertiat.

*RACEMATIONIS ET FLORUM SPARSIONIS TOTIUS CORporis Juris Civilis Tomus Primus. Autore & per 50 circiter annos collectore JOH. FRID. POLMAN, Nobili Drentino & jam pridem Seniore Senatorum Emdensium.*

Groningæ, apud Gisb. & Joh. Lens, 1699 in fol. Alph. 8. pl. 21.

INter præcipua eruditionis adminicula dubio procul est, selectior Excerptorum apparatus. Uti autem eorum in quavis disciplina sua est utilitas: ita in studio Juris ea longe maxima videtur, cum nulla fere disciplina officium memoriæ magis quam Legalis desideret, adeoq; magnopere enitendum sit, ut quod memoriæ viribus effici non potest, solerti calamo suppleatur. Licet vero illud maximum usum nobis afferat, quod proprio ingenio ac sudore paravimus, adeo ut celebris ille Excerptorum præco & architectus, Drexelius, non immerito existimet, notas proprias, notas optimas esse, ac unicam excerptorum paginam, proprio labore scriptam, magis usui esse, quam alias centum, quas diligentia obtulerit aliena, cum nostra nobis & magis sapiant, ut suaviora, & magis prosint, ut notiora: attamen nec labori alieno omnis abjudicanda erit utilitas, imo si quis perpenderit vitæ humanæ brevitatem, & quod non vivamus ut unice excerpamus, sed ut potius excerptis utamur, is ei etiam pretium maximum statuendum esse, eosque qui in usum aliorum excerpunt, ac sui laboris fructum per mille & amplius Lectores velut dispensant, summas mereri gratias, jure meritoque existimabit. Atque has ab iis, qui jura Romana colunt, deberi Generosissimo Autori nostro, æqui rerum arbitri sine dubio putabunt, dum in eorum usum racemationem & florum sparsionem totius juris civilis molitur, ac laudabilis laboris Tomum primum jam exhibuit. Quantum enim emolumenti inde sperare liceat, celeberrimus Pagenstecherus in epistola Operi præfixa summatim edocuit: *Utilissimas,* inquiens, *has tuas lucubrationes censeo, non Academicis tantum, sed & aliis, inprimis in foro versantibus, advocatis, respondentibus, consulentibus, judicantibus. Ex hoc Amaltheæ cornu isti Hercules sibi necessaria comparabunt.* De cætero modestia Nostri est, quod nihil nisi racemationem & florum sparsionem polliceatur: justam enim & opimam heic imminere messem, tot annorum jam elapsorum collectio,

continuataq; Noſtri induſtria facile innuunt, tam inſigne autem opus, quod ſolis Inſtitutionibus dicatum, primo loco comparet, penitus perſuadet. Rem ipſam quod attinet, propoſitum eſt Autori, ſi Deus ſiverit, nullam legem, imo nullum juris civilis paragraphum ſine dote tranſmittere, quod nec Bartolus, Baldus, P. Caſtrenſis, Angeli, Socini, Curtii, Raphaeles, Jaſon, nec ullus e Neotericis præſumere aut præſtare hactenus ſuſtinuerunt. In hoc igitur Tomo primo, propoſiti memor, ſingulis Inſtitutionum paragraphis lucem affundit, non ſolum Autores plures citando, ſed & proprias explicationes ſuggerendo: ubique autem ſe utile dulci miſcuiſſe, ut propemodum cum illo Plautino, *jocos ego ridiculos vendo, agite licemini*, dicere poſſit, in præfatione fatetur, ſecutus Alciatum, eo nomine ab ejus diſcipulo Teſſauro laudatum, nec non, judicio Eraſmi, facetiſſimum Udalricum Zaſium. Id quoque in laudato præloquio addit, ſe non ſolam theoriam, ſed & praxin uſumque hodiernum, præſertim Oſtfriſiæ, ſuis ubique locis retuliſſe, ac plura e veteribus, Bartolis & Baldis, quam neotericis decerpſiſſe. Hæc in genere nobiliſſimi laboris delineatio eſt. Specialia juxta totius Operis ſeriem dare nobis non licet, cum tot annotationum, vario ac multiplici argumento diſtinctarum, ſumma, breviſſimis licet verbis concepta, in juſtum tractatum facile excreſcere poſſit, adeoque brevitati inſtituti noſtri non conveniant. Quamobrem ex floribus, quos Noſter ſparſit, in uſum narium delicatarum, odoratum aliquem contexuiſſe faſciculum nunc ſufficiet.

Circa inſcriptionem Procemii Inſtitutionum, prolixam quæſtionis de vi & requiſitis inſtrumenti publici explicationem ex Bartolo aliiſque Noſter indicat, plura de titulis Magnatum, occaſione titulorum Juſtiniani, commemorans. Quæ ad accuratam definitionis tutelæ §. 1. I. de tutel. propoſitæ expoſitionem pertinent, eorum index ſat luculentus exſtat pag. 66. Quomodo ſingulari Antonii Matthæi ſententiæ, qua adoptionem ab extraneo factam jus patrium quoque conſtituere contenditur, occurrendum ſit, docetur p. 56. Quod autem patri vi patriæ poteſtatis in Friſia Orientali etiam competat in bonis liberorum adventitiis uſusfructus, peculiari obſervatione deducitur ad tit. 12 lib. 1. p. 63. Ob numerum liberorum excuſationem a tutela adhuc in Oſtfriſia admitti, proprio ſuo exemplo demonſtrat Noſter pag. 82. referens ſententiam, qua in Judicio Appellationis ob probatum

batum 5. liberorum numerum, a necessitate suscipiendi tutelam oblatam fuerit absolutus: id etiam per occasionem adjiciens, quod ex una uxore, adhuc viva & fidissima vitæ socia, cum ista scriberet, sex filiorum & sex filiarum, ad instar magni Tiraquelli, fuerit pater, cum semper pro virili caverit, ne sequeretur mœchas, concessa quum Venere uti posset, nec utique posthac alia calere velit fœmina. Controversiam Theologicam de gratia universali legere licet ad §. 2. I. de suspect. tutor. pag. 90. Per tutorem *fidelem*, intelligi sincerum, non præcise Romano Catholicum, ad §. ult. de suspect. tutor. annotatum reperitur pag. 92. Eorum qui immodestius se erga Tribonianum gerunt, eique temulentiam, quando forte non satis ad ipsorum gustum scripsit, imputant, exempla & censura habetur ad §. 2. I. de servit. p. 123. Heredem cum beneficio inventarii adire non posse hereditatem, si alius defuncto sanguine junctus, sine illo pure adire velit, notatur §. 6. I. de H. Q. & D. p. 204. Rebhanius fracidarum tricarum (etymologiarum) indagator eximius salutatur ad §. 5. I. de hered. quæ ab intest. p. 241. ac jus repræsentationis Enchusæ ne quidem in linea recta descendentium locum habere, ibidem docetur. Pro declaranda successione legitima, aliquot observationes Eppii hactenus ineditæ subjiciuntur p. 256. Theologum quendam, qui in familiari & convivali colloquio Justinianum, dum in §. fin. I. de grad. cognat. *veritatem oculata magis fide, quam per aures animis hominum infigi* docet, S. Scripturæ, auditum visui præferenti, & fidem ex auditu esse statuenti, contradicere existimaverat, refellit Noster p. 281. De famoso illo casu uno, in quo is, qui possidet, nihilominus actoris partes sustinere dicitur §. 2. I. de action. agit. Plura quoque annotata reperiuntur ad d. §. pag. 395. De divisione bonorum hereditariorum inter duos vel plures fratres, observationem Eppii peculiarem Noster adducit p. 462. Eodem commentandi genere idem illustravit titulos Pandectarum de verborum significatione & regulis Juris. Ad l. 2. de R. J. pag. 508. peculiari responso explicat, an heredes administratoris possint super ratiociniis conveniri, si per actorem steterit, quo minus, ipso administratore vivo, redderentur rationes? quod quidem Cephalus Consil. 8. simpliciter negavit. Ad l. 197. de R. J. p. 550. producit prolixam disquisitionem ex disputatione inaugurali Bœckelmanni, ejusque Apologia contra prætensi Parrhesii Philalethi satyram, de sacerdotali benedictione, utrum

scili-

ſcilicet illa ad eſſentiam matrimonii, an ejus ſaltem ſolennitatem pertineat? Aliorum eadem eſt ratio. Tandem huic primo Tomo adjecit etiam Conſultiſſimus Autor Obſervationum ac Præjudiciorum in Dicaſterio Oſtfriſico pronunciatorum, atque ab H. Conringio J. U. D. & Dicaſterii Vice-Præſide conſcriptorum opus, duabus partibus conſtans, quarum prior 90, poſterior 256 obſervationes continet, in quibus omnibus quæſtiones juris non proletariæ deciduntur, quod uno ac altero exemplo illuſtrabimus. In part. 1. Obſerv. 3. explicatur reſtitutio minoris contra minorem. Obſerv. 5. generalis exceptio contra Academias, qua ſcilicet partes ad Academias v. gr. Germanicas & Belgicas acta tranſmitti nolunt, rejicitur. Obſerv. 15. de agnitione & diffeſſione jurata manus tertii ſatagit. Obſerv. 34. exempla ob manifeſtam nullitatem non publicatarum ad conſilium Facultatis Juridicæ conceptarum ſententiarum recenſet. Obſerv. 45. docet, quod emtor, qui, uſque dum pretium fuerit ſolutum, dominium in re vendita ſibi reſervavit, ſi pretium poſtea non ſolvatur, Salvianum interdictum intentare nequeat, Obſerv. 50. de cumulanda ſorte & uſuris ad hoc, ut ſumma fiat appellabilis, agit. Obſerv. 88. diſquirit, an ſubſellia templorum retrahi queant. In part. 2. obſerv. 2. de bona fide in præſcriptione actionum perſonalium agitur. Obſerv. 12. circulus, qui aliquando in puncto prælationis contingat, exhibetur. Obſerv. 13. forum Quæſtorum competens explicatur. Obſerv. 27. quatenus interdictum Salvianum pupillis contra tutores competat, oſtenditur. Obſerv. 57. de juramento univerſitati delato: Obſerv. 90. de juramentis Mennonitarum diſceptatur. Sed iſta tetigiſſe ſufficiat. Coronidis loco prolixum erratorum & omiſſorum ſyllabum ad exemplum Gisberti Vœtii Theologi, nec non Andreæ Alciati aliorumq; Ictorum, in uſum Lectorum, Noſter attexuit. Id reticendum non videtur, quod Clariſſimus Autor, ne a primi hujus tomi, quem, ut ait, promulſidis inſtar delicato ſeculo propriis ſumtibus committere periclitatus eſt, emtione, auctioris editionis futuræ vel ſpe vel metu emturientes abſterreantur, ſe nunquam hunc tomum deinceps alia forma eſſe editurum, ſed, ſi omnino addendum quid videatur, ſingulari & ſeparato volumine id emiſſurum, ſancte in præfatione promittat.

* * * * * * * * *

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipsiæ*

*Calendis Octobris, Anno M DC XCIX.*


## HISTOIRE DE L' EGLISE, PAR MR. BASNAGE &c. Tome II,

i. e.

*HISTORIA ECCLESIÆ A NATO CHRISTO AD HOC USque tempus: auctore JACOBO BANAGIO. Tomus II.*

Roterodami apud R. Leers, 1699. fol.
Conſtat univerſum opus 13 Alphab. & plag. 17.

PRomiſſorum memores, alterum nunc Tomum egregii operis, quo Banagius Eccleſiæ, dogmatumque præcipuorum, quibus Chriſtiana religio abſolvitur, Hiſtoriam complexus eſt, nunc exhibemus. Statim autem ſe nobis offert ſanctiſſimum fidei noſtræ caput, quod uti amoris mutui inter Chriſtianos argumentum certiſſimum eſſe debebat, ita non temere aliud gravioribus certaminibus, odiiſque diuturnioribus occaſionem præbuit. Euchariſtiam ſacram innuimus, cujus hiſtoriam per omnia ſecula ordine, juſtaque ſerie Banagius deducit. Et primo quidem obſervat, L. XIII. circa ſenſum verborum inſtitutionis in partes abire Doctores, aliis litteralem urgentibus, aliis pro metaphorico pugnantibus. Refellit hic præcipue Arnaldum, qui in libro peculiari, perpetuam Eccleſiæ Romanæ fidem, contra Claudium, celeberrimum Eccleſiæ Reformatæ Doctorem, ita adſtruere conatus eſt, ut in capite quoque præſenti Romanenſes a veteri non deſciviſſe Eccleſia, aſſerere ſuſtineat. Banagius argumentis ejus breviter confutatis, & Apoſtolos in ſenſu me-

taphorico hæc verba intellexiſſe aſſerit, & primitivam quoque trium priorum ſeculorum Eccleſiam eodem modo ea accepiſſe. Quod ut evincat, primo Ethnicorum Judæorumque, qui hac ætate vixerunt, de Chriſtianorum Euchariſtia ſententiam exponit. Nimirum cum cetera Chriſtianorum dogmata Judæis pariter ac Ethnicis notiſſima fuerint, nullam ſe videre rationem ait, cur hoc fuerit ignotum, ſiquidem Chriſtiani veteres docuiſſent, in ſacramento Euchariſtiæ ipſum corpus ac ſanguinem Chriſti diſtribui. Aſt ſi notum fuiſſet illud, inquit, etiam fuiſſent refutaturi, cum non minus & illorum religioni & rationis quoque captui hoc repugnaret, comedere illud quod adoramus, quam cetera religionis Chriſtianæ capita, in quibus refellendis adeo deſudarunt. Ergo, cum illud non refutarint, nec veteres Chriſtianos ejuſmodi quid docuiſſe concludit. Tantum vero abeſſe, ut de tali dogmate refutando ſolliciti fuerint Ethnici, ut potius ad calumnias & obtrectationes hi ſe receperint, infantum cædes, & impuros concubitus illis exprobrando. Patres autem, Juſtinum Martyrem, Tertullianum, atque Euſebium, hanc calumniam ita fuiſſe amolitos, ut ea omnia diſerte negaverint, quæ ſibi objiciebantur. Aſt ſi verba inſtitutionis in ſenſu litterali accepiſſent, infert Autor, hoc ſaltem fateri debuiſſent, quod carne humana, nempe Chriſti, veſcerentur, ſimulque quo pacto hoc fieret, explicare, non autem diſerte negare, quod nullo modo carnem humanam comederent. Porro cum rurſus Chriſtiani impugnaverint placita Ethnicorum, variaque abſurda & a ratione abhorrentia illis objecerint, Ethnici autem, ut ſe rite defenderent, pariaque referrent paribus, ſimilia, quæ itidem rationi plane contraria videbantur, ex Chriſtianorum religione collegerint, Chriſtianoque πολυθεότητα exprobranti repoſuerint, ex Chriſtianorum diſciplina Deum habere filium, qui itidem Deus ſit, adeoque & eos plures uno adorare Deos, nihil facilius iis futurum fuiſſe, quam hoc ipſum dogma Chriſtianis regerere, ſiquidem præſentiam realem Chriſti in S. Cœna admiſiſſent. Aſt nunquam hoc feciſſe Ethnicos. Refert hic locum Tertulliani, quem cauſæ ſuæ mirifice favere putat. Diſputare namque eum ait contra Academicos, ſenſuum certitudinem in dubium vocantes, & inter alia a ratione plane aliena, quæ hinc ſequantur, hoc quoq; afferre, quod, ſi ſenſus fallant, *Chriſtus quoque potuerit falli circa ſaporem vini, quod conſecraverit in recordationem ſanguinis*

*guinis sui.* Primo hic observat, Tertullianum cum Philosophis agentem, non tamen sibi religioni ducere, de hoc mysterio erga illos verba facere. Deinde cum dicat, Christum consecrasse vinum in memoriam sanguinis sui, omnem transsubstantiationem hic unico velut ictu prosterni contendit. Neque tantum ad sensuum judicium hic provocare Tertullianum, sed insuper asserere, illud quod accepit Christus, ut inter discipulos distribueret, fuisse vinum, nec Christum circa saporem ejus fuisse deceptum. Sed alia quoque hinc colligit ad suam sententiam stabiliendam, a nobis nunc prætermittenda. Ab Ethnicis autem ad Judæos transit, asseritque nec iis mysteria Christianæ religionis fuisse ignota. Probat hoc inter alia ex dialogo Justini Martyris cum Tryphone Judæo, in quo ille cum Judæo differens, citra ambages sententiam Christianorum de sacramento Eucharistiæ exposuerit. Cum autem Judæi tanto studio corraserint ac convectaverint omnia, quibus Christianorum dogmata singula impugnarent, rursus inde concludit, eos hoc mysterium silentio ita prætermissuros non fuisse, siquidem inter Christianorum veterum dogmata hoc quoque fuisset. Ethnicis, atque Judæis, Hæreticos primitivæ Ecclesiæ adjungit. Namque & Gnosticos, & Cerinthum, & Ebionitas & alios realem præsentiam corporis Christi in sacra Cœna non credidisse, nec tamen Orthodoxis hoc dogma ceu errorem objecisse ait, quod tamen itidem eos non fuisse intermissuros existimat, si hi tale quid docuissent asseruissentque. Nec asserit saltem illud, sed probare quoque annititur, inque eo dum occupatur, multa de hisce hæreticis erudite observat. Ultimo loco autem disputat, an in veteri Ecclesia hæretici fuerint, qui S. Eucharistiam plane rejecerint. Asserere quidem Ignatium, quod nonnulli fuerint, qui ab Eucharistia S. atque precibus se prorsus abstinuerint. Ast cum ex reliquis hujus ætatis Scriptoribus neminem sibi suffragantem habeat, ejus hic tantum stare autoritate, minime consultum ducit. Equidem Pearsonium, ut Ignatio succurrat, provocare ad testimonium Polycarpi, qui dicat, eum qui neget, Christum venisse in carnem, esse Anti-Christum, & statim exhortetur suos, ut fugiant Hæreticos, & precibus atque jejunio, contra quosvis insultus se muniant. Etenim cum post preces atque jejunia S. Eucharistia usi sint Christiani, concludere inde Pearsonium, hoc sibi velle Polycarpum, Eucharistia utendum esse, adeoque fugiendos Hæreticos, qui e-

jus usum damnant. Lubricos hosce atq; incertos sequelarum anfractus in Pearsonio plane rejicit Banagius, atq; eos vel inde corruere docet, quod neutiquam post jejunium, sed post agapas potius Eucharistia usi sint veteres Christiani. Ceterum cum Arnaldus, quo cum præcipue Autori nostro res est, ad Romanæ Ecclesiæ sententiam confirmandam, ad silentium Patrum de sensu metaphorico provocarit, Banagius contra urget silentium Patrum de sensu literali. Qu'in Origenem monuisse suos, ne in sensu proprio verba institutionis acciperent, probare annititur. Nec vero tantum de sensu litterali eos nihil dixisse autumat, sed diserte quoque docuisse, in sensu metaphorico hæc verba intelligenda esse. Id quod probat notissimo Tertulliani effato, verba, *hoc est Corpus meum*, explicantis ita, *hoc est figura Corporis mei.* Cumque sibi silentium Justini obstare adhuc videat de sensu metaphorico, demonstrat hoc Reformatis fraudi esse non posse, cum ceteri Doctores abunde præstiterint, quod prætermiserit Justinus, verbaque institutionis diserte metaphorice intelligenda esse, docuerint. Atque hæc quidem ad doctrinam veteris Ecclesiæ de hoc Sacramento pertinent. De ritibus hoc subjungit, Agapas, ut vocantur, ab Ethnicis ad Christianos fluxisse, ex sententia Salmasii. Post cœnam quoque eos S. Eucharistia usos esse, fallique Bonam Cardinalem secus hic existi-
L. XIV. mantem. Cetera ex his facile intelliguntur. Ita ergo postquam S. Eucharistiæ historiam per tria priora secula explicavit, ad quartum quintumque seculum progreditur, & iisdem, quæ in antecedentibus presserat, vestigiis insistens, Ethnicorum, Judæorum, Hæreticorum, præsertim Manichæorum, Arrianorum, Nestorianorum, præsentiam realem negantium, nec tamen sententiam contrariam in Orthodoxis reprehendentium silentio, sententiam suam confirmat comprobatque. Quod autem generatim de ceteris Hæreticis affirmaverat Banagius, hoc speciatim de Synusiastis sibi demonstrandum sumsit.
L. XV. Quo nomine eos omnes complectitur, qui naturas in Christo confundebant, Apollinarem, Polemium, Eutychem, eorumque asseclas atque discipulos. Hos omnes transsubstantiationem non admisisse pronuntiat, eo quod cum illorum de naturarum confusione sententia consistere nullo modo possit. Orthodoxos contra, interque eos primum Chrysostomum, ut horum errores profligarent, argumentum deprompsisse a Sacra Eucharistia, sed ita ut liquido ostenderent, trans-

sub-

ſubſtantiationem & præſentiam realem inter ſua dogmata locum non habere. Chryſoſtomi hanc eſſe ſententiam: panem ante conſecrationem panem quidem vocari, conſecratum autem carnem Domini dici, etſi *natura panis* remaneat, nec tamen exinde duo Chriſto corpora tribui, ſed unum tantum, quod eſt Filii Dei, eum retinere: eodemque modo naturam divinam unitam corpori, unum tamen filium Dei, unamque conſtituere perſonam. Extat luculentum hoc teſtimonium in Epiſtola ad Cæſarium, hactenus quidem pro ſuſpecta habita, ſed poſtquam ab ipſo Autore, qui a Bigotio eam acceperit, publicæ luci expoſita fuerit, pro genuina ab eruditiſſimis, ut refert, agnita, ut Harduinus quoque ad effati hujus vim eludendam, aliam ſibi viam ingrediendam cenſuerit. Hunc namque aſſerere auſum eſſe, Chryſoſtomum transſubſtantiationem hoc dicto ſtabilire potius, tantum abeſſe ut eam evertat. Namque dum dicat, naturam panis remanere, proprietates externas panis eum intelligere: nec infrequens eſſe, ut Græci pariter ac Latini Patres *naturæ* voce ita utantur. Aſt hoc ita capi poſſe, id quidem eſt quod Autor negat, qui nihil eorum prætermittit, quæ ad refellendam Harduini ſententiam pertinere arbitratus fuit. Hoc labore defunctus, materiam Euchariſticam ſeculi IV & V conſiderat, deque oblationibus uſuq; azymorum in Euchariſtia multa erudite diſſerit. Contendit namque, jam Apoſtolos ipſos non azymis, ſed pane fermentato in S. Cœnæ adminiſtratione uſos eſſe, idque in IV & V adhuc ſeculo obtinuiſſe probat, teſtimonio Epiphanii & Innocentii I Romani Epiſcopi, quorum ille Ebionitis ceu crimen atque errorem objiciat, quod azymis utantur: hic autem panem fermentatum more ea ætate recepto ad Eccleſias miſerit. Quin azymorum ne apud ſexti quidem ſeculi Patres injici mentionem ait, idque agnoviſſe Mabillonium, qui ſeptimo demum ſeculo Iſidorum Hiſpalenſem eorum meminiſſe affirmet, utut ex argumentis, quibus hoc probet, minime ſequatur. Addit hic quoque morem aquam cum vino commiſcendi, & alia cum hiſce connexa. Quibus rite expoſitis, ex ipſis Patrum his ſeculis viventium ſcriptis, eorum de Euchariſtia ſententiam eruit, & primo velut per compendium & ſummatim eorum doctrinam proponit, deinde de comparatione Baptiſmi & S. Cœnæ a Patribus inſtituta verba facit; hinc quo pacto verba inſtitutionis explicaverint, ediſſerit. Nec hæc tamen illi ſufficiunt, ſed num Patres iſti

teſtimonio ſenſuum fidem in hoc Sacramento derogaverint? num crediderint, Chriſti corpus ſimul eſſe poſſe in pluribus locis? an exiſtimaverint, accidentia exiſtere poſſe ſine ſubjecto? diſquirit: aliarumque adhuc quæſtionum ad Euchariſtiam pertinentium diſcuſſionem ſubjungit. Ultimo loco de ritibus differit, circa Sacræ Cœnæ adminiſtrationem ea ætate receptis, interque alia obſervat, tempus certum huic negotio in veteri Eccleſia non fuiſſe deſtinatum, & in quibusdam Eccleſiis diebus ſolum Dominicis, in aliis quoque diebus aliis per hebdomadem, Euchariſtiæ ſacramentum frequentatum fuiſſe. Docet quoque, licet Presbyterorum fuerit ſymbola Euchariſtica diſtribuere, interdum tamen & Diaconos hoc munere functos fuiſſe, Harduinumque ſecus iterum ſentientem ex inſtituto refellit. Sed mittimus cetera, lectu non injucunda, nec quæ de ſeculo VI, VII, VIII affert,

L. XV. commemorabimus, cum quam & in his rationem teneat Autor, ex dictis intelligi haud difficulter poſſit. Summa huc redit, quod in tribus hiſce ſeculis a doctrina veteris Eccleſiæ nondum fuerit diſceſſum, ideoque quod Patres hujus ætatis nec transſubſtantiationem, nec præſentiam realem corporis ac ſanguinis Chriſti in Sacra Cœna admiſerint; niſi quod ſeculo demum octavo Johannes Damaſcenus hic innovare aliquid cœperit, qua de re deinceps dicemus. De ſexto ſeculo cum verba facit, Africanæ Eccleſiæ ſententiam hac de re paulo accuratius ſibi explicandam ſumſit, ſtatimque ab initio laudat Petrum de Marca, quod conceſſerit, aſſerueritque diſerte, primitivæ Eccleſiæ Doctores, ſpeciatim Africanos docuiſſe, in ſacramento S. Cœnæ panem poſt conſecrationem, verum manere panem. Atque hoc quidem eſt, quod porro probat Banagius, quod docuerint, poſt conſecrationem verum panem, verumque vinum accipi, itemque quod crediderint, panem eſſe ſignum corporis, idque Facundi teſtimonio comprobat, ſimulq; quæ Sirmondus ac Harduinus ad vim ejus infringendam attulerunt, diluit. Sed his aliiſque non immorabimur, cum graviora adſint, quæ

L. XVI. nos ad ſe vocant. Etenim, poſtquam Autor demonſtravit, per octo ſecula eandem fuiſſe Eccleſiæ de Sacramento Euchariſtiæ doctrinam, quo pacto ſeculo demum nono ab ea diſceſſum fuerit, oſtendere aggreditur. Fuiſſe qnidem & ſub initium iſtius ſeculi receptam hanc Eccleſiæ ſententiam, quæ nec transſubſtantiationem, nec præſentiam realem corporis & ſanguinis Chriſti admittit, exemplo Ahytonis Epiſcopi

pi Basileensis, Theodulphi Aurelianensis, Caroli M. Ludovici Pii, Agobardi Lugdunensis, aliorumque comprobare annititur, quorum de Eucharistiæ Sacramento edisserit sententiam. Ast Paschasium demum Radbertum *præsentiam carnalem*, uti loquitur, corporis Christi docere incepisse, primumque adeo esse transsubstantiationis inventorem. Licet enim & in Orientali Ecclesia seculo præcedenti a primitiva Ecclesia in hoc capite descitum sit, Paschasii tamen sententiam diversam esse a doctrina Orientalium, quippe qui autore Johanne Damasceno unionem hypostaticam panis cum corpore Christi per modum augmenti cujusdam admiserint. Paschasii autem sententiam mox tam avide arreptam fuisse ait, ut tantum non universam Ecclesiam Occidentalem, paucis exceptis, errore suo infecerit: quin ita eam invaluisse, ut vel duobus præterlapsis seculis primitivæ Ecclesiæ doctrina penitus fere fuerit obfuscata. Id vero cumprimis observatu dignum ducit, quod eodem tempore, eodemque modo, insignis mutatio in doctrina de Gratia quoque contigerit, Semi-Pelagianismo in Ecclesiam introducto, proscripta sensim sententia atque doctrina Augustini. Hoc cum eo pertineat, ut eo facilius admittatur, insignem istam in doctrina de S. Cœna mutationem, tam subito, nec quoquam fere animadvertente, contingere potuisse, quod forte, si aliis exemplis idem doceri non posset, superaret fidem, operæ pretium duxit, instituta utriusque mutationis comparatione, prolixius hoc edissere. Nimirum cum hactenus Augustini doctrinam Orthodoxi omnes secuti fuissent, ita ut circa seculi octavi finem, anathematis fulmine Semi-Pelagianismum percuteret Romanus Pontifex, Carolusque M. & istius præceptor Alcuinus Augustini doctrinam amplecterentur, nihilosecius seculo nono scenam tam subito mutatam fuisse, ut in Godeschalcum, ex mente Augustini de prædestinatione docentem, certatim omnes irruerent, eumque condemnarent. Et nihilosecius ea ratione hoc factum fuisse, ut qui hoc animadverteret, vix esset, cum ne unus quidem nominari possit, qui Semi-Pelagianismum palam fuerit professus. Eodem itaque modo, subito quidem, sed ut nemo hoc animadverteret, errorem de transsubstantiatione in Ecclesiam Christianam fuisse introductum. Quin ab iisdem quoque autoribus utrumque errorem, in utraque Ecclesia, tum Orientali, tum Occidentali fuisse profectum. In Orientali enim Ecclesia Johannem Damascenum

Semi-

Semi-Pelagianiſmum egregie promoviſſe, eundemque unionem panis cum corpore Chriſti aſſeruiſſe. In Occidentali Paſchaſium Radbertum, non tantum transſubſtantiationem excogitaſſe, ſed inter adverſarios Godeſchalci vel primum occupaſſe locum. Eundem amicum fuiſſe intimum Hincmari Rhemenſis, & in ejus gratiam Semi Pelagianiſmi cauſam defendendam ſuſcepiſſe; quemadmodum Hincmarus contra in Paſchaſii ſententiam de transſubſtantiatione conceſſerit. Utrumq;, Paſchaſium & Hincmarum, eosdem quoque habuiſſe adverſarios, quos inter emineat Ratramnus, qui contra Paſchaſium in doctrina de S. Cœna, contra Hincmarum de prædeſtinatione ſcripſerit. Hinc iſtum Janſeniſtis mox laudari, mox vituperari: laudari quidem in doctrina de gratia & prædeſtinatione, vituperari in doctrina de S. Cœna, quippe in qua eundem adhuc cum Romana Eccleſia foveant errorem. Hincmarum tamen plures aſſeclas atque defenſores habuiſſe quam Paſchaſium, autumat; quin fuiſſe nonnullos ex diſcipulis atque ſectatoribus Hincmari, qui doctrinam Paſchaſii impugnarint, quos inter emineant Johannes Scotus Erigena, Amalarius, atque Rabanus. Documentum certiſſimum hinc capi ait, doctrinam quandam oppido falſam eſſe, ſi ab amicis pariter ac inimicis impetatur, refellaturve. Diſſimilia itaque licet utriuſque, & Paſchaſii, & Hincmari doctrina experta fuerit fata, mox tamen eandem utriuſque fuiſſe felicitatem, ut ſuperatis difficultatibus omnibus, fruſtra contra nitentibus veritatis defenſoribus, eorum ſententia longe lateque Eccleſiam velut inundaverit: a Scholaſticis autem oppreſſa penitus atque ſubmerſa veritate, & Pelagianiſmus, & transſubſtantiationis inventum, ad ſupremum erroris faſtigium perductum fuerit. Hæc velut in tranſitu de ortu & progreſſu hujus ſententiæ poſtquam Autor diſſeruit, de ipſo Paſchaſio ſollicitus eſt, & primo quidem dum in patriam ejus inquirit, notat errorem Trithemii & Chronici manuſcripti monaſterii Corbeienſis, Paſchaſium huncce cum Paſchaſio Diacono Romano, qui trecentis antea annis vixerit, confundentium. Multa alia ex vita ejus memoratu digna refert, quæ nos prætermittimus, hoc ſaltem ſubjungentes, quod de doctrina ejus obſervavit. Docuiſſe namque eum inquit, poſt conſecrationem ſymbola non amplius eſſe panem & vinum, ſed corpus & ſanguinem Chriſti, ſed ſimul tamen quasdam foviſſe opiniones, in quibus a decretis Eccleſiæ Romanæ plane diſce-

cedat. Namque non tantum eum vocem ſacramenti a *ſecreto* aut *conſecratione* derivaſſe, ſacramentumque ita dici autumaſſe, quod Spiritus S. aliquid ſecreti atque abſconditi in utentibus ſacramento operetur, ſed duo etiam tantum admiſiſſe ſacramenta, Baptiſmi & S. Cœnæ; itemque aſſeruiſſe, quod Spiritus S. corpus ac ſanguinem Chriſti in S. Cœna creet, quemadmodum caro Chriſti in utero B. Virginis Mariæ fuerit creata: quam quidem creationem a transſubſtantiatione maximopere differre Autor contendit. Interdum quoque Paſchaſium non ſatis ſibi conſtare, aſſerereque, panem atq; vinum adhuc remanere in S. Cœna, corpuſque Chriſti in hoc ſacramento non niſi a fidelibus accipi: contendere quoque eum, quod Laici æque ac Clerici ſanguinem Chriſti bibere debeant; ut cetera erudite ab Autore hic obſervata, ſicco nunc prætereamus pede. Operæ tamen fuerit pretium, ex iis, quæ de controverſiæ hujus a Paſchaſio primum excitatæ ratione porro refert, nonnulla commemorare. Etenim cum Romanenſium interſit, non concedere, quod ſeculo demum nono ortum ſit tranſſubſtantiationis dogma, & vero negare nequeant, de Euchariſtia multa fuiſſe eo tempore diſputata, Meldenſis quidem Epiſcopus affirmare non dubitavit, de præſentia reali corporis & ſanguinis Chriſti nullam tum fuiſſe litem, ac Orientalem Occidentalemq; Eccleſiam in ea aſſerenda, amica conſenſione inter ſe conſpiraſſe, ſed de eo ſolum fuiſſe diſputatum, num corpus Chriſti in S. Cœna præſens, idem ſit, quod fuit in utero beatæ Virginis Mariæ? hoc nonnullos affirmaſſe, alios autem negaſſe: deinde nonnullos aſſeruiſſe, Chriſti corpus in ſacra Cœna vere quidem præſens eſſe, ſed ſub figura ſimul, atque quoddam inſimul integumentum atque myſterium adeſſe; quod cum alii concedere nollent, rurſus in controverſias atque lites eos exarſiſſe. Et hoc quidem eſt, quod Autor ſibi ex inſtituto confutandum ſumſit, qui prolatis ipſius Paſchaſii verbis, non de ſictis iſtis a Meldenſium Præſule controverſiis, ſed de reali corporis & ſanguinis Chriſti præſentia, tum concertatum fuiſſe. Simulque ex ipſo Paſchaſio probat, ejus ſententiam pro nova & inaudita tum fuiſſe habitam. Rurſus tamen alio modo rebus Romanenſium hic conſulere ſtudet Arnaldus. Namque primo vivente Paſchaſio ei nullum ſe oppoſuiſſe, & cum jam triginta anni poſt ſententiam ejus ſcripto propalatam effluxiſſent, obſcuros quoſdam homines ei ſe oppoſuiſſe; cum præterea nec in Concilio,

nec a Romano Pontifice fuiſſe damnatum; quæ omnia documento ſint, doctrinam Paſchaſii non fuiſſe novam, ſed eam ipſam, qua Eccleſia ſemper perſonuiſſet. Quæ Bânagius ita diluit, ut primo ex rationibus chronologicis erroris convincat Arnaldum, demonſtretque triginta annos non effluxiſſe, priuſquã aliquis ejus ſententiæ contradiceret: ut tamen concedat, per aliquot annos delituiſſe velut hoc ſcriptum Paſchaſii, nec adverſarium fuiſſe nactum; quod mirandum non ſit, cum per bella inteſtina Ludovici Pii ejuſque filiorum, turbata fuerit regni Francici quies, & quod ex Weſtphalia liber non tam cito in notitiam reliquorum Epiſcoporum pervenire potuerit. Deinde & quod de ſilentio Pontificum, Conciliorum, Epiſcoporumque objecerat Arnaldus, ſub examen revocat, tandemque concludit, hoc ſuæ non magis quam Romanenſium ſententiæ obſtare, cum ab his nec adverſarii Paſchaſii damnati ſint: dein manifeſtum eſſe, Galliæ Epiſcopos quoſdam acriter ſatis Paſchaſio ſe oppoſuiſſe, ut quoque ex Corbeienſi monaſterio, in quo Abbatis munere fungebatur, excedere coactus ſit. De anonymis autem, qui Paſchaſii ſententiam ea ætate refutarunt, deinceps ex inſtituto diſſerit. Ceterum nonnulli Romanenſium peculiarem hic finxerunt ſectam Stercorariorum, in qua debellanda Paſchaſius occupatus fuerit. Banagius autem inter commenta hanc ſectam refert, probatq; per ludibrium hoc nomen Orthodoxis a tranſſubſtantiationis fautoribus datum fuiſſe. Etenim admiſſo tranſſubſtantiationis dogmate, non poterant non multæ inde oriri quæſtiones ineptæ atque otioſæ, de accidentibus poſt tranſſubſtantiationem in pane & vino reliquis, inter quas & hæc erat, an quas mutationes per comeſtionem cibus vulgaris ſubit, iiſdem quoque corpus & ſanguis Chriſti ſit obnoxius? In qua explicanda licet Scholaſtici non unam ingreſſi fuerint viam, impugnatores tamen tranſſubſtantiationis, quæ ex hac doctrina fluebant ἄτοπα nunquam non illis objeciſſe, Banagius docet, & ita Stercorariorum ab iis tandem retuliſſe nomen. Obſervat porro, Guitmundum Archiepiſcopum Averſanum, acerrimumque tranſſubſtantiationis defenſorem, primum Stercoraniſmi meminiſſe: & num recte Amalario, Rabano, Heribaldo, Ratramno, aliiſque objiciatur, diſquirit. Sed de reliquis quoque ſeculi noni ac decimi ſcriptoribus diſſerit, & in illorum de S. Cœna ſententiam inquirit, & de Liturgiis, variiſque ritibus, & ceremoniis in S. Cœnæ adminiſtratione

uſita-

usitatis, multa observatu digna in medium affert. Nec legisse quoque quenquam pœnitebit, quæ de adoratione Eucharistiæ in libro sequenti exponit, dum eundo per omnia secula, a prima Ecclesiæ origine, ad seculum usque duodecimum, historiam adorationis hujus sacramenti justa serie deducit. Namque seculo duodecimo demum Ecclesiam Romanã ad hunc superstitionis gradum pervenisse, sicut seculo sequenti decimo tertio festum in honorem hujus sacramenti institutum sit, Auctori manifestum & extra dubium positum videtur. Sed hic nunc quidem, ne in nimiam molem vasti operis recensus excrescat, filum abrumpimus, quæ supersunt, mense proximo enarraturi.

*NICOLAI RAYÆI, E SOCIETATE JESU THEOLOGI, Responsio ad Memoriale, in quo F. Sebastianus a S. Paulo, Ordinis Veterum Carmelitarum, adversus Acta Sanctorum & personam R. P. Danielis Papebrochii accusationes suas reiterat.*

Antverpiæ, apud viduam H. Thieullier, 1699. 4. plag. 18½.

QUotnam & quæ lites motæ fuerint a Patribus Carmelitis Danieli Papebrochio, Ordinis eorum originem inde ab Eliæ temporibus esse derivandam neganti, plus vice simplici in Actis hisce nostris memoravimus. Pertæsi vero tandem illi disputationum, aut quacunque forsan ratione alia adducti, imponendum utrique parti silentium a Summo Pontifice postularunt. Prior etenim Carmelitani Ordinis Generalis, P. de Villalobos, sub initium anni superioris 1698, petitum istud nomine sociorum ad Innocentium XII Romæ detulit: hinc a Concilii Tridentini Congregatione mandatum ea de re d. 8 Martii decretum, post ab Eminentissimis Cardinalibus in hunc finem deputatis formatum, inque eadem Congregatione d. 26 Aprilis comprobatum, ac tandem d. 25 Novembris a Pontifice Maximo publicatum fuit; quamvis, ut videri queat, minime ad palatum eorum, qui primitus id edi flagitaverant. Cum enim nullum aliud silentium imponat, quam quod super quæstione de Ordinis Carmelitani primæva institutione ac successione ab Elia atq; Elisæo Prophetis tenendum sit, integrum sibi, isto non obstante, Papebrochius cum asseclis existimat,

mat, accusationes adversariorum ab illo themate alienas imposterum non minus, atque hactenus, refellere. Quemadmodum proinde disquisitioni de primæva Ordinis Carmelitici origine ultimam velut manum imposuit, edita d. 17 Septembris anni superioris, non veræ, quam sacer ille Ordo jactet, originis ac successionis brevi adumbratione: ita silentium a Summo Pontifice tunc adhuc injungendum sancte se servare velle pollicitus est; quanquam adversarios ab illo tempore, quo interdictum de scriptis hoc in certamine non amplius edendis petierint, tractatus plures & grandiores, autorum suorum, & ipsius etiam Generalis de Villalobos, nominibus insignitos, Nolæ, Antverpiæ, Lovanii nihilosecius vulgasse, ac ipsos insuper omnem concordiæ sanciendæ occasionem miris modis intervertisse, conqueratur. Ast, ut ad alias objectiones, arcem rei haud invadentes, posthac tacere se nolle palam innueret, potestatem liberã concessit Collegarum suorum uni, R. P. Nicolao Rayæo, ut Responsionem, quam titulus modo insinuatus Benevolo Lectori nominavit, adornaret: ipse enim quo minus eandem consignaret literis, oculorum se debilitate, qua nec scribere nunc sua manu, nec legere quicquam valeat, impeditum fuisse, per amanuensem nos edocuit. Nimirum R. P. Sebastianus a S. Paulo Exhibitionem errorum a Papebrochio admissorum edidisse olim haud contentus, novo insuper, quod vocavit, Memoriali accusationes suas reiterare, quodque hæ in Responsionibus a Papebrochio Exhibitioni isti oppositis, & a nobis suo loco latius recensitis, satis dilutæ nequaquam fuerint, asserere sustinuit. Idem ergo Rayæus, quem in Actis nostris anni superioris p. 534 Præambulorum Exhibitioni modo dictæ præfixorum Examen Juridico-Theologicum suscepisse diximus, causam Papebrochii jam denuo tuetur: quanquam prolixum adeo laborem exantlare necessum minime habuerit, cum e viginti quinque articulis, quorum apologiam, adversario quondam sic postulante, Papebrochius texuerat, duos solum priores ille attigerit, refutationem eorum, quæ ad objectiones cæteras hic reposuerit, proxime daturum se pollicitus, ut ut reapse existimans, fore, ut per decretum de servando utrinque silentio labore illo imposterum supersedere non citra honestissimæ obedientiæ speciem valeret. Hanc sane mentem Rayæus expressis ipsi verbis tribuit, ac de cætero, quam firmo adhuc talo Papebrochii responsiones nitantur, evictum dare allaborat. Capita vero

ro, circa quæ in opere præsenti controvertitur, & quorum veritas a Rayæo adstruitur, hæc sunt: quod Papebrochius de paupertate Christi, B. Virginis & Josephi merito dubitarit: quod recte docuerit, Christum diutius, quam annis 33, inter mortales vixisse; imagines Christi & matris ejusdem Virginis, fidelium duntaxat credulitate, minime quidem fraudulenta, interim tamen nec idoneo satis argumento fulta, Lucæ Evangelistæ pictori tribui; recte ambigi, an ulla unquam fuerit Veronica, matrona pia; illuminationem Tobiæ, utpote quæ Verbi incarnationem præcesserit, parum apte Jesu Christo tribui; non omnia, quæ de inventione S. Crucis circumferantur, scripta genuinis accensenda esse; Petrum annis modo quindecim Romæ sedisse; Acta S. Sylvestri parum genuina esse; donationis Constantini M. instrumentum, quod vulgo appelletur, authenticum, explodendum venire; jus eligendi Imperatorem per septem Germaniæ Principes, non profluere a constitutione quadam Apostolica; Nicolaum I Papam erravisse, recipiendo & approbando Acta Concilii Sinuessani; Felicem V absque culpa suscepisse Papatum contra Eugenium IV: quod Papebrochius nunquam Summos Pontifices erroris in materia religionis arguerit; quod nihil sedi Apostolicæ parum decorum scripserit; quod nuspiam Joachimi Abbatis libros ut ab omni errore alienos laudarit; ut minutiora quædam alia silentio prætereamus.

## *EFFECTUS SINGULARES LENTIS OPTICÆ ad Telescopia, per D. T.*

QUemadmodum multo jam tempore satis superque mihi perspectæ fuerunt rationes, quibus scientia naturalis insigniter promoveri potest: ita obtinendo huic fini, inter alia complura, vel maxime necessarium arbitratus sum, Opticen ad longe altiorem perfectionis gradum, atque hactenus obtinuit, evehere.

Postquam vero animum operæ huic intentius applicavi, quantumvis magnis laboribus, quantiscunque etiam sumtuum & temporis impendiis, parum effici posse, prima fronte mihi videbatur: difficultatibus hic obviis adeo implexis, ut pene pro insuperabilibus censeri mererentur. Veruntamen dignitas utilitasque hujus negotii, nihil hic intentatum relinquere, impensissime persuadebat.

Hanc vero operis molem aggressuro, in limine statim nova plane vitrorum fabrica opus erat: cum ejus magnitudinis & crassitiei, quæ hic requirebantur, vitra, flatu, sueto scilicet hactenus officinis vitrariis medio, parari neutiquam possint. Successit tamen cœptum hoc, post plurium annorum indefessa studia, adeo feliciter, ut opera nostra ejusmodi jam vitra conficiantur, quibus gemina neque Venetiæ, neque Lutetia, nec ullus alius terrarum locus hucusque dedere: de quibus, quorum alia ad 100, 200 quin 300 libras pendent, jam antehac Actorum anno 1696 p. 345 seqq. sub rubrica, *Singularis & nova artis vitriariæ Emendatio*, disseruimus. Ab illo tempore alia pro speculis vitra, septem pedes longa, quinque lata, & pollicem crassa confecimus: inque promtu nobis est, adhuc longe majora, diversaque alia insignis momenti & usus, de quibus aliquando pluribus, construere. Horum omnium veritatem certitudinemque edoctus Potentissimus Rex Poloniarum, Dominus noster Clementissimus, sub auspiciis Serenissimi Vicarii Electoralis, Principis Furstenbergii, prope Dresdam, Electoratus Saxonici metropolim, officinam vitriariam extrui curavit, quæ omnibus numeris absoluta, quibuscunq; & quantumcunque magnis vitris parandis examussim sufficit.

Superata hac difficultate, restabat altera, priore illa non levior. Cum enim grandibus ejusmodi vitris ad usus opticos præparandis, nullæ vires humanæ pares essent, excogitanda erat machina, cujus ope ea ad quamvis formam, planam, convexam, concavam componi possent; quæ pari facilitate vitra tereret, lævigaret, poliret, quas operationes diversis alias rationibus absolvi notum est; & quæ denique (cum constet, summæ accurationis figuram hic requiri) eadem ad leges exquisitissimæ exactitudinis perficeret. Hujusmodi machinam, aquæ motu versatilem, jam eousque perfectionis adduxi, ut in hoc genere nihil simplicius consummatiusque excogitari posse, omnino sim persuasus. Atque ut fidem hujus rei peritis faciam, speciminis loco, de perspicillo certo quædam proferam, quale hucusque non extitit, beneficioque hujus machinæ confectum est.

Vitri quidem ad idem destinati diameter ab initio duorum pedum erat; sed postquam casu quodam noxam passum est, magnitudine tamen adhuc pedem Rhenanum excedit. Ex eo lens convexo convexa elaborata est 32 pedum, exactissimæ perfectionis: nec dif

ficiliori

ficiliori opera ex eodem vitro plano-convexum 64 pedum conſtrui potuiſſet.

Rerum opticarum gnaris, ſed quorſum tantæ magnitudinis lentes, incertis (cum notum ſit, objectivis tuboſpecillorum exiguam aperturam relinqui) præjudicium, quod magno Optices damno hactenus invaluit, brevibus tollendum eſt: uberiorem enim hujus argumenti tractationem alibi, ubi de cavendis corrigendiſque magni ponderis præjudiciis opticis aliis dicendi locus erit, daturus ſum.

Et poſſem hic quidem indicare, aliis atque aliis lentibus ocularibus adhibitis, aperturas etiam objectivi majores majoreſque, citra offucias colorum iridis, uſurpari poſſe; verum majoris momenti res pandenda eſt. Tam grandium enim lentium beneficio 1. unica tantum lente, citra ullum oculare, nobis opus eſt: id quod inſignem facilitatem tam terreſtribus quam cœleſtibus obſervationibus conciliat; utcunque teleſcopia immenſæ ſint longitudinis (ut ut interim integrum ſit, ubi libuerit, ocularibus etiam uti.) 2. Tuborum adminiculo, at longe alia & nova ratione, atque Illuſtris *Hugenius* in *Aſtroſcopia* ſua oſtendit, liberamur. Non obſtantibus enim vel potentiſſimis radiis Solaribus, objectum inter & oculum tranſeuntibus, idem illud diſtincte & perſpicue conſpici poteſt; ſive cum, ſive (quod commodius faciliuſque obtinetur) ſine oculari. 3. Objecta multo clarius, atque hactenus contigit, percipiuntur; multoque clarius trans objectivum, quam nudo oculo: adeo ut ea cœlo etiam maxime nubilo, & adulto veſpere, admodum lucida appareant. 4. Uno oculi obtutu, ſupra quam credi poteſt, ampliſſimus campus obtinetur. 5. Non neceſſe eſt oculum immotum figere, ſed eodem ultro citroque, invariata tamen diſtantia, ad intervallum notabile diſcurrere licet. 6. Vitri vitia interna, quæ poliendo tolli nequeunt, v. c. bullæ, undulæ &c. nihil officiunt; magnitudine lentis eadem ita corrigente, ut inter id, aliaque, quæ defectibus ejus modi non laborant, nihil diſcriminis compareat. Ut adeo eadem hac memorata lente, ex diſtantia ſeſquimilliaris Germanici, citra ullum oculare aut tubum, integrum oppidum diſtinctiſſime cernere potuerim; Solis meridiani radiis, inter oculum objectumque trajectis, nihil quicquam impedientibus. Pari ratione nocte concubia Saturnum cum ſuo annulo, Jovem ſatellitibus ſtipa-

tum

tum, faciemque & maculas, etiam minutissimas, nascentis Lunæ clarissime observavi.

Lens dicta ex intervallo 32 pedum intensum calorem spargit, qui manibus sufferri nequit: ut adeo, si primam magnitudinem duorum pedum retinuisset, neutiquam dubitem, ob tantam imaginis Solaris multiplicationem, eximiam vim causticam habituram fuisse; sed de his alibi. Hactenus vero relata attento lectori insignes has Lentes, & machinam, cujus ope adornantur, etiam etiamque, opinor, commendabunt: cum manuum auxilio nihil horum effici, atq; adeo Dioptrice ad tantam perfectionem hactenus perduci nequiverit: quæ quousque, postquam jam vitra, quantacunque etiam hic desiderentur, & lentes tanti radii, qui omnem fidem excedat, parari possunt, inposterum pomœria sua prolatura sit, sagaciores haut difficulter conjectabunt.

*COMMENTARIUS IN CONCORDIAM EVANGELICAM, ET Apparatus Chronologicus & Geographicus. Autore BERNARDO LAMY, Oratorii D. J. Presbytero.*

Parisiis, apud Jo. Anisson, 1699. 4. chart. aug. Alphab. 6.

NE scriptis solum philosophicis & mathematicis, quorum plura hactenus vulgavit, sed theologicis etiam ac sacris nomen sibi famamque acquireret Eruditissimus Autor, in opere hoc, splendido sane inque duos tomos diviso, strenue elaboravit. Equidem viam quasi sternere eodem adhuc voluit libris imposterum maturiore ætate edendis aliis, quibus se demonstraturum dicit, Christum esse vere natura Deum, Filium Dei & Patri consubstantialem; prout & orthodoxam de tribus in Deo personis fidem propugnare sigillatim constituit. Non potuit ergo, quin vitam Domini nostri Jesu Christi, sive historiam Evangelicam eorum, quæ ille gesserit & disseruerit, excuteret: hanc enim confirmatam orthodoxo de sanctissima Trinitate dogmati fidem omnium aptissime præstruere posse arbitratur. Sed cum apud Evangelistas historia vitæ Christi sua velut membra sparsa ac divulsa habeat, facile cognovit, non licere ex illis unum conflare corpus, nisi ista colligantur & uni formæ reddantur, suis nempe temporibus, quibus quidque dictum gestumve fuerit. Hinc de Harmonia seu Concor-

cordia Evangelistarum cogitare cœpit, in qua demonstranda plures sane, quos longa serie recenset, & nunc & olim occupatos fuisse fatetur, sed a nemine tamen eorum rem omnem ita confectam deprehendi innuit, ut faciliori methodo & aptiori viæ nemo amplius insistere valeat. Se namque istam adinvenisse testatur, dum in tomo primo, nova librorum partitione, capitumq; lemmatibus, Evangelia non parum illustrarit, nullum cujusquam Evangelistæ verbum omiserit, sed omnem tamen confusionem ita quoque evitarit, ut ubivis liqueat in iis, quæ narrentur, an hi verba eadem an diversa usurparint, quæ unus referat, quæ alter prætermittat, & quæ cujusq; propria sint? Eam ob rem in peculiari columna harmoniam continuo Evangelistarum sermone per partes singulas contexuit, sed insertis tamen ipsi textui hinc inde signis atque notis, e quonam Evangelistarum deprompta quæque sint, indicantibus. Lucam nempe litera L & Joannem litera J designat. Matthæo & Marco aliam nominis eorum literam addidit, ita ut Mt Matthæum, & Mc Marcum, $\overline{M}$ vero utrumque indigitet. Ut tamen & unusquisque solus legi posset, ad latus statim in columnis aliis verba singulorum haud interrupta collocavit, sedulo interim prospiciens, ut ne frequentes illas lacunas admitteret, quæ hiulcas faciunt harmonias alias, in quibus aliquot columnæ toties vacuæ sunt, quoties eadem historia non pariter ab Evangelistis omnibus tractatur. Sed & hoc potissimum discrimine differt a cæteris præsens, quam concinnavit Autor, Harmonia, quod Matthæum & Johannem, oculatos testes, sequatur. Marcum etenim & Lucam ut e numero discipulorum Christi non fuisse sibi penitus persuadet: ita rerum gestarum ordinem adeo accuratum & concinnum apud hos non æque, ac apud istos, reperiri autumat. Universam itaque Harmoniam Evangelicam in libros quinque, ac horum singulos in plura rursus capita dispescuit. Primo libro vitam Christi ab ejus ortu ad baptismum usque persequitur. Librum secundum a præconio Johannis inchoat, inque primo Paschate post baptismum Christi finit. Tertius a primo usque ad secundum Pascha; quartus ab hoc ad Christi usque passionem, & quintus denique a die, quo ovans Hierosolymam ingressus est Salvator, ad ejus usque ascensionem in cœlum protrahitur.

Neque tamen existimandum est, ac si nudam heic proponat Harmoniam suam Autor solertissimus, quin crebrioribus potius Commenta-

mentariis eandem passim vestivit & ornavit; sed hos non singulis paginis, ut aliqui sueverunt, subjecit, aut versiculis quoque singulis annexuit, nimium quippe turbatum iri lectionem isto pacto intercisam ratus; verum capitibus demum integris subjungere eosdem maluit. Quemadmodum autem & harmoniam & textum Evangelistæ cujuslibet Latinis vulgatæ versionis verbis exhibet: ita hanc in Commentariis plerumque approbat & vindicat, ac imprimis, quia autor ejus non minus, atque ejusdem corrector B Hieronymus, vetustioribus & melioribus codicibus Græcis usi fuerint, non dimittendam statim eam arbitratur, si quando ab hodierna lectione textus sacri Græca discedat. Interim ubi liquere agnoscit, non aliter olim lectum in fonte Græco, quam nunc legatur, nec sermonem tamen Latinum ambiguitate carere intelligit, lucem huic ex origine Græca accersere neutiquam omittit. Insuper de genuina hujus istiusve loci interpretatione solicitum se gerit, omnem, si quæ occurrat, ἐναντιοφάνειαν dispellit, totumque orationis nexum & seriem, vim item atque ordinem ratiociniorum paraphrastice explanat. Proprietatem sermonis Evangelici sæpius ex idiotismis linguæ sanctæ deducendam venire innuit. Nam licet ille Græcis constet vocibus, omnesque Evangelistæ, præter unum, quem excipit, Matthæum, Græce scripserint; Hebræum nihilosecius sermonem adeo redolere istum dicit, ut multum erraret, qui Evangelistas interpretari vellet ex sermone Attico, vel alio, qui purus fuerit Græcismus; indeque, cum Judæorum loquendi consuetudo dignoscatur e frequenti lectione Septuaginta Interpretum, Philonis & Josephi, ex horum scribendi ratione lites dirimit, si quæ circa phraseologiam Evangelii moveantur. Præterea cum ad mores, ritus, opiniones, & ad cætera, quæ Judæis propria sunt, Evangelistæ ubique alludant, eaque, tanquam nota, supponant, idcirco & in his e monumentis idoneis apte declarandis solicitum se gerit, Philonem & Josephum modo nominatos, imo eos etiam, qui serius, sed non pluribus annis post eversum Templum, veteres majorum suorum ritus exposuerunt, in subsidium adhibens. Natæ ipsi proin non raro sunt prolixiores paulo dissertationes atque annotationes, quarum suo quamque loco inseruit, ac erit forsan ab instituto nostro minime alienum, earum aliquot speciminis in vicem hoc in loco allegare. Genealogiam Christi secundum Matthæum & secundum Lucam ad Lib. I. cap. 6 & 7. pro-

prolixe indagat. Sub libri ſecundi initium de voce λόγος ex inſtituto diſſerit, eaque antiquis etiam ſcriptoribus æternam Dei ſapientiam notari, vetereſque Judæos eandem notionem habuiſſe τȣ̃ λόγȣ, quæ obſervetur in ſcriptis Chriſtianorum multis & liquidis, Philonis teſtimoniis conſtare aſſerit, ac Socinianos primordium Joannæi Evangelii aut penitus confictum aut obſcuro ſermone compoſitum eſſe comminiſcentes, refutat. Ad libri ejusdem caput 18 Orationem Dominicam fuſius exponit. Mulierem peccatricem erectam, non provolutam genibus, rigaſſe lacrymis & terſiſſe ſuis capillis Chriſti pedes cap. 36 contendit, figuramque ejus in hoc labore occupatæ æri inciſam ſiſtit. Lib. III c. 19 de forma voluminum, quorum uſus fuerit in Synagogis, diſſerit. Cap. 26 Herodiadarum ſtemma ſiſtit. Lib. IV c. 36 Lazarum defunctum vinctis pedibus conſpiciendum præbet, miraculumque appellat, quod ille vinculis his minime obſtantibus ad vocem Chriſti ſtatim e ſepulcro prodierit. Libro quinto diſſertationem de Paſchate Judæorum præmittit. Cap. 11 phylacteriorum formam, & cap. 15 lampades tempore deductionis ſponſæ in domum ſponſi præferri ſolitas repræſentat. Cap. 29 ichnographia ædium ſummi Pontificis apparet. Nec brevis nimium eſt, quam capiti 33 addit, de cruce diſſertatio, in qua varia commemorat, quæ ad materiam, formam, cæteraque crucifixionis adjuncta pertinent. Pro appendice prioris tomi præter varia paralipomena diſſertationem de unica Magdalena dat, inque ea mulierem peccatricem, Mariam Magdalenam, e qua ſeptem ejecta dæmonia, Mariamque ſororem Marthæ & Lazari, unam & eandem eſſe contendit, & nihil magis incertum, imo falſum, videri ſibi affirmat, quam quod vulgo aſſeratur, mulierem in civitate peccatricem nobile fuiſſe ſcortum, quin iſto potius nomine generatim intelligi mulierem, quæ non inceſſerit in omnibus mandatis legis, plurimaque eorum neglexerit. Ob iſtam enim negligentiam, mulierem quamcunque, licet nullo turpi facinore fœdatam, more loquendi recepto, peccatricem nuncupari ſolitam fuiſſe probat.

Labore hoc defunctus, ad Apparatum Chronologicum pergit atque Geographicum, niſi fortean hunc tomum iſti præponere Introductionis in locum volueris. Hujus vero frontiſpicium præfatione ſicco a nobis pede haud prætereunda exornat, qua veritatem Evangelii demonſtrare totus allaborat. Codicem nimirum Evange-

lii non esse suppositititium, sed autoritate præditum, qui autorem Deum habeat & scriptores eos, quorum nomina præferat, adversus quoscunque istam autoritatem impugnantes evincere sic nititur, ut probationis genere cuivis horum aptissimo utatur. Judæis etenim demonstrat, omnia Prophetarum vaticinia in Jesum convenire, & huic vindicari posse, quæcunque de Messia suo sibi polliceantur. Literatis, & qui scripta vetusta quælibet solicite evolverunt, eandem veritatem ita persuadet, ut Evangelistas nulli rei adversari ostendat, cujus de veritate certo aliquo antiquitatis monumento constet. Rudes denique, & ortum suum, quæque ante ipsos natos agerentur, plane ignorantes, ad notiones hominibus innatas, morumque regulas naturales & placita saniorum Philosophorum ablegat, Evangelicasque leges his penitus conformes esse, quin Evangelium ipsam esse rationem hominis scripto manifestatam, cum Jesus sit ratio & sapientia, commonstrat. Mox, quid sit Evangelium, explanat, idque bonum nuntium adventus Jesu Christi, plenitudinem veteris legis, medicinam mentis, novum fœdus Deum inter & homines sancitum appellat. Matthæum, Marcum, Lucam & Johannem esse ipsos illos, qui Evangelia quatuor consignarint, & primum quidem Hebraice, sed reliquos Græce scripsisse; annum vero, quo quisque opus divinum perfecerit, incertum, etiam post plurimas contentiones, remanere innuit.

Ast minime perfectam fore Domini nostri historiam existimans, nisi cum pateat Lectori, quam quisque vitæ actus certam temporis mensuram habeat, & constet non solum, quo ordine cuncta Christus dixerit & fecerit, sed & quo intervallo, quo anno, quo mense, qua die & hora, ideo & accuratam diligentiam huc Noster contulit, ut complurium gestorum ejus hebdomades & cujusq; hebdomadis dies distinctius designaret; quorsum facit Apparatus, quem appellat, Chronologicus. Eam ob rem ante omnia de principiis Chronologiæ disserit, deque Epochis & Epocharum initiis, de parallelismo temporum in Republicâ civili exactorum, de Cæsaribus Augusto & Tiberio, de regno Herodis & filiorum ejus; isto namque pacto tempora ortus vitæ & obitus Christi tanto felicius constitui posse arbitratus. Singulis vero his late admodum discussis, ac pro fundamento quasi præstructis, in postremo capite Calendarium Judaicum cum Romano conjungit pro istis annis, quibus Christus baptizatus inivit cursum Evangelicæ

gelicæ prædicationis ſuæ, actus eſt in crucem & reſurrexit. Ibi notat, qua die menſium noſtrorum fecerit & dixerit, quæ in Evangelio leguntur, quamnam horum annorum partem conſumſerit docendo, miracula patrando, tum ſecedendo ab hominum turba, ut privatim diſcipulos ſuos doctrina, quam prædicaturi eſſent, imbueret, aut ut ſolus orationi vacaret. Quamvis autem plures in hoc catalogo paginæ appareant vacuæ, eas tamen non inutiles eſſe confidit, ſiquidem tempora Domini indicent, quæ vacua queant cenſeri ab omni opere, quod notum Evangeliſtæ fecerint. Imo & iſtud haud diffitetur, quod ignota nobis ſint tempora plurimorum actuum, quos tamen certis menſibus adſcripſerit, quia ordo, quo referantur, admoneat, contigiſſe ea fieri intra hos temporis limites, quos haud futilibus innixus conjecturis in Chronologico apparatu determinaverit.

Quod ſupereſt, cum optimus Salvator nihil moliretur ſine ſumma ſapientia, nec unquam pedem moveret, locum aliquem deſerens in alium abiturus, niſi ratio illum eo deduceret, utique & ſitum locorum, ubi Chriſtus vixit, oravit, ſermones habuit, & tot tantaque edidit miracula, perveſtigandum ſibi Autor noſter duxit, atque eapropter Chronologico Geographicum Apparatum ſubnexuit. In hoc non novam modo Judææ & totius terræ Iſrael deſcriptionem in tabella Geographica, uberius dehinc quoad diviſiones ſuas per aliquot capita dilucidata ſuppeditat, ſed regiones quoq; ſingulas, utpote urbem Iericho, locum ubi Johannes baptizavit, lacum Aſphaltiten, urbem Bethlehem, Samariam, Scythopolin, Herodis Antipæ ditionem, Galilæam, Decapolin, tetrachiam Philippi, perluſtrat; omnium vero maxime in urbis Hieroſolymitanæ & Templi ibidem extructi delineatione occupatum ſeſe gerit.

Cæterum, quod primo ſtatim loco monendum fuerat, Lectorem noſtrum ignorare nolumus, aliqua eorum, quæ in opere hoc continentur, jam olim diverſis temporibus ſigillatim edita fuiſſe. Harmoniam namque ſive concordiam quatuor Evangeliſtarum in forma minima (12°.) ante hoc decennium Pariſiis vulgavit Autor; controverſiam vero de Judæorum Paſchate antiquo non minus, ac de ultimo, quod Chriſtus ante mortem ſuam celebravit, editis A. 1692, 93, & 95 aliquot tractatibus Gallicis idem perſecutus eſt. Sed cum nullam horum mentionem in Actis noſtris antea fuiſſe factam recordemur,

& cuncta insuper alio nunc ordine, verbisq; etiam ac idiomate partim alio appareant, paulo uberius ut operis totius faciem adumbraremus, nostrarum esse partium existimavimus.

PARRHASIANA. OU PENSE'ES DIVERSES SUR DE Matieres de Critique &c.

i. e.

*COGITATA VARIA SUPER ARGUMENTIS CRITICIS, Historicis, Moralibus & Politicis; nec non Defensio librorum a JO. CLERICO editorum, Autore Theodoro Parrhasio.*

Amstelodami, apud hæredes Jo. Schelte, 1699. 8. Alph. 1. pl. 6.

ABiit jam fere in seculi nostri morem, ut quæ argute, lepide, aut cordate, a viris doctrina litterisque præstantibus dicta sunt, colligantur, publicæque exponantur luci. Scaligeriana, Perroniana, Sorberiana, Menagiana & id genus alia, hoc testantur satis superque, quorum exemplo comprobatum est, delectari hodie multos ejusmodi librorum lectione, in quibus ordinis nexusque & justæ tractationis defectum, rerum compensat varietas. Vir itaque doctissimus, qui sub nomine Parrhasii latere voluit, ab ipso forte Jo. Clerico haud alius, simili scribendi genere usus, quæ de litteris humanioribus aliisque doctrinæ solidioris partibus in mentem venerant, proferre, & indicatis nævis, quibus hodie præstantissimæ artium liberalium passim deformantur, rem litterariam promovere secum constituit. Idque dum in hocce libro efficit, in varia quidem, eaque gravissima argumenta excurrit, sed quæ de iis disserit, accuratiori ordine studioque explicata sunt, quam in reliquis hujus commatis libris fieri assolet. Liberius quædam hic a se dicta esse non diffitetur, ast neminem temere in malam hoc interpretaturum partem putat, cum quod religioni aut bonis moribus adversum sit, nihil asseruerit, vitiorum autem quæ in eruditis notat, a veteribus, non modernis scriptoribus repetierit exempla; ut adeo nemo tela hæc in se directa esse existimare, indeque occasionem cum Auctore expostulandi arripere possit.

Primo loco de Poetis verba facit. Veterum Poetarum Græcorum

corum Latinorumque lectionem ex hoc capite suadet, quod multa doctrinæ moralis ac civilis capita, concinna elegantique dictione expressa exhibeant, & grandi quoque sublimique dictione vim imaginandi excitent, habitumque simili ratione mentis cogitata exprimendi, diligens eorum lectio inducat. Verum recenset & incommoda, quæ ex Poetarum tum veterum tum recentiorum lectione proveniant. Namque primo falsis conceptibus abundare scripta Poetarum, quibus si in errorem non inducantur lectores, fiat tamen ut sensim vis ista recte & accurate ratiocinandi obscuretur. Deinde & stilum lectione Poetarum quandoque corrumpi ait, cum qui illa delectantur, etiam cum in prosa dicendum est, sublime illud, quod Poetis familiare est, dicendi genus consectentur, habereque in plerisque locum illud Quintiliani: *a corruptissimo quoque Poetarum figuras seu translationes mutuamur, tum demum ingeniosi scilicet, si ad intelligendos nos opus sit ingenio.* Quæ cum ita sint, habere tamen Poetas, quo placeant lectoribus, eorumque animos sibi concilient, quin fascinent quodammodo, ut, quæ ridicula forent & absurda, si ab alio quam Poeta dicerentur, pulchra tamen & admiratione digna censeantur, si in carmine legantur. Sic, ut ex pluribus, quæ affert exemplis, unicum seligamus, cum Virgilius ventorum sedem hunc in modum describit:

*Hic vasto Rex Æolus antro*
*Luctantes ventos tempestatesque sonoras*
*Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat;*

tam hoc ridiculum & a ratione alienum esse dicit, ut nihil temere magis ab ea alienum aut dici aut cogitari potuisset. Et nihilo secius vix ullum ex lectoribus esse, qui hoc animadvertat, aut sibi persuadeat: adeo elegantia verborum ornatuque rhetorico illorum mentes fascinari. Afferre tamen rursus Poesin hoc incommodum, quod ob metri leges non semper dicere possint quæ velint, aut debeant, sed quæ leges istæ permittant. Hinc ordinem verborum contra sermonis indolem illis esse immutandum; hinc epitheta superflua, aut a re aliena, subinde esse addenda; hinc omittendas voces, quibus ceteroquin accurate & eleganter rem exprimere potuissent, & quæ id genus alia sunt. Ab hisce autem, quæ artem ipsam urgent, incommodis, ad Poetarum vitia transit. Non suffragatur Scaligero, sibi aliisque persuadere conanti

nanti, Poetarum gentem ab adulatione plane alienam esse, cum Virgilii, Horatii, Ovidii, Statii, Martialis, vitia æque ac virtutes Imperatorum Romanorum, indigna prorsus ac plusquam servili adulatione, laudibus prosequentium exemplo, rem secus se habere, demonstrari possit. Sed nec Horatio adstipulatur, avaritiæ immunes esse Poetas contendentis:

*Vatis avarus*
*Non temere est animus.*

In contrarium enim Pindari atque Simonidis exemplum affert. Sed cetera quoque, quæ idem Horatius, libri primi epistola secunda, ad commendandos Poetas excogitaverat, ordine Parrhasius noster refellit. Cumque etiam a Philippo Imperatore constitutum sit, ut privilegiis quibus ceterarum artium liberalium professores gaudebant, carerent Poetæ; in rationem hujus rei inquirens, perspectum fuisse Imperatoribus ait, quod nulla ex Poetica arte in rempublicam redundet utilitas: & si redundet, referatque reipublicæ, non deesse qui carmen pandere juxta artis leges possint, Grammaticorum tamen olim hoc quoque fuisse munus, ut poeticam artem juventutem edocerent. Huic cum obstare videatur illud, quod a plerisque asseritur, Poetarum scripta huc maxime comperata fuisse, ut rationem fugiendi prava, vitiaque exuendi, sectandi contra virtutem, aliis monstrarent, hoc iterum pluribus rationibus suffultus, in dubium vocat. Probat videlicet tum Epicis, tum Comicis non tam hoc constitutum fuisse, ut erudirent alios, quam ut delectarent. Atque quod ad Epicos attinet, tum Homeri, tum Virgilii exemplo suam sententiam confirmat. Esse nonnullos observat, qui ut evincant, Homerum docendi, non delectandi gratia Iliadis præclarissimum opus composuisse, contendant constitutum illi fuisse, velut exemplo quodam demonstrare, quam noxia sit discordia inter eos qui rerum summæ præsunt, & quantum contra ad rempublicam conservandam commodum adferat illorum concordia: & ita cum Græcos, ea ætate per dissensiones ac intestinas controversias se ipsos in præceps dantes, flectere ad saniora voluisse consilia. Non abnuit Parrhasius, in hunc sensum explicari posse Homerum: ast inde nondum evictum esse ait, quod istud illi constitutum fuerit, cum eadem facilitate, si cui liberet ἀλληγορεῖν, alia quoque dogmata tum moralia, tum civilia quamplurima ex eo elici possint. Idque exemplis

plis quibusdam demonſtrat: ſimilique prorſus ratione de Odyſſea Homeri, & Virgilii Æneide diſſerit.

Quæ de vera falſaque eloquentia diſſerit, tum quæ ad inventionem, tum quæ ad diſpoſitionem, tum quæ ad elocutionem, tum denique quæ ad pronunciationem attinent, brevitatis ſtudio præterimus.

Eloquentiam excipit Hiſtoria, ad quam rite ſcribendam qui animũ adjicit, eum juxta Parrhaſium, & accurate ea edoctum eſſe oportet, quæ aliis narrare audet, affectuum quoque, quibus impelli poſſit ad diſſimulandam veritatem, immunem, & facultate quoque accurate mentis cogitata exprimendi præditum, iis denique artibus ſcientiiſque inſtructum, quibus imbutum eſſe decet, qui de eventibus negotiorum memorabilium, ipſiſque hominibus, qui ſcenam omnem inſtruunt, recte pronuntiare cupit. Si quis hiſtoriam ſui temporis ſcribere aggrediatur, eum aut ea conſignare litteris, quibus ipſemet interfuerit, aut quæ ab aliis acceperit. In illis falli eum equidem non poſſe, ſed ita pauca admodum, inquit, ab uno homine ſcribi poſſent, breviſq; omnino futura eſſet hiſtoria. In hiſce, in magno verſari Hiſtoricum periculo, ne fallatur, cum plures eſſe cauſæ queant, cur illi, qui rebus etiam interfuerunt, non ita tamen ut geſtæ ſunt, narrare aut velint, aut poſſint. Probat hoc exemplo commentariorum Julii Cæſaris, quippe de quibus Pollio Aſinius apud Suetonium aſſerat, eos parum diligenter, parumque integra veritate compoſitos eſſe, cum pleraque, quæ per alios erant geſta, temere crediderit, & quæ per ſe, vel conſulto, vel memoria lapſus, perperã ediderit. Quæ incommoda ut evitentur, nihil aliud ſupereſſe, quam ut hiſtoriam ſcripturus plurimos interrogando in veritatem inquirat, nec unius partis, ſed & alterius teſtes audiat, acta deniq; publica, & quæ ab utraq; parte publicæ luci exponuntur ſcripta, colligat, eaque quam diligentiſſime inter ſe conferat atque contendat. Contingere tamen, ut illi, qui omnibus rebus affatim inſtructi ſunt, nihilo ſecius per ſupinam quandam negligentiam a veritate aberrent, aſſerit, idque comprobat exemplo Victorii Siri, qui ſcripſerit modernum Galliæ Regem menſe Septembri Pariſiis natum eſſe, cum tamen utrumque falſum eſſe conſtet. De illis Hiſtoricis, qui de rebus exponunt, quibus aut ipſi non interfuerunt, aut de quibus conſulere eos qui interfuerunt, non poſſunt, identidem pronuntiat, illorum officium eſſe, ut ſumma diligentia ex monumentis fide dignis colligant,

Mmm quæ

quæ ad veritatem proxime accedere putent. Qua de re dum differit, disquirit simul, an Historicus provocare semper ad auctores debeat, ex quibus sua deprompsit? & haud obscure illorum, qui hoc affirmant, sententiæ accedit. Et hæc de prima Historici virtute. Alteram dum explicat, prolixe demonstrat, quod Historicus fere ἀπαθής esse debeat, amorisque ac odii expers, & a spe præmiorum ac metu pœnæ æque remotus. Proponit hic in exemplum ex veteribus Polybium, ex recentioribus Hugonem Grotium. Hunc namque injuriarum a Mauricio Principe Nassovico acceptarum immemorem, quæ fortiter atque præclare ab eo gesta erant, non minori diligentia studioque enarrasse, quam ceteros Historicos, quos idem argumentum occupaverit, nec quicquam de eo memoriæ prodidisse, quod animum iratum vel minimo indicio demonstrare possit. Nec affectus tamen tantum, sed præjudicatas quoque subinde obstare opiniones docet, quo minus Historicus veritati, ita ut deceat, litet. Idque cum in civili Historia ita se habeat, tum maxime in Ecclesiastica quoque longe frequentissimum esse; cum plerique, qui ad eam accedant, vehementissimo erga eos, quos pro hæreticis reputant, flagrent odio, in magno quoque metu versentur, ne ipsi hæreticis annumerentur ab aliis, si quid forte dicant asserantque, quod aut suæ, quam sequantur, parti parum honorificum sit, aut hæreticorum causam meliorem reddere videatur. Quod postquam luculento Sozomeni testimonio comprobavit, ad stilum, quo uti Historicus debeat, accedit. Commendat autem hic iterum planum illud ac simplex dicendi genus, quippe quod ad erudiendum de rebus gestis lectorem maxime sit accommodatum: adeoque nec Quintiliano, nec Ciceroni, secus hic sentientibus, suffragatur. Puritatem tamen in eo requirit, cum hæc veritati historiæ non adversetur. Obscuritatem illos facile evitare ait, qui planum istud ac simplex dicendi genus sectantur, quod cum Thucydidi & Tacito non placuerit, mirum non esse, quod ob obscuritatem male audiant. Notat quoque Hugonem Grotium, atque Dionysium Vossium, quod dum Tacitum imitandum sibi proposuerint, idem admiserint vitium. Placet Auctori in Historico brevitas, sed talis, quæ non pariat obscuritatem. Non languere Sallustium dicit, licet a brevitate Taciti procul absit, nec quicquam, quo minus perspicuus & clarus sit, illi obstare, quam dictionem antiquatam, & audaciores translationes. Famiani

ani

ani Stradæ ſtilum Poetam magis decere quam Hiſtoricum, eundem tamen, ſi ſuperflua demantur, & quæ parum Latine ab eo dicta ſunt, emendentur, multam lectori afferre delectationem. Quod autem ad facultatem ritę de negotiis judicandi attinet, qua cumprimis Hiſtoricum inſtructum eſſe decet, obſervat Parrhaſius, cum Hiſtoricus judicis perſonam ſuſtineat inter gentes, non minus moribus quam opinionibus diverſas, ejus officium eſſe, ut de religione, de virtutibus & vitiis, de juſtitia & injuſtitia, eam animo concipiat ſententiam, per quam non ad unam magis quam ad alteram accedere partem videatur, & quæ ab omnibus rationis ductum ſequentibus, non poſſit non admitti. Peccaſſe contra hanc legem præter alios Famianum Stradam ait, quippe qui ſuum erga religionem Eccleſiæ Romanenſis affectum ſtudiumq; haud ſemel prodiderit, atque abreptus ſit eouſque, ut quæ forte Hiſpanis feliciter ac ex animi ſententia evenerunt, ſtatim pro argumento favoris, quo Romanenſium religionem proſequatur Numen, venditaverit, contra quæ Proteſtantibus ſive proſpere ſive minus proſpere evenerint, ea omnia iratum hæreticis Numen, juxta Stradam declaraverint. Laudat contra Thuanum, quod æquiſſimo animo erga eos etiam fuerit, qui aliam, quam ipſe, ſequebantur religionem: cenſuramque Lipſii ineptam de Hiſtoria Thuani perſtringit. Quid juſtum aut injuſtum ſit, nemini qui ratione uti velit, obſcurum eſſe poſſe, idemque clarius adhuc ex religionis Chriſtianæ ſcitis patere. Nihilo ſecius pleroſque Hiſtoricos, hic eorum, quæ ratio & revelatio docent, tam parum memores eſſe Auctor docet, ut eos laudibus in cœlum evehant, qui ob facinora injuſtiſſima atro erant notandi lapillo; quod exemplo Caroli V comprobat. Præterea cum ratio clariſſime doceat, quod in una gente juſtum eſt, in altera quoque pro juſto habendum eſſe, nihil tamen frequentius eſſe apud Hiſtoricos, quam ut, quod in una laudatur, vituperetur in alia. Si Mahumedani, inquit, Chriſtianos expellerent, aut durius quid in iſtos ſtatuerent, eo quod Muhamedis ſe ſubmittere legibus nollent, barbaram eorum crudelitatem damnarent omnes: aſt cum eodem modo Ximenes Cardinalis atque Reges Hiſpanici contra Mauros ſe geſſiſſent, maximis laudibus digni cenſebantur. Ut autem ita contra moralis doctrinæ præcepta Hiſtorici peccent; ita & civilis leges eos non minus violare, oſtendit. Conſtare namque apud omnes, hanc demum regiminis rationem laudandam,

votisque expetendam esse, quæ ad totius populi salutem ac felicitatem est comparata: contra, quæ ad unius hominis commoda promovenda, aut cupiditates explendas spectat, prope abesse a Tyrannide. Ast hoc paucissimis Historicorum recentiorum persuasum est, juxta Parrhasium, quippe qui demonstrent suis adulationibus, Machiavelli doctrinam plurimos quidem verbis detestari, reipsa comprobare. Præstare hac in re multum Historicos veteres recentioribus, quippe qui tyrannidem vocent citra ambages eam rerum administrationem, quæ oppressa populi libertate, ad unius hominis arbitrium instituitur. In eo tamen rursus habere recentiores quo se præferant veteribus, quod juris gentium ac naturalis disciplina, auctore cumprimis Hugone Grotio, diligentius exculta, certa illis & firma fundamenta subministret, quibus, quæ de bellorum justitia aut injustitia dicenda sunt, superstrui queant.

Auditur passim eruditorum querela, ruere in præceps litterarum humaniorum studia, nec nostram amplius ætatem tales proferre viros, tam in hoc litterarum genere præstantes, quales in Josepho Scaligero, Justo Lipsio, Isaaco Casaubono ceterisque venerata est superior ætas. Idque ita se habere cum experientia quoque doceat, Parrhasius operæ pretium duxit, in hujus rei inquirere causas. Quas dum ordine recenset, ipsos illos, quos nominavimus, harum litterarum Antistites, culpa non vacare autumat, eo quod planiorem ad harum litterarum intimos recessus nobis non fecerint viam, quod tamen facile præstare potuissent, si auctores veteres notis concinnis, & quæ obscura in illis occurrunt, citra ambages explicantibus, edidissent. Voluisse quidem eos, qui auctores cum notis variorum ediderunt, huic malo subvenire; ast hasce quoque editiones plerumque abundare superfluis, deficere in necessariis, pronuntiat. Idem & alia adhuc desiderat, in plerisque auctorum editionibus, quæ in usum Delphini prodierunt. Rectius in auctoribus edendis illos versatos fuisse, qui integras virorum doctorum notas adjecerunt: ast hoc sibi displicere, non dissimulat, quod non omnes simul textui ipsi subjiciantur. In Græcorum auctorum versionibus hoc desiderat, quod pleræque paraphrases potius sint, quam versiones, nonnullæ etiam sensum auctoris sæpius pervertant. Versionem Polybii, itemque Tacticorum Æneæ, & Characterum Theophrasti, ab Isaaco Casaubono adornatam, præ ceteris

ris

tis laudat, rectiusque eum & sibi & aliis consulturum fuisse dicit, si quod in refutando Baronio non adeo felici successu consumpserit tempus, aliis quoque auctoribus Græcis transferendis in Latinum impendisset. Ceterum quod tantum pretium hisce studiis hodie non statuatur, quantum superiori ætate statutum sit, ex eo quoque provenire monet, quod harum litterarum cultores, ultra quam par sit, hæc studia laudent. Si enim hac ratione quidam inducantur, ut ad veterum lectionem animum adjungant, nec tamen ea in iis deprehendant, quorum harum artium magistri spem fecerant; non posse non horum animos tædium aliquod subire, ex quo deinceps contemptus ipsarum litterarum sequatur. Mores tamen quoque illorum, qui his sacris operantur, illepidos sane sæpe & parum humanos, multum his studiis nocere, ostendit. Quibus omnibus denique & hanc causam addit, quod qui gentium fata dispensent, rerum Domini, non eo favore harum litterarum cultores prosequantur, quo olim; idque apud eos, qui Machiavelli disciplinam sequuntur, aut quibus alias ob causas lux per litteras diffusa ingrata est atque invisa, secus esse non posse, demonstrat.

Ceterum ut litterarum non idem semper fatum est, ita nec rerumpublicarum atq; regnorum. Constat namq; alias efflorescere, alias decrescere atque imminui, donec plane destruantur. In causas itaque decrementorum inquirens Parrhasius, id apud omnes constare putat; eam rempublicam felicem esse dicendam, quæ & civium multitudine abundet, & opibus floreat, ut exactionibus vexare populum, & ad summam redigere paupertatem, non necesse sit, & denique in qua, qui reipublicæ negotia tractant, ad statum ejus conservandum, amica concordia conspirant. Si quæ itaque respublica sit, quæ civium laboret paucitate, aut opum & pecuniæ defectu, aut discordia illorum, qui saluti publicæ invigilare debent, eam minime pro felici reputandam, sed præcipiti gradu ad ruinam ferri, concludit. Quæ omnia pluribus edisserit, simulque Belgium Fœderatum in exemplum reipublicæ bene & accurate constitutæ proponit. Sed cum hæc in Politicorum libellis passim obvia sint, iis non immorabimur. Digreditur tandem, post hæc & alia nonnulla, Auctor ad illud, quod præcipue in hoc opere illi constitutum fuisse videtur, & de studiis librisque Clarissimi Viri Johannis Clerici, uberius exponit. Recenset hic lites, quæ Viro huic

Mmm 3 cum

cum aliis intercedunt: quas cognoſcere cum non omnium forte interſit, & noſtrũ quoq; non ſit, vel ipſo Autore judice & ſevero ſatis admonitore, ea recenſere, quibus viri docti ſe invicem proſcindunt, convitia, aut ad poſteritatem tranſmittere, lubentes ea prætermittimus. Unicum addimus, Tomi XI Bibliothecæ Univerſalis auctorem, non Joannem Clericum, ſed J. C. de La Croſe eſſe. Quod vel ideo monendum hic publice fuit, ut illi, qui forte per errorem tomum iſtum Clerico tribuerunt, cum graviora habeant quæ agant, ſcribendis Retractationum libris poſſint ſuperſedere.

## THE LIFE OF THE LEARNED SIR THOMAS SMITH, Kt. &c.

i. e.

*VITA VIRI DOCTISSIMI THOMÆ SMITHI, EQUITIS AURATI, Juris Civilis Doctoris, Regis Eduardi VI ac Reginæ Eliſabethæ primi Status Secretarii; in qua varia illius temporis explicantur, quæ ad litteras, religionem, regnique ſtatum ſpectant.*

Londini apud A. Roper & R. Baſſet, 1698. 8. Alph. 1. plag. 3.

INter Anglos, qui Smithorum nomine clari atque inſignes fuerunt, non ultimum locum obtinet Thomas Smith, cujus Vitam heic exhi-
p. 2. bemus. Ortus ille eſt in Eſſexiæ Comitatu in oppido Walden A. C.
p. 4. 1512, nobili genere. Cum domi religione Reformata imbutus, & optimis artibus innutritus fuiſſet, A. C. 1526, ut majores in ſtudiis pro-
p. 8. greſſus faceret, Cantabrigiam miſſus eſt, ubi in Collegium Reginæ cooptatus (in quo & Eraſmus antea commoratus fuerat,) ita ſe geſſit,
p. 10. ut Rex Henricus VIII ipſum, & Joh. Cheke, qui poſtea ſtudiis Eduardi Principis præfuit, primumque duas Chryſoſtomi Homilias e M. S. publicavit, ſcholaſticos ſuos, pro temporum iſtorum conſuetudine, eſſe voluerit; quo factum eſt, ut Noſter ſtipendio aliquo adjutus ad
p. 12. ſtudia magis inflammaretur. Igitur A. C. 1531 in numerum Sociorum Collegii adſcriptus, & ſequenti anno delectus fuit, qui Græcas litteras publice doceret. Quod cum ſtrenue ageret, quaſdam vocales at-
p. 13. que diphthongos peſſime vulgo pronunciari, & ι, η, υ, ει, οι, υι

per

per ἰῶτα perperam exprimi animadvertit. Itaque cum Chekio, socio suo, de tollendo errore isto novaq; pronunciatione introducenda consilium iniit; sed variis de causis, & imprimis ob horridulum sonum, rem dubitanter agebant, usq; dum visis Terentiani & Erasmi scriptis de litteris & syllabis, animosius negotiũ tractarent, ipseq; Smithus in lectionibus publicis adsuefacere novæ pronunciationi auditores sensim annisus, privatim amicis mentem suam plane explicaret, omnesque ad novum illum pronunciandi modum excitaret. Interea nova ipsi Oratoris Academici dignitas accesserat, quam cum per tempus aliquod egregie ornasset, exteras nationes adire constituit, ut studia doctrinæ ulterius proveheret, linguasque & gentium consuetudines addisceret. Abiit ergo A. C. 1539, ætatis 27, in Galliam, Aureliæque consuetudine usus Christophori-Landrini, qui tum Græcarum Latinarumq; litterarum fama admodum florebat, ad novam illam pronunciationem tantis rationibus eum perduxit, ut ipse eam valde probaverit semperque ab eo tempore retinuerit. Parisiis præter Strazelium, Professorem Græcæ Linguæ Regium, cum quo de eadem re disceptabat, eruditum quendam Græcum adiit, cognoscendi cupidus, quæ pronunciandi consuetudo in ipsa Græcia obtineret. Ast ille insolitum loquendi modum vix dum perceperat, cum mente commotus, Erasmum hominem ineptum adpellaret, quod ille Belga tam vaste deductas voces atque absonas diphthongos in Græciam inferre ausus fuisset. E Gallia in Italiam profectus, ad legum studia se transtulit, & adsumpto Doctoris titulo aulæ se paravit. In Angliam redux factus, Cantabrigiæ A. C. 1542 Doctoris dignitatem iterum cum Regii Professoris Juris munere obtinuit; cumque omni doctrinæ genere ceteris excelleret, Goodricus, Episcopus Elyensis & ipse vir doctus, eum sibi Cancellarium elegit. Hoc modo vitam degens, haud otio atque desidiæ indulsit, sed publicis commodis inserviens partim generis atq; ingenii præstantia insignes juvenes privatim diligenter instruxit, partim Anglicæ linguæ expoliendæ operã impendit. Qua de causa librum de recta linguam Anglicam scribendi & pronunciandi ratione edidit, in quo viginti novem litteras constituens, novendecim Romanas, quatuor Græcas, sex reliquas Anglicas seu Saxonicas fecit, quinque vocalibus in decem mutatis, atque in longas brevesque divisis, uti e tabula, quæ appendici Num. II adjuncta est, clarius adparet.

p. 14. p. 16. p. 20. p. 21. p. 23. p. 24. p. 25. p. 27. p. 28.

Gravis

p. 29. Gravis iterum contentio tunc inter aliquos de Græca pronunciatione orta erat, quam cum intellexisset Gardinerus, Episcopus & Academiæ Cancellarius, novum istum eloquendi modum ab iis maxime
p. 32. propugnari videns, qui in religione novis rebus studere credebantur, edicto sanxit, ne quis illo posthac uteretur, sed ut omnes pristinum morem retinerent. Chekius, qui tum Græcam linguam publice profitebatur, Gardinerum a mente sua abducere, summa ope, sed frustra tentabat: ergo Smithus habito eadem de re cum Episcopo sermone, epistolam longam sed eruditionis plenam de hoc argumento ad eum
p. 34. scripsit, quam deinde Legatus in Gallia per Robertum Stephanum A. C. 1568, una cum libello de lingua Anglica, imprimi curavit, inscriptam: *De recta & emendata lingua Græca pronunciatione.* Cum ergo tam clare in Academia noster exsplendesceret, & omnia ad litterarum religionisq; utilitatem referret, a Duce Sommersetensi, qui post
p. 38. obitum Henrici VIII, Eduardo VI nondum adulta ætate, summam rerum administrabat, in familiam adscitus, magna apud ipsum gratia floruit. Non enim tantum libellorum supplicum Magistri munus
p. 40. adeptus est, sed & postea stanni fodinis, Collegio Etonensi, & Ecclesiæ Cathedrali Carislensi præfectus, Ducique a Secretis esse jussus, tan-
p. 42. dem Equestrem dignitatem consecutus est. Illo tempore primam uxorem duxit, quæ cum absque liberis obiisset, secundam sibi adjunxit, quam superstitem reliquit. A. C. 1548 Bruxellas ad Imperatoris Concilium Legatus mittebatur, partim ut solicitaret, ne Gallis, qui
p. 44. tunc in Scotia erant potentissimi, Belgicos portus intrare liceret, partim ut militem in istis partibus conduceret. Post reditum in patriam, cum varia regni ac religionis imprimis negotia summo studio pro-
p. 55. curasset, Dux Sommersetensis Nobilium odio cunctis honoribus exutus, in turrim Londinensem deductus est, quo Smithus ipsum secutus
p. 58. Secretarii munus ad tempus amisisse videtur. In id vero restitutus A. C. 1551, cum Northamptoniæ Marchione in Galliam abiit, qui Legatus missus erat, ut ordinis Periscelidis insignia ad Regem perferret, & inter ejus majorem natu filiam & Eduardum Regem nuptias conciliaret. Et hactenus quidem fortuna satis prospera usus esse Smithus
p. 59. videbatur; sed post Eduardi obitum, cum Maria ad imperium accessisset, plane illa conversa est. Cunctis enim dignitatibus spoliatus, centum librarum summam singulis annis, qua se sustentaret, accepit; cete-

ceterum regno excedere prohibitus & privatam vitam agere coactus, quam fere omnem litterarum studio ac contemplatione traduxit. Accidit tunc memorabile ac insuetum, ut quamquam ipse a Pontificis partibus alienus esset, indulgentias tamen consecutus fuerit. Cum enim quidam Guilielmus Smythwik magna pecunia sibi eas parasset, ista conditione, ut liberum sibi esset quinque alios amicos eligere, qui cum uxoribus atque liberis pariter iisdem gauderent, inter alios & Smithum nostrum dignum judicavit, cui istud beneficium deferret. Hoc ipsi sine dubio difficillimis istis temporibus valde præsidio fuit; quanquam & Gardineri tacitus favor, quem virtute sibi comparaverat, non parum adjumenti ipsi attulisse videatur. Quin ipse Bonerus, qui veteri odio adversus eum flagrabat, utpote in quem olim Regis nomine Smithus inquisiverat, dissimulata ira, nihil calamitatis ipsi struxit. Ita nullum virtutis suæ publicum theatrum videns, regnique miseriis, totque ob religionem combustorum cineribus ingemiscens, tandem tamen ex istis malis feliciter iterum emersit. Elisabetha enim Regni clavo admota, in aulam revocatus, tum patriæ, tum fidei laboranti succurrit, fuitque inter eos, qui tunc in renovanda Eduardi liturgia occupati erant. Multi tunc multa de Reginæ matrimonio loquebantur, suadentibus id Reginæ aliis, aliis contra dissuadentibus. Dedit hoc Smitho occasionem ut quasdam orationes conscriberet, in quibus tres colloqui inter se fingebat, quorum primus Agamus nomine, contra Reginæ matrimonium declamat, alter Philoxenus nuptias cum peregrino conjungere suadet, tertius Axenius cum Anglo matrimonium ineundum esse adfirmat, veluti ex ipsis orationibus appendici additis cernere licet. A. C. 1562 Legationem in Galliam obiit, ut Caletum repeteret, & cum Condæco Principe contra Gallos, si forte bellum conflaretur, societatem iniret; quo tempore multæ ipsi obtrectationes atq; contentiones cum Throgmortono, socio Legato, intercessere. Interea Hieronymus Osorius Lusitanus stylo elegantissimo epistolam ad Elisabetham scripserat, qua ipsam ad Pontificiam fidem reducere conabatur, quaque Ecclesiæ Anglicanæ multos errores objecerat. Quæ cum mox in Gallia Latine & Gallice, itemque Antwerpiæ Anglice, sub nomine Margaritæ Principis esset impressa, e re sua esse censebant Angli, ut eidem responderetur. Datum id negotii Gualtero Haddono, qui etiam id ad finem A. 1563 perduxit, scripta epistola,

p. 60. p. 62. p. 65. p. 72. p. 77. p. 78. p. 85. p. 100.

quæ in opusculis illius ab Hatcherio Cantabrigiæ publicatis, simul e-
p. 101. dita est. Quoniam autem Osorii libellus in Gallia prodierat, Cecilius Reginæ Secretarius, ut responsio & ibi lucem adspiceret, conveniens putabat; ideo illam ad Smithum misit, ut curam illius gereret, qui & illam non tantum castigavit, ut tam Smithi quam Haddoni la-
p. 103. bor videri posset, sed & A. 1564 propriis sumptibus imprimi curavit. Contra hunc libellum quidam Emanuel Dalmuda, Episcopus, Osorii defensionem postea suscepit, qua nihil ineptius se unquam vidisse Haddonus professus est. Thomas autẽ Wylson Reginæ Legatus e Lusitania cum rediret, ipsius Osorii responsionem tribus libris contra Haddonum constantem, secum attulit, contra quam cum Haddonus Apologiæ scribendæ, quam Sebastiano Regi dedicare volebat, se accingeret, morte præventus rem perficere non potuit; quo sine dubio factum est, ut Haddonus cum Osorii libros legisset & argumentorum vim cum admirabili eloquentia conjunctam sensisset, ex mœrore morbum contraxisse dictus fuerit, qui & vitæ illius finem attulerit; ut in vita Osorii, operibus ejus Romæ A. 1592 ab Hieronymo Osorio nepote editis addita, traditur. Absolvit tamen Haddoni inchoatum laborem Joh. Fox A. 1573, cujus scriptum dein in Anglicam quoque linguam
p. 110. a Jacobo Bellio translatum, A. 1581 prodiit. A. C. 1564 inita cum Gallis pace, Smithus in Gallia remanens confecit librum de Republica
p. 112. Anglorum, in quo ostendit, in quibus Angliæ respublica a Gallica, Italica, Hispanica, Germanica cunctisque aliis, quæ jus Romanum sequuntur, differat; qui tamen libellus ante A. 1621 impressus fuisse haud
p. 118. videtur. Postquam itaque diu in Gallia constitisset, Parisiis Petro Ramo Philosopho, & Ludovico Regio familiariter usus, tandem anno
p. 124. 1566 domum rediit; sed vix annus decurrerat, cum iterum eo ablegaretur, ut secundum ultimæ pacis conditiones aut Caletum aut summam 1500000 librarum reciperet. Postquam rediisset A. 1568, per
p. 128. tempus aliquod privatam fere vitam duxit, donec A. 1570 in concilium Reginæ admitteretur. Otio cum frueretur, in Tusculano suo ad Che-
p. 133. miam animum adplicavit, cui cum multum laboris, pecuniæ atque temporis impendisset, spe tamen sua tandem defraudatus est. A. 1571
p. 141. iterum legationem in Galliam suscepit, & contra Hispaniæ potentiam fœdus cum Rege iniit, cumque tunc quidem temporis Elisabetha a nuptiis cum Alenzonio Duce Galliæ Regis fratre non abhorreret, rem illam

illam, sæpius cum matre Regia sermonibus habitis, diligenter procuravit; sed non longo post tempore Regina aliam plane mentem induerat, maximo cum Smithi dolore, qui prævidebat, quantum emolumenti & Regno & Reginæ illud matrimonium adferre posset. His rebus in Gallia intentus, hunc suæ industriæ fructum tulit, ut ordinis Periscelidis Cancellarius constitueretur, & A. C. 1572 in Angliam redux, Reginæ iterum a secretis esse jussus est, quem locum sub Eduardo ante 24 annos tenuerat. Parisienses nuptiæ hujus anni mense Augusto celebratæ fuerunt, quas non dici potest quam graviter in variis ad Walsinghamum in Gallia Legatum litteris fuerit lamentatus. Anno hoc 1572 Smithus sub ductu filii sui, qui tamen, ut De Larrey Tom. 2. Historiæ Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ p. 243 narrat, extra torum ipsi natus erat, coloniam in Hiberniam misit, ut Ardam in parte Australi Ultoniæ sitam, (cujus tabula p. 176 exhibetur) atque sibi suisque hæredibus a Regina litteris & sigillo publico concessam occuparet, atque homines istos barbaros ac fere sylvestres humanitate aliqua imbueret. Filius eo profectus, postquã rem satis prospere gessisset, tandem a barbaro quodam occisus est, paterq; nihilominus illius coloniæ ad mortem usque curam gessit. Vacavit interim curis publicis, quanquam jam tum profitebatur, se tam animo quam corpore languescere; quem languorem augeri sæpe dicebat Reginæ quadam in consiliis exequendis hæsitatione, de qua sæpe erga amicos conquerebatur. Cumque tunc in Hibernia res valde inclinarent, sæpius solicitavit Reginam, ut Essexiæ Comitem, qui ab inimicis, quos in aula habebat, & imprimis Leicestriæ Comite, in rebus gerendis impediebatur, pecunia sublevaret. Tali modo cum ipsum negotiorum & muneris publici curæ implicatum atq; obstrictum tenerent, in morbum A.C. 1576 incidit, qui sequenti anno finem vitæ ejus fecit. Cum vero lentus esset morbus atq; diuturnior, scripta a se olim in juventute perquisivit, inter quæ tamen librum, quem sub Eduardo de valore Romanæ monetæ ad Anglicum reductæ composuerat, non invenit, sed tandem ab amico recuperavit. Meminit illius Camdenus in Hist. Elisab. eumque exactum commentarium, dignumque qui publicetur adpellat. Auctor hujus Vitæ, cum frustra librum quæsivisset, quædam ex ipsius Smithi chartis excerpsit, atque in appendicem n. V. retulit. Tandem medicorum tædio captus, in ædes suas Montaulenses se contulit, ubi morbo demum con-

p. 147. p. 156. p. 159. p. 176. p. 184. p. 186. p. 198.

p. 201. ſumptus A. 1577 d. 12 Auguſti, anno ætatis 65 placide deceſſit. Auctor vitæ hujus poſtquam teſtamentum ipſius expoſuit, quo fratris filium conſtituit hæredem, dotes & mores ejus iterum perſequitur, atque nihil prætermittit, quod ad imaginem vitæ ejus exprimendam pertinet. Laudat ipſum quod nec Phyſicæ, nec Chemiæ, nec Geometriæ, nec Arithmeticæ, nec Aſtronomiæ fuerit imperitus, diligenterque obſervaverit A. C. 1572 novam in Caſſiopæa ſtellam, de qua in epiſtola quadam ad Walſinghamum ſcribat, multum inter ſe differre Anglos atque Gallos in aſſignando iſti ſtellæ loco, his nempe illam in 29
p. 215. gradu Piſcium, illis in 7 gradu Tauri collocantibus. In Politica porro, Hiſtoria, Eloquentia, & Architectonica valde eruditus dicitur, præterque libros de Republica Anglorum, deque recta ſcribendi & pronunciandi tum Græcam tum Anglicam linguam ratione, a quibusdam auctor traditur libri nuper modo impreſſi de auctoritate & forma habendi Comitia regni, quibus accedunt de matrimonio Reginæ orationes, de moneta Romanorum liber, variæque ejus epiſtolæ, quæ libro Anglico, qui perfectus Legatus inſcribitur, jam ſunt in vulgus editæ.

Hæc ſunt, quæ ex vitæ hujus expoſitione decerpere placuit. Appendix quæ adjecta eſt, ſex conſtat capitibus. Primum diploma continet, quo inſignia Smithi confirmata atque aucta fuerunt; deinde tabula litterarum Anglicarum ſequitur, cujus ſupra mentionem fecimus; tertio orationes de Reginæ matrimonio ſuccedunt, quarto petitio exhibetur Thomæ Smithi ad Carolum II pro Ardæ reſtauratione in Hibernia; quinto numiſmatum tabulæ ad Anglicum exemplar reductorum occurrunt, & ſexto tandem catalogus quidam librorum, quos A. C. 1566 poſſedit Smithus, annectitur.

## A JOURNEY TO PARIS IN THE YEAR 1698 by Dr. MARTIN LISTER.

ſive

## *ITER PARISIENSE ANNO M. DC. XCVIII. INSTITUTUM a D. MARTINO LISTER.*

Londini apud Jacobum Tonſon, 1699. in 8. Conſtat 16 plagul.

Quam-

QUamvis ea imprimis Itineraria, quæ regionum longe dissitarum & plurimis inaccessarum situm, urbes, incolas aliaque notatu digna enarrant, summa cum voluptate legantur; attamen & his, quæ vicina & sæpissime peragrata regna accuratius describunt, pretium suum statui debere existimavit Autor solertissimus, multisque egregiis operibus maxime inclytus. Hinc cum anno superiore quarta vice in Galliam profectus esset, committere non voluit, ut ab ullo otii male impensi accusaretur. Quapropter singula, quæ Parisiorum urbs memoranda offerebat, diligenter annotavit, ac in publicam lucem modo emisit. Et profecto inficiandum minime est, illum per totum libelli hujus contextum ita non modo se gessisse, popularibus suis ut placeret, quam fecerat Lutetiæ περιήγησιν, sed etiam varia antiquitatis rerumque naturalium indagatoribus non inutilia sparsim inseruisse, quo & apud illos gratiam iniret. Hujus ordinis notabilia *p. 50.* auspicatur, ubi Museum celeberrimi Boudelotii describendum suscipit, qua occasione duas icunculas ex ære affabre factas, Deum sc. Crepitum Ægyptiacum corona radiata & Priapum tiara Phrygia conspicuum laudat. E marmoribus antiquissimum illud Parioque simillimum, quod Nointellus olim Athenis apportavit, & 177 nomina virorum illustrium Erechtheidis tribus Atticæ, qui uno anno quinque diversis in præliis militantes occubuerunt, tribus columnis disposita exhibet, & Zenobiæ effigiem corona radiata insignem commendat. Postea in Collegio Claromontano Jansenii literas autographas, ut & Prophetas Græce Eusebii manu exaratos, atque in eadem forte classe cum Bibliis Hebraicis Bononiensibus, quæ ab Esdra scripta perhibentur, locandos, se vidisse affirmat. In reliquas deinde Bibliothecas, quas Lutetia numerosissimas ostentat, delatus, ubivis rariora atque advenis monstrari solita, haud proletaria industria observavit. Imprimis autem, quandoquidem medicam artem profiteatur, operose excussit ea, quæ ad Anatomicen, Botanicen ac Physiologiam pertinent; quorsum retuleris quæ p. 62 de Vespeto Canadensi maximo, p. 65 & 68 de Circulatione sanguinis in Embryone, ac præcipue de Foramine ovali, & p. 80 seqq. de stupenda Magnetis virtute adducit. Prolixam quoque operam impendit p. 146 seqq. examinando cibo potuique Parisiensium, miraturque cur genti cætera sobriæ Theæ & Caffe usus tantopere arrideat, tandemque ex peculiari Dei providentia fieri

eri innuit, quo increſcens hominum numerus ceu lenta tabe ſenſim abſumeretur. Maxime erroneam eſſe eorum opinionem ait, qui potu Theæ ac Ciocolatæ famem provocari autumant, ſanioremque vivendi rationem conſtitiſſe Romanis, quibus poſt paſtum demum Theam & Ciocolatam bibere, propriisq; manibus conficere volupe fuerit; id quod ex Ciceronis verbis in quadam Epiſtola ad Atticum, *Emeticen agebat*, evinci poſſe credit. Hortorum ubi mentionem injicit, Regium Botanicum ob ſtupendam herbarum plantarumque notitiam extollit, ibidemque Jaſminum Aſoricum flore albo viridarii Regis Luſitaniæ, Marum Cortuſii, Caryophyllum Creticum arboreſcentem, Smilacem fructu nigro aliaque ſibi viſa enumerat, atque hac methodo etiam in reliquis procedit. Ubivis autem ingenui & prudentis rerum æſtimatoris partes tuetur, ac ſingulorum humanitatem atque officia condignis præconiis exornat,

*PRINCIPIA JURIS CANONICI, QUÆ TAM PER LECTIones publicas, quam privata collegia, in Alma Epiſcopo-Ducali Univerſitate Herbipolenſi propoſuit, ac poſtea publicæ luci expoſuit PHILIPPUS BRAUN, Holnſtadianus Franco, SS. Theologiæ & Juris utriusque Doctor, Protonotarius Apoſtolicus &c.*

Norimbergæ apud J. Chr. Lochnerum, 1698, in 4. Alph. 5. pl. 21.

DUplex in univerſum Juriſprudentiæ Sacræ videtur eſſe facies. Aliter enim illa omnino ſe habet, ſi juxta hypotheſes Papales excolatur; aliter vero, ſi ſecundum principia Proteſtantium tradatur. Nam ut alia taceamus, illo reſpectu non alia illa proponit decreta, quam quæ ultimato a Pontifice Romano ſuam ſortiuntur efficaciam: aſt hoc reſpectu, negata ſacra illa Monarchia univerſali, tales illa inculcat leges, quæ ab Imperio Civili in uſum propriæ cujuſvis Reipublicæ latæ aut approbatæ ſunt. Ex hoc fundamentali diſcrimine fit, ut ea, quæ a Proteſtantibus de jure Sacrorum traduntur, apud Romano-Catholicos ſine uſu ſint, imo ne quidem ab iis, ne ſcilicet, ut ipſi cauſantur, hæreticæ pravitatis contagio incauti inficiantur, indiſtincte legi debeant; nec e contrario placita Romano-Catholicorum, in territoriis Proteſtantium, alicujus autoritatis, vel magni uſus eſſe ſoleant.

Inte-

Interim ſtudia Proteſtantium ſunt libera, nemoque a lectione ſcriptorum Romanenſium, ſacri cujusdam tribunalis terrore abigitur, imo iis non tantum licitum eſt ſcripta adverſariorum legere, ſed & his animum percoluiſſe utile. Itaque doctiſſimum Juris Canonici Compendium vel Syſtema potius, a Summe Reverendo atque Conſultiſſimo Autore noſtro concinnatum, uti Romano-Catholicæ religionis aſſeclis exoptatiſſimum, ita nec Proteſtantibus ingratum, utriſque vero, diverſa licet ratione, utile erit. Compoſuit illud Noſter *juxta ſeriem Decretalium.* Sic tribus verbis totius operis ſummam exhibuimus, nihilque amplius nobis agendum jam eſt, quam ut uno atque altero ſpecimine laboris genium Lectori oſtendamus. In proœmio docet, Jus Canonicum pro ſcopo habere juſtitiam Chriſtianam, & conſequenter temporalem ac æternam felicitatem, cumq; quoad objectum, ſeu actiones humanas, & finem aliquo modo conveniant laudatum JusCanonicum ac aliæ diſciplinæ, ideo omne diſcrimen ſic breviter Noſter eloquitur: *Actio hominis prout naturalis vitalis eſt, Philoſophiæ; prout moralis, honeſta & ad felicitatem naturalem tendens, Ethicæ; prout ſupernaturalis & ad æternam beatitudinem abſolute ordinata, foroque interno ſubjicitur, Theologiæ; prout externa & politica juſtitia bonum communitatis, temporalem felicitatem ſpectantis attingit, Juri Civili; prout per poteſtatem eccleſiaſticam ad publicam Eccleſiæ ſalutem, æternamque beatitudinem directa aut dirigibilis eſt, Juri Canonico adnumeratur.* In l. 1. tit. 2. cenſet Noſter, de ſtilo Curiæ Romanæ, Conſtitutiones Pontificias ſtatim vim obligandi per totum mundum obtinere, quam primum illæ in aula Campi Floræ, Cancellaria Apoſtolica & ad valvas Baſilicæ S S. Petri & Pauli publicatæ ſint, licet iſta obligandi vis, ob probabilem ſubditorum ignorantiam, non ubique ſtatim ſe exſerat: ulterius, Pontificem ad edendam conſtitutionem non indigere conſenſu Cardinalium, licet ex decentia hunc requirere ſoleat; jus convocandi Concilium eſſe penes Pontificem, ac Imperatores, ſi quando Concilia convocaſſe legantur, id feciſſe non autoritate Imperatoria, ſed Pontificia; hinc etiam Pontificem eſſe ſupra Concilia, nec obſtare Concilium Conſtantienſe & Baſileenſe, quæ in contrarium afferri ſoleant, cum non fuerint approbata vel univerſalia, imo ſecundum etiam a Leone X revocatum. In lib. 5 tit. 7 Hæreticos Noſter conſiderat. Eſt autem ex ejus ſententia *Hæreticus, qui*

*poſt*

*post susceptam semel fidem, cum pertinacia tuetur errorem contra fidem catholicam.* Tales hæretici, si actu externo hæresin prodant ( nam mentales pure excipiuntur ) variis coercentur pœnis, ut (1) excommunicatione (quæ etiam manet illos, qui scientes legunt, retinent, imprimunt aut defendunt librum hæretici, hæresin continentem, aut de religione tractantem; quod tamen in Germania adeo receptum non esse, Noster ait, quin liceat legere Medicos, Juristas, Historicos, in quibus una vel plures hæreses obiter admixtæ contineantur; hinc regulam octavam indicis librorum prohibitorum, in his partibus non ita stricte observari. ) (2) infamia juris, (3) privatione facultatis testandi & habilitatis in testamento instituendi, nec non (4) ademtione bonorum aliorumque jurium. Sed has duas posteriores pœnas in Germania locum non invenire, ob conventiones religiosas, Noster addit, privationem tamen beneficiorum adhuc hodie ex ipso Instrum. Pac. art. 5. §. 15. procedere existimans; quamvis hoc argumentum a Protestantibus retorqueri queat, cum Reservato Ecclesiastico ad æqualitatem reducto, Præsules & Canonici Protestantes, ad Papatum deficientes, beneficiis suis quoque excidant d. art. 5. §. 14. His subnexuit Noster, quæ circa religionem in Germania transacta fuerunt per Instrumentum Pacis Osnabrugo-Westphalicum, ubi inter alia censet, legatum opimum ea conditione, *si catholicus fiat*, relictum, non aliter valere, quam si impleatur conditio, cum religionis mutatio post Instrumentum Pacis pro turpi haberi non possit, quamvis spè lucri religionem mutare, turpe & Simoniacum utique, adeoque adjecta conditio detrahenda videatur. Præterea indolet infelici bonorum ecclesiasticorum divisioni, & ad profanos etiam usus, contra piorum fundatorum intentiones, applicationi; cui Innocentius X quidem solenniter contradixerit, sed non fuerit exauditus pro sua reverentia, timendumque sit, ne post binam cum Acatholicis jam peractam divisionem, tertia subsequatur, reliqua penitus absorbens.

*GOTTFREDI ANTONII JCTI CELEBERRIMI JUS FEUDALE, succinctis additamentis, ex novissimis feudorum interpretibus auctum, opera & studio JOH. SAMUELIS STRYKII J. U. D. Prof. Publ. Ordinar. in Academ. Fridericiana Halensi.*

Halæ

Halæ Magdeburgicæ apud J. Frid. Zeitlerum & H. G. Musselinum, A. 1699 in 4. Alphab. 2. plagul. 7.

QUi doctas aliorum meditationes conservant, ac in usum rei literariæ magis efformant expoliuntque, non minorem laudem merentur, quam qui proprio Marte utiles ingenii felicis fœtus proferunt, cum eadem utrinque utilitas & intendatur & obtineatur. Atque hoc nomine nobis nunc commendandus venit Consultissimus Strykius, magni Patris Filius æmulus, qui nomini & functioni suæ satisfacturus, ac eadem opera Generosam Nobilemque Pubem in palæstra disputatoria exerciturus, Celeberrimi JCti, Gothofredi Antonii, Jus Feudale recudi curavit, illudque succinctis additamentis auxit, quæ uncinulis inclusa brevem Antoniani Operis continent explicationem, Lectoremque ad probatos Scriptores insuper remittunt. Præter hæc utilissimo labore adjecit Noster indicem textuum juris feudalis ab Antonio explicatorum, quem Tabor, qui Antonio impense delectatus fuit, olim confecerat, nec non notitiam Autorum Feudalium ordine alphabetico dispositam, ac tandem indicem materiarum in hoc opere contentarum.

*WILHELMI LYSERI, DOCTORIS ET PROFESSORIS THEOlogi in Academia Wittenbergensi, Systema Thetico-Exegeticum, ex variis MSS. diligenter collatis primum nunc editum a JO. GEORGIO NEUMANNO, S S. Theol. D. & P. P. Accedunt indices locupletissimi.*

Wittenbergæ apud Jo. Guil. Meyerum & Godofredum Zimmermann, 1699. 4.

Constat Alph. 10. pl. 16.

PRodit tandem hic liber post dimidii seculi decursum, si ab anno, qui fatalis B. Autori obtigit, calculum ponere lubeat. Obiit enim Wilhelmus Lyserus S. Theol. D. ejusdemque in Academia Wittenbergensi Professor, Ecclesiæ ingenuæ Misenensis Decanus, & Alumnorum Electoralium nec non Schulenburgicorum Ephorus p. m. fasces Academicos tunc gerens, Wittebergæ VI Idus Februar. A. C. 1649. Multis quidem piorum votis Systema hoc fuerat post præma-

tura celeberrimi Theologi fata expetitum, eorum præsertim, qui doctrina ejusdem publica usi, scholas Wittebergenses frequentaverant seduli. Ast votis suis exciderunt vel inviti, & hæredibus prope indignati, quod fœtum hunc suo parente dignissimum paterentur intermori. Moverant hæc eruditorum desideria B. D. Christianum Lyserum τȣ͂ ἐν ἁγίοις Polycarpi Theologi Lipsiensis filium & alterius Polycarpi τȣ͂ μακαρίτȣ Theologorum Saxonicorum Primarii nepotem, Pastorem Primarium Ecclesiæ Sangerhusanæ, ejusdemque ac vicinarum Superintendentem, nepotem e fratre & discipulum genuinum B. Wilhelmi Lyseri, ut iis satisfacturus de eruendo e tenebris scripto immortalitate dignissimo, annis abhinc triginta, & quod excurrit, serio cogitaret. Ast subita Viri optimi ac plane præceps mors, (vix enim XLIIX ætatis annum fuerat ingressus, cum V Nonas Octobris A. O. R. 1671 apoplexia scorbutica correptus decederet) sanctos hosce labores intervertit, cum propediem prelo essent subjiciendi. Passus igitur est D. Christiani Lyseri frater germanus Fridericus Gulielmus, Ecclesiæ Metropolitanæ & Cathedralis apud Magdeburgenses Protomysta, qui (quod obiter notamus, correcturi simul errorem Ephemeridum, quæ Superintendentes Lipsienses enarrant, & ordine inverso disputationem de regimine Spiritus S. d 21 Junii A. 1622 habitam ad 4 Septembr. natalem vero Friderici Gulielmi Lyseri, qui in illum ipsum diem incidit, ad d. 21 Junii referunt) eundem cum modo nominato fratre suo, exemplo forte rarissimo, biennio ante habuit natalem, scilicet diem Mosis, sive prid. Non. Septembr. hanc sibi ab hæredibus provinciam imponi, ut laborem illum daret confectum, & in publicam emitteret lucem. Quamvis autem haud ægre hoc oneris in se susceperit, tantum tamen otii a negotiis Ecclesiasticis, quibus vacare debuit, ipsi superesse non potuit, ut cœptam telam rite pertexeret. Filio igitur suo tunc Lipsiæ hærenti, Polycarpo, Ordinis Philosophici tunc Assessori, S. Theologiæ hoc tempore Doctori, ac Diœceseos Wunstorfiensis Superintendenti celeberrimo, hoc dedit negotii, ut exemplum Systematis, quod ex ore B. Lyseri exceptum antea dictus ex fratre nepos Christianus sua manu exaraverat, a fratre suo & se ipso multo labore emendatum, suas etiam operas conferente D. Jacobo Tenzelio Theologo Arnstadiensi b. m. absolveret, & plene ac plane limatum evulgaret. Cum vero neque is ipse, ad capessendum

ſendum munus Eccleſiaſticum mox evocatus, monitis paternis poſſet ſufficere, tandem poſt moras diuturniores, feliciter hoc quicquid eſt operis conſummavit Theologus hodie Wittebergenſis Lyſerianæ ſtirpi affinitatis jure innexus, Vir Maxime Reverendus D. Johannes Georgius Neumannus. Poſtquam enim exemplar illud, plurimorum Theologorum ope αὐτογράφως correctum, D. Polycarpus Lyſerus e Bibliotheca ſua dono miſerat, varia inſuper MSS. aliunde erant allata, nulli pepercit moleſtiæ, dum tot ac tantis voluminibus inter ſe invicem ſedulo collatis, a mendarum portentis, quantum quidem fieri poterat, liberum orbi erudito ſiſteretur. Non autem ſine graviſſima cauſa Syſtematis Thetico-Exegetici titulo liber comparet inſignitus. Etenim univerſam Theologiam hoc ordine tradidit Auctor, ut dicta ſedes doctrinarum complexa ex univerſo codice ſacro utriuſque fœderis, quæ centuriis abſolvuntur quatuor, ſeligeret, ſelecta, licet plerumque brevius, explicaret, & vim argumentorum in iis ductu Spiritus S. propinatorum inde præcipue erueret. Methodum Theologorum multis dudum probatam ſectatus, totum opus in tres partes, Theologiam ſpecialiter ſic dictam, Anthropologiam ſacram, & Chriſtologiam diſpeſcit, ita quidem, ut unicuique illarum ſectionum procemium, de Theologia ſcilicet, Anthropologia & Chriſtologia in genere præmittat, ipſas vero ſectiones in capita plura diviſas, capita ſingula in momenta diverſa diſtincta exhibeat, cujuſvis vero momenti ſummam paucis verbis expreſſam memoriæ ſublevandæ ergo proponat, nec non per uberiorem σκιαγραφίαν, quid uniuscujuſque dicti occaſione edifferatur, delineet. Poſſemus ex ipſo opere aliqua ſpeciminis loco adducere, quæ illud ipſum benevolo lectori magis commendarent. Sed cum prolixioris, atque inſtituti noſtri fert ratio, hoc ſtudii atque laboris foret, unam ſaltim aſſertionem, quæ novitatis ſpeciem habere videtur, ex libro illo dabimus decerptam, æquitati aliorum judicium de ea relinquentes. Comprobat ſcilicet B. Autor ſententiam D. Ambroſii, qua rem cœleſtem baptiſmi aquam eſſe, quæ e latere Chriſti crucifixi promanavit, ivit aſſertum, & cur hanc ceu commodiſſimam accipere malit quam alias, pluribus oſtendit. Revocat doctrinam hanc inprimis ad inſtitutionem primam Joh. I. 33, ubi ſolius aquæ fit mentio, & niſi res cœleſtis eidem eſſet incluſa, non differre baptiſmum Johannis a Levitico obſervat. Addit, baptiſmum

dici lavacrum aquæ in verbo Eph. V, 26, & verbum ad formam ſpectare, aquam adeo integram continere materiam exiſtimat. Provocat ad conſenſum plerorumque verba Johannis, quando Chriſtus in aqua venire dicitur 1.Joh.V, 6, de baptiſmo exponentium, non ſine cauſſa miraculoſa aquæ in morte Chriſti ſeparationem factam, & tam diligenter annotatam eſſe Joh. XIX.34.35, neque tamen alium reſpectum ad illam, quam in baptiſmo, ex Scripturis monſtrari poſſe innuens. Urget conformitatem inter rem terrenam & cœleſtem, quæ in reliquis ſacramentis inveniatur, & etiam in baptiſmo videatur exigenda; ut qualis eſt inter panem & corpus in comedendo, inter ſanguinem & vinum in bibendo, talis quoq; ſtante hoc aſſerto ſit inter aquam & aquam in abluendo. Solvit porro objectionem, quod in promulgatione baptiſmi res illa cœleſtis non inveniatur, & neque rem terrenam ita claris & diſertis verbis, ut in Cœnæ inſtitutione proferri ait, ſed verbo actionem ſacramentalem denotanti includi; pariter itaque & rem cœleſtem, ipſa ſpecie quaſi cum re terrena convenientem, ea notari, & formam verbis, in nomine Patris, Filii & Spiritus S. indicari perſuadetur. Præterea nec reliquas ſententias ſuis carere difficultatibus oſtendit. Verba ipſa Autoris adſcribemus. Si res, inquit, cœleſtis aſſeratur verbum „eſſe, Sacramentum tantum per modum verbi concionalis ageret, nec „infantibus res iſta cœleſtis videtur convenire; tum & verbum inſtitu„tionis ad cauſam efficientem, applicationis ad formam, promiſſionis „ad finem pertinet. Si ſtatuatur Chriſti ſanguis, iisdem argumentis „pro aqua Chriſti pugnari poterit. Si Spiritus S. ex Joh. III.5, Chriſtus „in re cœleſti Sacramenti Novi Teſtam. non ita diſtincte invenietur. „Si S. S. Trinitas, non ita commode Sacramentalis unio (quando ea„dem immediate conſideratur) inveniri poſſe videtur. Sin median„te humanitate Chriſti id fieri dicatur, quod & ipſa Novi Teſtam. ra„tio requirit, illa aquam iſtam ex Chriſti latere profluentem etiam „continet, ſicque ratione hujus ipſius inſtitutionis & fructus, non „tantum meritorie, ſed etiam, ut Filii Dei ſecundum humanitatem pars „integralis, ſubſtantialiter, & ratione præſentis actionis, ſacramenta„liter adeſſe negari non poterit. Ipſa interim tota adoranda Trias, „ut cauſa efficiens; & ratione pronunciationis ut forma; & ratione „gratiæ ac fructus per peculiarem ſingularum perſonarum erga ba„ptizandum operationem, omnino ſemper hic conſideranda erit.

Opus

Opus ipsum subjecti indices I. capitum & articulorum, II. universum summarii conspectum exhibens, III. dictorum Scripturæ, e quibus capita Systematis deducta sunt, IV. dictorum Scripturæ S. quæ per occasionem explicantur, illustrantur aut vindicantur, V. rerum & verborum, satis copiosi non poterunt non piis lectoribus approbare amplius, si insuper e Præfatione Editoris celeberrimi ad Lectorem didicerit, privatis aliquando horis istas acroases duodecim Theologiæ Cultoribus esse instillatas, qui quidem omnes postea ad gradum Doctoris exemplo perquam memorabili sunt evecti, & ex iis nominatos D. Johannem Benedictum Carpzovium seniorem, D. Johannem Meisnerum, D. Johannem Fridericum Kœnigium, D. Johannem Olearium, Viros de Ecclesia per scripta plnrima immortaliter meritos conspexerit. Neque dubium est, quin suo fructu editio plurium ἀνεκδότων, quorum spem facit Præfatio, nequaquam sit caritura.

## *ERNESTI SALOMONIS CYPRIANI DE ECCLEsia Subterranea Liber.*

Helmstadii apud Georg. Wolffg. Hammium, 1699. 4. plag. 11.

DE Ecclesia Subterranea dum agere instituit peculiari hoc libro *Doctissimus Auctor*, commemorat jam ante Servatoris nostri tempora, persecutionum æstu furente, in speluncis delituisse Judæos, ex Ebr. XI. 38. 1. Sam. XIII. 7. & Josepho Antiq. Jud. XIV. 37. 1. & de Bello Jud. I. 12. aliisque: neque tamen, quod Elias speluncas tales incoluerit, ideo evincere posse Carmelitas affirmat, hunc Prophetam esse ordinis Carmelitarum fundatorem. Probat porro, novi fœderis Ascetas haud paucos inhabitasse cavernas, etiam cum Ecclesia pridem effloruisset libertate, quorum ratio ac vitæ genus recte initum non possit non laudem promereri. Potiorem tamen sibi nunc esse sermonem docet de iis, qui in cryptas non sponte secesserint, sed terræ sese infodere hostium sævitia sint compulsi, tametsi ipsi gentiles eorum probitatem agnoverint. Has itaque cryptas paullo accuratius consideraturus, non negat quidem, Hierosolymis multas tales fuisse, haud facile obvias, quæ securitatem præstiterint tempore calamitatis; sed tamen quod illæ vel aquæ ductibus, vel recipiendis hominum sordibus inservierint,

rint, cum quibusdam videatur; ad cryptas Romanas potius transit, quas primum ævo Neronis, qui persecutus primus fuit Christianos, frequentatas fuisse probabile sit, easque tum aliorum tum Joh. Theodori Sprengeri verbis ita describit, quod sint *loca subterranea Romæ concava, quæ tota fere, quanta quanta sit, tales cavernas habeat, ubi innocua simplicitas Christianorum tempore persecutionis sæpius latitarit, docuerit, sacramenta administrarit, & sepulturas suas habuerit.* Equidem jam dudum ex istis locis gentiles argillam & arenam ad ædificanda sua amphitheatra effodi curaverant; sed inde commodum hoc accidit Christianis latibula quærentibus, qui has cryptas postmodum in labyrinthi modum construxerunt, ne gentiles ad ea loca, ubi congregati erant fideles, possent pertingere, & sic quoque confirmarunt, ne imminens terra rueret ipsis nocitura, obscuras tamen simul & plerumque angustas. In his igitur cryptis sacris suis vacarunt Christiani, egeruntque suos conventus, etsi incertum sit, quo signo fuerint convocati: nisi forte velimus statuere, nullo diei tempore eas vacuas fuisse. Cumque concedat *Auctor*, hosce conventus hymnis ac sacramentorum administratione condecoratos esse, neque de lucernis, quibus usi sint martyres, dubium movere cuiquam velit, negat tamen, altaria & picturas sculpturasque adhuc in iis visendas, vel ipso Athanasio Kirchero fatente, antiquitatis Christianæ esse monumenta, sed seculorum potius recentium opera esse contendit, de numero Martyrum adhuc aliqua edisserens. Propius deinde ad cryptas Romanas accedit, & describit adeo *Cœmeterium Vaticanum*, quod ita sanctum esse ait, ut, jubente hac Inscriptione, non liceat mulieribus nisi semel in anno illud ingredi:

HUC MULIERIBUS INGREDI NON LICET
NISI UNO DIE LUNÆ
POST PENTECOSTEM
QUO VICISSIM VIRI INGREDI
PROHIBENTUR QUI SECUS FAXINT
ANATHEMA SUNTO.

Hoc excipit *Crypta Calepodii* in via Aurelia, *SS. Processi & Martiniani*, *Pontiani*, *Cœmeterium Callisti Papæ & Martyris*, *Catacumbæ*, & *Crypta* seu Arenarium *Eusebii* Presbyteri, *Marcelli* Diaconi, & sociorum; qua occasione tradit, etiam pueris barbarie gentium occisis

posita

posita fuisse Epitaphia. Sequuntur porro *Cryptæ in via Latina*, tum *Cœmeterium Restituti*, & plura tandem paulo obscuriora. Inde ad *Cryptas intra Urbem* accedit, primamque eas inter nominat, quæ olim fuit *ad Ursum Pileatum*. Commemorat porro Thermas Trajanas, Diocletianas, & Domitianas, in quibus fideles olim cultus divini gratia confluxisse vetus traditio sit; monetque illam præcipue imaginem in cryptis adhuc reperiundam a Christianis revera ortum trahere, quæ Christum pastoris habitu repræsentet; simul tamen admittens etiam Christum sub Agni forma, itemque coronas, Græcas quoque litteras $\alpha$ & $\omega$, ac Monogramma Christi, columbarum denique imagines, gallos gallinaceos, pisces, anchoras, arborumque figuras. Quin usque adeo etiam cautus in admittendis Inscriptionibus sepulchrorum est, ut nec probare quidem omnes velit, sed neque tamen omnes rejicere temerario ausu. His adeo pertractatis, ad alias cryptas transit, videlicet ad eam in Melita, quæ *gratia S. Pauli* appellatur, & ad *Suessionensem*, circa quam de Marcello apostasiæ suæ rationem reddente etiam prolixe disputat.

Tandem missis Cryptis Romanis ad *Græcas* progreditur & *Kijovienses*, quas Johannes Herbinius peculiari libro descripsit, & ad superstitiosas priscorum *Gentilium*, ac Ægyptiacas; & concludit denique, Cryptas Romanas multos gentilium tumulos continere, sed negat simul, facinorosorum cadavera in eas delata esse.

## SAPIENTIA VETERUM.

i. e.

*DICTA ILLUSTRIORA SEPTEM GRÆCIÆ SAPIENTUM Dissertationibus aliquot Academicis explicata a JO. FRANCISCO BUDDEO P. P.*

Halæ Magdeburgicæ; literis Christiani Henckelii, 1699. 4. pl. 14.

EXtant passim veterum Sapientum effata litterarum monumentis consignata, quibus gravissima doctrinæ moralis atque civilis capita complexi sunt, simulque & se ipsos & alios ad virtutis studium exhortari soliti fuerunt. Ut autem septem istorum, qui præ ceteris apud Græcos ob sapientiam fuere celebrati, magna omni tempore fuit auctoritas, ita non defuerunt, qui horum effata, a Diogene Laertio, Stobæo

bæo aliisque ad nostra usque tempora transmissa, subinde repeterent & commentationibus suis illustrarent. Quos inter Joachimns Camerarius & Philippus Beroaldus eminent. Horum exemplum imitatus harum dissertationum celeberrimus Auctor, idemque Collega noster solertissimus, quæ apud Diogenem Laërtium extant horum septem Sapientum dicta illustriora in ordinem redegit, & ad certa capita revocavit, obscuriora illustravit, & quem præbere usum in morali pariter ac civili doctrina possint, morali hac commentatione demonstravit. Ad ipsos quoque subinde, unde Græcorum Philosophi sua hausisse vulgo creduntur, respexit fontes, & quod horum quoque septem Sapientum nonnulli multa ab Ebræis, Ægyptiisque in morali doctrina acceperint, comprobatum dedit. Præcipue autem de Solone hoc demonstravit, cujus ideo quoque leges, quas Atheniensibus tulit, peculiari dissertatione cum legibus Ebræorum contulit, & præcipua capita, in quibus utrasque convenire inter se & prorsus conspirare existimavit, edisseruit.

## LIBRI NOVI.

*S. Eusebii Hieronymi Operum Tomus II. Studio & labore Domni Joannis Martianay. Parisiis apud Jo. de Nully, 1699. fol.*

*Dissertation Preliminaire, ou Prolegomenes sur la Bible. Par Louis Ellies du Pin. A Paris, chez A. Pralard, 1699. 8.*

*Sebastiani Le Roux Concordia quatuor Evangelistarum. Parisiis apud P. Aubouyn 1699. 8.*

*Dissertationes Historicæ, Criticæ, Chronologicæ in Sacram Scripturam Veteris Testamenti. Authore D. Matthæo Petitdidier. Tulli Leucorum. Prostant Parisiis apud P. Emery, 1699. 4.*

*Les Anecdotes de Pologne. Ou Memoires secrets du Regne de Jean Sobieski III du nom. A Paris, chez P. Aubouyn & Clouzier, 1699. 12.*

*Histoire de Henry II dernier Duc de Montmorency. A Paris, chez Jean Guignard, 1699. 12.*

*Histoire de Chanoines. Ou Recherches Historiques Critiques sur l'Ordre Canonique. A Paris, chez Charles Osmond, 1699. 12.*

*Histoire, ou Antiquitez de l'Etat Monastique & Religieux, par le R. P. Claude Delle. A Paris, chez F. A. Pralard, 1699. 12.*

* * * * * * * * *

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipsiæ*

*Calendis Novembris, Anno M DC XCIX.*


## HISTOIRE DE L' EGLISE PAR MR. BASNAGE.

i. e.

*HISTORIA ECCLESIÆ A NATO CHRISTO AD HOC usque tempus: auctore JACOBO BANAGIO, Tomus II.*

Roterodami apud R. Leers, 1699. fol.
Conſtat univerſum opus 13 Alph. & plag. 17.

ABſolvemus tandem recenſum Operis hujus, & poſtquam de prioribus illius libris, tum menſe Septembri p. 402 ſeqq. tum Octobri p. 433 ſeqq. prolixius quam pro conſuetudine noſtra diximus, nunc ad eos, qui ſuperſunt, progrediemur. Libro nimirum XVIII Hiſtoriam de L. XVIII. cultu Sanctorum & Reliquiarum a prima Eccleſiæ origine uſque ad ſeculum quintum diligentiſſimus Auctor pertexit. Ubi dum inter alia de ſepultura Martyrum verba facit, Catacumbarum quoque injicit mentionem. Meatus hosce ſubterraneos dum deſcribit, nomen quidem ſeptimo poſt Chriſtum natum ſeculo demum ortum innuit. Rem ipſam autem Romanis tribuit, & quidem ethnica ſuperſtitione adhuc imbutis; cum multas rationes obſtare putet, quo minus Chriſtianos potuerint habere conditores. Namque Neapoli ac Syracuſis largiores amplioreſque Catacumbas conſpici, quam Romæ. Jam vero Syracuſis ea ætate non fuiſſe tantam Chriſtianorum multitudinem, quæ extruendo tam ſplendido operi ſufficeret. Sed vero per

aliquot milliaria hoſce meatus ſubterraneos porrigi demonſtrat: indeque rurſus argumentum capit, a Chriſtianis eos extrui non potuiſſe. Nam quem, inquit, in finem opus tam immenſi laboris, nec minorum ſumptuum extruxiſſent? Addit porro, quantumvis ingens ſtatuatur Chriſtianorum numerus, non obſtantibus ſuppliciis diriſſimis, quibus tum vexabantur, non tamen ab iis tantum opus perfici potuiſſe. Quin potius urnas ſepulchrales & osſium receptacula, aliaque vaſa, ethniciſmi hæc monumenta, quæ in his catacumbis reperiantur, evincere clariſſime putat. Nummos quoque Imperatorum, & eorum quidem, qui acerrimo odio proſecuti ſint Chriſtianos, ut Diocletiani, itidem ibi repertos, novum hujus rei præbere documentum. Plures alias adhuc addit rationes, ad ſuam ſententiam confirmandam ſtabiliendamque, ex quibus unicam adhuc delibare juvat. Conſpici namque obſervat in his catacumbis imaginem Orphei, cantus ſuavitate aves beſtiaſque poſt ſe trahentis. Quæ licet veſtigia Ethniciſmi luculentiſſima exhibeat, Aringhum tamen ea nondum adduci potuiſſe, ut crederet, a Chriſtianis has catacumbas non fuiſſe extructas. Hunc enim in ea verſari ſententia, Orpheum ideo in his locis conſpici, quod is typus Chriſti fuerit, qui itidem doctrinæ ſuæ efficacia gentes poſt ſe traxerit, & quemadmodum Orpheus rejecta tandem Deorum multitudine, filio ſuo Muſæo inculcaverit, unicum tantum eſſe Deum, ita Chriſtianos veteres hoc exemplo Ethnicos erroris, ob πολυθεότητα, convincere voluiſſe. Quam quidem Aringhi ſententiam a moribus & genio veterum Chriſtianorum abhorrere, pronunciat Banagius. In rationes autem, quibus Romanenſes catacumbas iſtas veteribus Chriſtianis vendicant, inquirens, docet monogramma, quo nomen Chriſti exprimi ſolet, non ſemper Chriſtianiſmi argumentum, aut indicium præbere. Namque & apud Romanos ſervis has litteras inditas fuiſſe, ad nomen aut officium deſignandum. Quin & in nummis tum Regum Ægyptiorum, tum quorundam Imperatorum Romanorum idem conſpici docet. Ad catacumbas autem dum revertitur, porro demonſtrat, ſi vel maxime concedatur, Chriſtianorum eas fuiſſe, fruſtra tamen ex iis reliquias Martyrum peti, cum hæreticorum æque ac ſchiſmaticorum corpora ibi ſepulta fuerint, ac orthodoxorum. Id quod non tantum aſſerit, ſed argumentis non contemnendis probat. Quin & Judæos in iis fuiſſe ſepultos docet: quorum

rum sepulchra per certa signa a sepulchris Christianorum fuisse discreta Bosius quidem atque Holstenius contendant, sed perperam. Hæc similiaque dum porro edisserit, mentionem quoque facit controversiæ, quæ doctissimo Mabillonio, præcipitantiam atque abusum gravissimum Ecclesiæ Romanæ, ossa in his catacumbis reperta pro reliquiis Sanctorum venditantis notanti, cum Anonymo quodam, qui epistolæ Mabillonii hac de re editæ, & a nobis mense hujus anni Martio p. 107 seqq. recensitæ, responsionem opposuit, intercedit. In eo a Mabillonio Banagius dissentit, quod ille sibi persuadere nequeat, ab Ethnicis has catacumbas originem trahere, quod huic certum & extra controversiam positum videtur. Ast quod Mabillonius porro docet, quantamcunque curam Pontifex & Cardinales, quorum hoc munus est, in genuinis reliquiis a spuriis discernendis adhibeant, non tamen certi quid hac de re definire posse, cum signa illa & documenta, ex quibus reliquias dijudicent, fallere eos queant, Banagius maximopere probat. Rursus tamen, quod objectum Mabillonio ab adversario ejus fuit, quod censura ista, qua in reliquiarum abusum animadverterat Mabillonius, ipsam Ecclesiam Romanam feriat, id ejusmodi esse censet Banagius, ut quo pacto hoc declinare valeat, non videat. Et hisce quidem, quæ de Martyrum sepultura dicere constituerat, ita explicatis, de laudibus, quibus Martyres prosecuti sunt primitivæ Ecclesiæ Christiani, multa disserit, & de veris quoque, falsis ac fictis Martyribus quædam subjungit. Laudat hic iterum Mabillonii dissertationem de cultu Sanctorum ignotorum, asseritque, si Mabillonius regulis, quas ad veros Sanctos a falsis & fictis dignoscendos proposuit, insistere, summamque in hoc litterarum genere eruditionem, qua floreat, eo conferre voluisset, facile eum ostendere potuisse ingentem Sanctorum multitudinem, quam Ecclesia Romana veneretur, fictis falsisque Sanctis esse annumerandam. Interim eandem viam Banagius ingressus, multos Martyres ex hoc catalogo ejicit. Sic septem priores Episcopos, qui Ecclesiæ Romanæ præfuerunt, Dionysium item Areopagitam, qui pro Franciæ Apostolo habetur, fictis ac imaginariis Martyribus annumerat. Sed multos alios in hunc censum refert, ipsamque Catharinam, frustra nitente contra Baronio, omnemque movente lapidem, ut historiam Catharinæ cum Eusebio conciliet. Post Martyres, Sancti quoque alii adorantur in Ecclesia Ro-

manenſi. De hiſce ergo longe aliam in primitiva eccleſia, uſque ad annum trecenteſimum quinquageſimum, Chriſtianorum fuiſſe opinionem, quam hodie Romanenſium eſt, Banagius demonſtrare nititur. In quam diſputationem dum ingreditur, ſtatim ab initio Dypti-chorum illi injicienda fuit mentio. Cardinalem Bonam non tantum horum originem ad ipſos Apoſtolos referre obſervat, ſed ex his etiam ἀποθέωσιν ac canoniſationem Sanctorum derivare. In utroque ab eo diſſentit. Namque quod ad originem Dyptichorum attinet, Hegeſippum demum eorum auctorem fuiſſe circa annum Chriſti 170 docet. Tum enim in eo illum fuiſſe, ut catalogum Epiſcoporum in diverſis urbibus, per quas iter faciebat, concinnaret, ſimulque conſilium illis dediſſe, confectis Dyptichis nomina & memoriam Epiſcoporum conſervandi. Bonam quidem Cardinalem provocare ad locum quendam Chryſoſtomi, quem in hoc auctore ſe non deprehendiſſe Noſter profitetur. Interim potuiſſe fieri ait, ut Chryſoſtomus ab Apoſtolis inſtitutum crederet, cujus ipſe originem ignorabat; præſertim cum frequens admodum ea ætate eſſet, conſuetudinum, quarum ignorabatur origo, Apoſtolos venditare auctores. Quod autem ad Epiſcoporum canoniſationem Dypticha non ſpectarint, ex eo probat, quod Epiſcoporum tum viventium, tum mortuorum nomina in ea fuerint relata, & quod quælibet Eccleſia omnium Epiſcoporum ſuorum nomina iis inſeruerit. Omnes autem Epiſcopos per ſolennem ἀποθέωσιν in numerum Sanctorum fuiſſe receptos, credibile non eſſe pronunciat. Quod ſi ob hæreſin, aut crimen aliquod aliud, exutus Epiſcopali dignitate fuiſſet, nec nomen ejus Dyptichis fuiſſe inſcriptum: idem deletum in iis, eraſumque fuiſſe, ſi poſt mortem demum crimen aut hæreſis innotuiſſet. Qua de re licet lites interdum ortæ ſint, has tamen nunquam eo pertinuiſſe, num aliquis in numerum Sanctorum referendus, an ex eo excludendus eſſet, contra eundem Cardinalem Bonam contendit. Concludit itaque, Eccleſiam quamvis ſuorum Epiſcoporum nomina Dyptichis inſcripſiſſe, ut de illorum juſta ſucceſſione conſtaret; interdum & peregrinorum Epiſcoporum nomina iisdem fuiſſe inſerta, ut communionis, quæ inter Eccleſias Patriarchales intercederet, documentum ita præberetur. Quod ut porro evincat, latiſſimum campum ingreditur, & quid Eccleſia primitiva de virtutibus Sanctorum dum vivebant, de iis quæ poſt mortem illorum

rum

rum consecuta sint, de statu gloriæ in quem fuerint translati, & denique de honoribus quibus illorum memoria colenda sit, decrevit, prolixe edisserit. Eodem modo quo historiam cultus Martyrum & Sanctorum exposuit, de cultu quoque B. Virginis Mariæ, & postea de cultu Angelorum disserit, & tandem de reliquiis Christi, Mariæ & Apostolorum aliquid subnectit. Atque de Mariæ quidem Virginis cultu dum disserit, Ecclesiæque primitivæ de eo sententiam, a sententia Romanensis Ecclesiæ procul abeuntem, exponit, inter alia Jolium quoque notat, qui persuadere orbi conatus fuit, Gallicanam Ecclesiam ceteris Romanæ Sedi addictis, esse moderatiorem, probatque rem secus se habere, exemplo duorum præstantissimorum Galliæ Oratorum, eas laudes in B. Mariam Virginem cumulantium, quas alii quam Deo tribuere nefas sit. De Angelorum autem cultu ac adoratione verba faciens, initio disquirit, qui factum, ut cum pauci ex Angelis adorentur apud Romanenses, tam infinita contra Sanctorum multitudo apud eos isto honore gaudeat? nullamque aliam hujus rei se invenire posse rationem profitetur, quam quod Sanctorum adoratio crassioribus hominum conceptibus magis sit accommodata, quippe qui & ipsi inter homines vixerint, corporeque fuerint vestiti, cum Angeli contra materiæ omnis corporeæ expertes, & ab hominum consortio procul remoti, objectum crassioribus hominum cogitationibus accommodatum, non præbeant. Bellarmino autem asserenti, a Judæis hoc accepisse Christianos, ut religioso cultu venerentur Angelos, non magis assentit, quam Petavio, contendenti Apostolum Paulum Colossenses adhortantem: *nemo vos supplantet in modestia Angelorumque cultu sibi placens*, Philosophorum solum veterum atque Hæreticorum superstitionem circa Angelorum adorationem, non autem Christianorum cultum, quo Angelos prosecuti sint, reprehendere. Etenim si Christianis licuisset colere Angelos, modo ea hoc non fecissent ratione, qua Philosophi ac Hæretici eos venerabantur, Apostolus, inquit, accuratius eos edocere debuisset hoc discrimen, quod inter illorum ac Philosophorum Hæreticorumque cultum intercederet. Ast vero Apostolum neutiquam ullum hic indicare discrimen, sed omnem plane Angelorum cultum diserte & citra ambages rejicere. Præterea cum Philosophi veteres de Angelis eorumque cultu talia docuerint, quæ cum Romanensis Ecclesiæ moribus atque sententia plane conveniant, frustra Petavium huc confugere inde colligit. Quod ut demon-

L.XIX. XX. XXI.

monſtret, ex Apulejo docet, juxta Philoſophorum ſententiam Angelos ſpatium inter cœlum & terram interjacens incolere, hominumque preces & merita ad Deos, ac Deorum munera ad homines deferre, eosdem juxta Platonis doctrinam fundere oracula, denuntiare futura, miraculaque edere. Adjunxiſſe quoque Philoſophos unicuique mortalium ſuum Angelum, cuſtodem corporis, actionum arbitrum, teſtem cogitationum: quin integris gentibus atque urbibus eos Angelos cuſtodes præfeciſſe: eosdemque extructis templis, inſtitutis diebus feſtis, fuſiſque ad eos precibus coluiſſe; quæ omnia in Romanenſi Eccleſia eodem modo ſe habere, contendit. Sed cetera, quæ de Angelorum cultu primitivæ Eccleſiæ Chriſtianis ignoto erudite tradit, mittimus: & id ſaltem addimus, Auctorem, poſtquam ab ipſis Eccleſiæ incunabilis hiſtoriam cultus Martyrum, Sanctorum, B. Virginis Mariæ, & Angelorum reliquiarumque, usq; ad annum 350 deduxit, eodem modo ab anno 350 ad 431, & iterum ab anno 431 uſque ad finem ſeculi quinti, & denique a ſeculo ſexto uſque ad undecimum juſta ſerie proſequi. Difficile eſt, ex tanta rerum copia & tam vario doctrinæ, quo hæc tractatio abundat, apparatu quod præ cæteris placeat ſeligere. Ne tamen omnino nihil ex ampliſſimo iſto uberrimoque campo decerpſiſſe videamur, pauca ſaltem delibabimus. Qui Angelorum cultum ſeculo quarto & circa initium quinti approbaverint, ſe non deprehendiſſe ait, excepto ſolo Ambroſio, qui dicat, rogandos Angelos a nobis eſſe, qui noſtræ cuſtodiæ cauſa a Deo nobis ſint adjuncti. Contra, quamplurimos hac ætate cultui ac adorationi Angelorum adverſari, ut Auguſtinum, Gregorium Nazianzenum', Chryſoſtomum alioſque: quin in Concilio Laodiceno damnatum fuiſſe Angelorum cultum, cujus decretum refert cum commentario Theodoreti, Baronii contra commentarium rejicit atque refellit. Sanctorum cultui occaſionem præbuiſſe venerationem reliquiarum docet, huic nimiam venerationem, qua Martyres Chriſtiani veteres proſequebantur. Originem hujus rei ad ſeculum IV refert, ſimulque obſervat, Angelorum cultum circa finem demum hujus ſeculi, adeoque poſt cultum Sanctorum, originem cepiſſe. Interim illis non ſuffragatur, qui teſtimonio Hieronymi freti, Conſtantinum M. reliquias Sanctorum Andreæ, Lucæ & Timothei Conſtantinopolin tranſtuliſſe autumant. Namque aut Hieronymum ipſum per errorem pro Conſtan-

ſtantio Conſtantini M. filio ipſum Conſtantinum poſuiſſe, aut locum potius vitio ſcribæ corruptum eſſe, cum ipſe Hieronymus in Chronico ſuo diſerte de Conſtantio referat, quod Andreæ reliquias Conſtantinopolin tranſtulerit. Atque eo hoc eſſe veroſimilius contendit, quod Conſtantius Arrianorum placitis imbutus fuerit, qui rebus creatis cultum religioſum denegare non potuerint, eo quod Chriſtum quoque, nudum licet ſua opinione hominem, nihiloſecius adoraverint. Præter alias cauſas, ſuperſtitionem fœminarum multum ad reliquiarum atque Martyrum venerationem ac cultum contuliſſe ait, quin primum exemplum cultus religioſi reliquiis Sanctorum exhibiti in veteri Eccleſia præbuiſſe Lucillam, reprehenſam ideo a Cœciliano Archi-Diacono Eccleſiæ Carthaginenſis. De qua dum more ſuo paulo accuratius diſquirit, Albaſpinæum pariter ac Balduinum refellit, quod de ea refertur eo detorquere conantes, ne tum demum reliquiarum cultum in Eccleſia ortum eſſe inde intelligatur. Ceterum quod aſſeruerat, quarto demum ſeculo invectam hanc ſuperſtitionem in Eccleſiam fuiſſe, ex eo porro demonſtrat, quod hujus ſeculi Patres tam multa paſſim hac de re diſſerant, cum in prioribus contra ſeculis nemo cultus iſtius injecerit mentionem. Baſilium primum eſſe, qui de invocatione Martyrum verba fecerit, monet. Epiſtolam tamen Baſilii ducenteſimam quintam, in qua citra ambages Sanctorum cultum comprobet, cum Ludovico Elia du Pin pro ſpuria & ſuppoſititia habet. Gregorii Nyſſeni preces ad Theodorum, nihil aliud quam apoſtrophen eſſe contendit, quo pacto & Gregorius Nazianzenus ad familiam ſuam & ad Conſtantium orationem ſuam converterit. Idem pronunciat de precibus Baſilii & Athanaſii, & hujus quidem orationem pro Cypriano pro ſuppoſititia habet. Ambroſium tamen cultum Sanctorum promoviſſe non diſſimulat, quin quod interceſſionem quoque Sanctorum pro viventibus admiſerit, productis teſtimoniis luculentis comprobat. Atque hinc, cujuſmodi reliqua ſint, intelligitur. Saltem id indicandum adhuc cenſuimus, quod fictos quoque ac imaginarios Sanctos per ſingula ſecula indicet; & uti ſuperſtitionis, quæ Romanam Eccleſiam circa Sanctorum, Reliquiarum, Angelorum & B. Virginis Mariæ cultum afflavit, originem & incrementa demonſtrat: ita nec veritatis teſtes, qui omni tempore erroribus indies creſcentibus ſe oppoſuerint, prætermittit. De incertis falſisque Sanctis

ctis, quos refert, nihil dicemus; saltem hoc prætermittere non possumus, eum illis annumerare Sanctos Semipelagianos, Honoratum, Maximum, Caprasium aliosque. Namque hos omnino inter Semipelagianos referendos esse, contra Norisium Cardinalem contendit. Ast quod ad eos attinet, qui se nascenti primum errori opposuerint, quarto quintoque seculo tales fuisse, nemo forte mirabitur. Et sane Augustinum improbasse quidem Sanctorum cultum, tolerasse tamen; quin Concilii Carthaginiensis Patres non ausos esse obviam ire huic errori, licet eum agnoscerent, Banagius docet. Præ ceteris autem Vigilantium seculo IV Reliquiarum & Sanctorum cultui se opposuisse constat, cujus cum Hieronymo hac de re controversiam accurate edisserit. Ex quinti seculi Scriptoribus Leonem primum, Episcopum Romanum sistit, cujus hanc sententiam refert, tum demum recte coli viros sanctos, si eos imitemur. Asterium quoque docet verbum Dei prætulisse intercessioni Sanctorum. Cyrillum pronuntiasse, honore ac veneratione Sanctos citra controversiam dignos esse, ast cultu religioso eos non esse prosequendos. Quin Doctorum quinti seculi non tot pro Sanctorum cultu suffragia reperiri, quam quarti seculi, observat: ejusque rei non aliam esse causam putat, quam quod istud seculum tot præstantes Oratores non tulerit, quam antecedens, quo Chrysostomus, Basilius, Nazianzenus vixerint, animosque auditorum suorum ad Sanctorum venerationem inflammaverint. Sexto seculo Jobium vixisse observat, qui ne nomine quidem *Sancti* homines insigniri voluerit, cum solus Deus eo dignus sit, quippe cujus sanctitas perfecta sit & omnibus numeris absoluta: si homines eodem insigniantur, semper tamen cogitandum esse, si cum Deo conferantur, impuros eos esse atque profanos. Gregorium primum Episcopum Romanum intercessioni quidem & deprecationi Sanctorum multum tribuisse fatetur, ast quod existimarit, adorandos quoque Sanctos & cultu religioso prosequendos esse, plane abnuit. Ad seculum VII progressus, negat in Concilio Trullano cultum Sanctorum sancitum esse: præ ceteris autem Isidorum Hispalensem contra hunc errorem strenue pugnasse; eandemque fuisse sententiam Juliani Episcopi Toletani. Seculo IIX omnes eos qui imaginum cultum impugnaverint, improbasse quoque cultum Sanctorum. Leonem Isauricum hic præ ceteris laudat, a Sanctorum ac reliquiarum cultu plane

plane alienum. Nec Constantinum Copronymum Imperatorem prætermittit, cumque non ignoret, quanto apud imaginum cultores odio iste laboret, & quam inique de eo plerique pronuntiare soleant, operæ pretium duxit in ejus sententiam paulo accuratius inquirere. Leonem Constantini hujus filium itidem puriori doctrinæ addictum fuisse comprobat, eamque sub ejus præsidio triumphasse, donec per Irenes Imperatricis favorem erga Iconolatras, aliam Ecclesia Orientalis indueret faciem. In Occidente tamen Carolum M. superstitioni restitisse, imaginumque non minus ac Sanctorum improbasse adorationem. Seculo denique nono & decimo Orientis Imperatores pro veritate stetisse; legem quoque conditam, ne quis nisi per solum Deum juraret. Disputatum quoque tum hac de re fuisse in Hispania: sed Agobardum Lugdunensem Episcopum seculi sui superstitionem mascule redarguisse. Nec prætermittit hic Claudium Taurinensem, quin sententiam ejus de universa religione Christiana uberius edisserit, & quam strenue imaginum, reliquiarum, crucis ac Sanctorum cultui se opposuerit, prolixe & erudite explicat. Finit tandem tertiam hancce partem Historia imaginum, eadem diligentia & studio, quod in præcedentibus adhibuerat, pertractata. Possemus & hic multa memoratu non indigna ex Autore afferre, sed cum instituti nostri hoc non permittant leges, sufficiat indicasse, eum tres historiæ hujus periodos constituere. Prima periodus sistit ea tempora, quibus apud Christianos ne vestigium quidem imaginis cujusdam Autor deprehendere potuit. Fatetur, in hac periodo non alio se uti potuisse argumenti genere, quam quod negativum in scholis appellant, & quod præcipue a silentio Scriptorum fide dignorum desumitur. Quoties enim de ritibus moribusque nondum introductis aut receptis eorumque origine sermo sit, huic demum probandi modo unice locum esse relictum. Hinc altera periodus originem ac progressum imaginum, earumque cultus, ab initio quinti usque ad finem seculi septimi exhibet. Denique in ultima periodo certamina & controversiæ in Ecclesia usque ad seculum undecimum de imaginum cultu agitatæ recensentur. Quibus rite enarrandis duos libros, vigesimum & vigesimum primum, Autor destinavit. L. XXII. XXIII.

Superest adhuc pars quarta hujus operis, historiam Albigensium, Valdensium, Ecclesiæque Bohemicæ, itemque historiam dogma- L. XXIV-XXVII.

tum Ecclesiæ tum Protestantium, tum Romanensium, explicans: sed cum eam jam antea sub titulo, *Histoire de la Religion des Eglises Reformées*, ab Autore doctissimo edita, Episcopoq; Meldensi opposita, & hic saltem repetita, a nobis autem A. 1690 mense Aug. p. 3 ,2, & mense Sept. p. 472, ut & Octobr. p. 517 enarrata sit, hic pedem figimus.

HISTOIRE DE L' EDIT DE L' EMPEREUR DE LA Chine, en faveur de la Religion Chrestienne &c.

hoc est:

*HISTORIA EDICTI IMPERATORIS SINENSIS, IN GRATIAM Religionis Christianæ. Accessit Commentatio super honoribus, quos Sinenses Confucio & defunctis exhibent. Auctore P. CAROLO LE GOBIEN, Societatis Jesu.*

Parisiis apud Joannem Anisson &c. A. 1698, 12. plag. 16.

EDicti hujus historiam qualemcunque jam in Actis A. 1697, mense Novembri, pag. 491 seqq. exhibuimus. Nunc cum præsens ad nos liber pervenerit, resque ipsa memoria posterorum sit dignissima, non gravabimur eandem narrationem paulo uberius & explicatius prosequi; tametsi idem præstari quoque a nobis potuisset, cum P. Ludovici Le Comte de statu præsenti Chinæ commentarios, in linguam Germanicam nuper conversos, mense *Augusto superioris anni* pag. 375. seq. recenseremus, nisi tum copia rerum libello isto comprehensarum in aliis argumentis nos detinuisset.

Itaque postquam *Gobienus* noster *in præfatione Opusculi*, præcipua quatuor sectarum, in quas universa Sinensium natio hodie divisa est, scita succincte recensuisset: a primordiis religionis Christi-
p. I. anæ historiam suam orditur. Hanc, utut primis Ecclesiæ Christi seculis apud Sinenses floruisse pro certo habeat, succedentibus temporibus adeo intercidisse refert, ut cum medio superioris seculi *Franciscus Xaverius* convertendis Sinensibus animum primum applicaret, ne minimum ejus vestigium in amplissimo imperio superfuerit. Ipso vero *Xaverio* in itinere, & prope sub ipsum in Sinam introitum, defuncto, destinatum opus plures Societatis ejus Patres, ab anno 1587 exsequi

exſequi aggreſſi ſunt, interq; eos *Matthæus Riccius* cum aliquot ſociis; nec improſpero ſucceſſu. Sinenſes enim, ex circumfuſarum ſibi undiquaque gentium, utique barbararum, genio cæteras univerſim nationes cultu, ingenio, moribus deſtitutas arbitrati, eaque propter commercia cum exteris promiſcue hactenus dedignati, ne ſcilicet ex mutua cum peregrinis conſuetudine peregrinis etiam vitiis ſenſim conſueſcerent: cum advenas Miſſionarios iſtos eximiis virtutibus ſuis profundam eruditionem conjunctam habere, exiguoque temporis tractu linguæ & ſcientiarum Sinenſium exactam notitiam ſibi comparaſſe; quin imo celebratiſſimos Doctorum ſuorum multum antecellere cernerent; priſtino ſupercilio poſito, hoſpites hos auſcultare, venerari, ſcitis Chriſtianæ religionis capi, Evangelioque credere cœpere. Renaſcentis hujus Eccleſiæ Sinenſis brevi mirabiles fuere progreſſus, ipſis etiam Philoſophis & regni Mandarinis, ſeu Officialibus, fidem Chriſtianam amplexis. Sed ſecunda hæc initia mox anno 1615 funeſta excepit perſecutio, qua Miſſionarii in carceres conjecti, relegati, Chriſtiani tormentis ſubjecti, templa eorum everſa, & cœtus fidelium diſperſi ſunt. Eoque tunc immanitatis Gentilium proceſſit furor, ut Chriſtianos omnium ſcelerum, ipſis pridem a Paganis objectorum, aduſque etiam infanticidia, reos peregerint. Brevi autem tempeſtas hæc detonuit, Chriſtianiſque, detectis perſecutorum impoſturis, priſtina rediere halcyonia: quæ eouſq; duravere, donec anno 1664 Paganos, crebris nationalium ſuorum converſionibus irritatos, nova inceſſit libido, religionem Chriſtianam peſſum dandi. Abuſi tunc ſunt Chriſtianorum adverſarii Imperatoris hodie regnantis tenera ætate, & vicaria quatuor ſupremorum Miniſtrorum, penes quos ſumma rei erat, regni adminiſtratione: autoreque & incitatore quodam *Yamquam-ſieno*, veteratore nequiſſimo, reſuſcitatis contra Miſſionarios priſtinis calumniis, conquiſitis etiam novis, excitato denique in odium eorum grandi numero Sinenſium, eo rem perduxere, ut paſſim e templis ſuis expellerentur, & catenis onerati *Pekini* & *Cantoni* in carcere per decem menſes detinerentur. Præcipue hic turbo afflixit P. *Adamum Schall* (qui antehac Imperatoris *Chunchi*, ſed tunc temporis defuncti, gratia pollucrat, & ab eo tribunali mathematico, quod *Pekini* floret, præfectus erat) quod ipſe religionis negotia ſtrenue tueretur, & caput atque protector ejuſdem haberetur. Dejectus itaque

p. 5.

p. 7.

p. 8.

eſt bonus ſenex dignitatibus, vinculis conſtrictus, & indignis modis habitus tandemque ſententia in eum lata, ut ſupplicio in reos læſæ Majeſtatis uſitato, fruſtillatim concideretur. Singulari tamen providentiæ divinæ argumento, ſcena derepente immutata, in impium accuſatorẽ mox mortis ſententia pronunciata fuit; cujus executionem quidem potentia amicorum ſcelerati hominis inhibuit, ſcelera tamen illius divina vindicta horribili morbo, quo miſerrime periit, digniſſime ulta eſt. Quanquam vero in priſtinam libertatem reſtitutus eſſet *Schallius*, *Rituum* tamen *Curia* (una ex ſupremis regni, cujus curæ religionis & publicarum ceremoniarum negotia demandata ſunt) inde ab initio religioni Chriſtianæ infenſa, ab Imperatore adhuc juvene edictum extorſit, quo quidem præconibus Evangelii, quantum ad ipſos, reditus ad templa, & privatus religionis cultus permittebatur; interdicta tamen Evangelii prædicatione, ſubditi ſimul, ſtatutis pœnis ſeveriſſimis, ab amplexu fidei Chriſtianæ, omnibuſq; religionis exercitiis prohibebantur.

Non obſtante vero edicto iſthoc, Chriſtianiſmus ab eo tempore lætiſſima pace cœpit frui, & per omnes Imperii provincias incre-
p. 10. menta capere inſignia; favore potiſſimum P. *Ferdinandi Verbieſt*, quem virtutibus ſuis, & ſingulari eruditione in aula ſibi comparaverat. Succeſſerat hic demortuo *Schallio* in Præfectura Tribunalis Mathematici, & gratiam Imperatoris ita propriam ſibi fecerat, ut ab omnibus Mandarinis aulæq; primoribus ſuſpiceretur. Omnis ipſi fuit cura in proferenda religione, & perſecutionum incendiis mature reſtinguendis, quæ in provinciis contra Chriſtianos identidem excitabantur. Cæterum apertis iterum templis, fideles illuc libere commeabant, divinis officiis vacabant, ſacramentis utebantur, frequentibuſque hinc inde Gentilium converſionibus, numero quotidie creſcebant; ipſo etiam Imperatore Præcones Evangelii ſolicite protegente. Tam proſperis Chriſtianorum rebus invidia Proregis Chekiamenſis interceſſit, qui præcipuis ſuæ provinciæ Mandarinis adjutus, novis machinis religionem publice oppugnare adortus eſt. Molitiones ipſius atque artes nequiſſimas, quibus ipſe cum diverſis aſſeclis Patrem *Intorcettam* Jeſuitam, Eccleſiæ in *Hamcheou*, memoratæ provinciæ metropoli, Antiſtitem impetiit, edicta ipſius in dictum Patrem & religionem injuria, interdicta adverſus fidei Chriſtianæ profeſſio-

nem

nem, actionesque *Intorcettæ* intentatæ, prolixiora sunt, quam ut sigillatim recenseri possint. Eorum autem violentia adactus est *Intorcetta*, Patres Societatis suæ, *Pekini* in Aula degentes, implorare, ut ipsorum intercessione apud Imperatorem tyrannis compesceretur. Erat inter hos P. *Joannes Franciscus Gerbillonius* (titulo Regii Mathematici, cum aliis quatuor Patribus, *Fontaney*, *le Comte*, *Bouvet*, & *Visdelou*, a Rege Galliæ anno 1685 in Siam, inde in Sinas missus) Imperatori ob præstita in negotio pacificationis cum Russis, de quo postea, officia, studia mathematica, candorem animi, aliasque virtutes longe charissimus; sed cum hæc agerentur, in comitatu Principis, alumnum hunc suum secum in expeditionibus circumducere soliti, & tunc temporis venationis obeundæ causa in Tartariam profecti, peregre absens. Huic per literas *Intorcettæ* & religionis caussam commendabat P. *Gabianus*, Jesuitarum in Sina Superior, summeque obtestabatur, ut pro eo, quo apud Principem polleret, favore torrentem hunc, toti Ecclesiæ ruinam minitantem, sisteret. His perlectis, *Gerbillonius* rem detulit Principi *Sosano*, Imperatricis avunculo, summis imperii muneribus functo, & Imperatori inter primos Consiliarios: qui *Gerbillonium* arctissima sibi familiaritate junctum (comes enim ipsi Plenipotentiario Imperatoris, ad negotia pacis Russicæ datus, consiliis suis, & promta inter utramque gente dissidentem opera, tanti patroni amicitiam obnoxiam sibi fecerat) bono animo esse jussit; curaturum enim se, ut Prorex Chekiamensis, sibi pluribus nominibus devinctus, contra legem Dei temere commissa emendaret. Nec mora: simul ac Pekinum rediit, per literas eundem hortatus est, ut cum *Intorcetta* in gratiam rediret, & injurias religioni illatas resarciret: idemque, cum Prorex cunctaretur, iterum ac instantius ursit. Sed nihil profecit apud contumacem: qui quidem missum posthæc *Intorcettam* fecit, eumque Ecclesiæ suæ permisit; sed truculento edicto in alia Christianorum templa, horumque nomen professos indigenas de novo desæviit.

a.p.13 ad 75. — p. 77. — p. 79. — p. 81.

Cum itaque Patres Proregem omnes suasiones *Sosani* insuper habere cernerent, ultimis consiliis animum applicuere, querelasque suas junctim ad Imperatorem deferre constituerunt; re tamen prius cum *Sosano* communicata, qui Proregi, ob contemtim habitas literas suas, infensus, se quoque pro virili partibus ipsorum accessurum p. 106.

pollicitus eſt; fidemque ſuam tam ſtrenue exſolvit, ut tanti negotii
ſucceſſus ipſi in ſolidum debeatur.

p. 108. Divino itaque Numine implorato, die 21 Dec. anni 1691, Pa-
tres Pekini commorantes, *Thomas Peregra* Luſitanus, *Antonius Tho-
mas* Belga, *Gerbillonius* & *Joachimus Bouvetus* Galli, quos duos Impe-
rator penes ſe in Aula habebat, conjunctim eundem adiere. Impe-
rator, ut tanto liberius ſenſa ſua exponere poſſent, per Cubicularium
ſuum *Chao* cujus miniſterio ad ipſos uti ſolebat, petitionem eorum
cognovit, qua, præmiſſo recenſu geſtorum in *Hamtchéou*, cæterarum-
p. 109. que Proregis molitionum, revocationem priſtinorum edictorum
Imperatoriorum, religionis Chriſtianæ exercitiis adverſorum, & li-
bertatem prædicandi amplectendiq; Evangelium, cum pro verbi præ-
conibus, tum pro ſubditis univerſis per totum imperium ſolicitabant.
p. 111. Imperator acceptis a *Chao* relatis, primo quidem non uſquequaque fa-
p. 116 vorabile reſponſum dedit; iteratis tamen Patrum precibus expugna-
tus, arbitrio illorum decernendum reliquit, conſultiuſne cauſæ ſuæ
putarent, ſupplicibus libellis rem porro perſequi; an primo Principis
reſponſo, quo ſe perſecutionem Chekiamenſem occultis mandatis in-
hibiturum promiſerat, acquieſcere. Patres e veſtigio prius ample-
xati, actis Imperatori gratiis ſupplices rogabant, ut cauſæ ſuæ patro-
cinaretur, nec judicio Curiæ Rituum ſe totum permitteret, cujus de-
cretis acquieſcendi cauſam utique non haberent. Imperator feſtinam
Patrum ſententiam non parum miratus, ſignificare eis juſſit, ut tanti
momenti negotium curatius perpenderent. Verum hi citra moram
concepto libello cauſam religionis expoſuere, ſeque paratos profeſſi
ſunt, quibuſcunque objectionibus, quæ contra eam ſtringi poſſent, di-
luendis. Eo perlecto Princeps, aliquo temporis ſpatio interjecto, *Ger-
billonio* & *Bouveto* ſolicitantibus reſpondit, ſupplicationis formulam
commovendis animis minus idoneam eſſe, nec Mandarinos Sinenſes,
ut poſtulatis annuerent, adducturam; examinaturum ſe eandem de-
nuo, & quid ſibi videretur, ſignificaturum. Vigilia deinde trium
Regum, interprete *Chao* renunciavit Patribus, ſupplices literas non
p. 120. ſatis valentibus argumentis expreſſas eſſe; momenta enim ab excel-
lentia Chriſtianiſmi capta, nihil ponderis habitura apud Sinenſes, tam
longo tempore contra eundem animatos: alio opus eſſe ſchemate,
quod rationibus Sinenſium magis conveniat, quos rerum ad ſe nihil
atti-

attinentium nulla prope cura tangat: autorem ergo esse suam Majestatem, ut alias & quidem Tartarico idiomate adornent urgentiores, & magis ad gustum nationis compositas: cui etiam consulto, per *Bouvetum* & *Gerbillonium*, linguæ hujus callentissimos, extemplo morem gessere. Imperator receptis literis novis, negotii hujus curam per aliquod tempus abjecit, aut saltim abjecisse videri voluit; donec appetentibus novi anni solennibus, quæ Sinensibus præcipua sunt, & vacatione a negotiis & judiciis publicis per tres ut plurimum septimanas celebrantur, a Patribus, moram impatienter ferentibus, denuo interpellaretur. Remisit vero ipsis literas, sed propria sua manu non p. 125.
tam correctas, quam penitus in aliam formam transmutatas, facta simul potestate, ut probe attenderent, si quid forte deesset, quod insertum cuperent, & postridie ad se referrent. Postero mane convento Principe, actisque eidem cumulatissime gratiis, facile obtinuere, ut postero die, qui Purificationi Virginis Deiparæ sacer p. 127.
erat, libellum Principi solenniter offerrent; quod & deinceps per manus Patrum Pereyræ & Antonii Thomæ, Vice Præsidum collegii mathematici Pekinensis factum est. Operæ pretium foret, eundem integrum huc transscribere, ut tanti Principis sensa, catamq; mentem, indolem etiam gentis Sinicæ, & qua ratione eandem religioni Christianæ quam rectissime conciliari posse sagacissimus Princeps judicavit, B. L. intelligere posset: nisi *autorem* nostrum diversis mox idiomatibus proditurum (& nostro Germanorum quidem operas jam dum exercet typographicas) certo nobis polliceremur, ejusque adeo gratiam interpretibus relinquendam censeremus.

Dictum autem libellum Imperator, secundum morem Aulæ, Tribunali *Colaorum* (Concilium status, primumque Tribunalium sic ap- p. 137.
pellatur) & biduo post supremæ Rituum Curiæ cognoscendum transmisit: quod posterius tamen, feriis novi anni incidentibus, suam de eodem sententiam ferre tum non potuit. Utcunque autem interea, durantibus feriis, Patres soliciti essent, de Consiliariis causæ suæ conciliandis, primariis eorum aliquot non obscure partes religionis tueri se velle testantibus; Princeps *Sosanus* etiam, Proregis Chekiamen- p. 143.
sis pertinacia offensus, delegatum ab hoc, purgandi sui causa missum, asperrime excepisset, nec patronum ejus ullo responso dignatus esset: reclusis tamen Tribunalibus, secus negotium cessit, ac Patres opinabantur.

bantur. Rituum enim Curia, instituta deliberatione, primo anceps consilii pependit, Imperatoris hinc erga Christianos propensione,
p. 147. illinc avito in religionem odio, Assessores in partes trahente; prævalente tandem odio, in hanc sententiam concessit: *Templum in urbe* Hamtchéou, *aliaque hinc inde in imperio extructa, in statu, quo tunc forent, relinquenda; solisque Europæis liberum precum & cultus divini exercitium in iisdem concedendum esse*: quam Imperator sua deinde autoritate confirmavit.

p. 154. Hoc eventu perculsi Patres, ad cubicularium *Chao* denuo confugere, & lamentabili oratione in sinum ejus deposito dolore suo, tergiversantem, & indignationem Principis veritum, tandem compulere, ut eidem luctum ipsorum quam expressissime exponeret: quo officio eodem die, Imperatore *Pekinum*, ex suburbano quodam prædio, quo animi relaxandi causa diverterat, reverso, ex fide defunctus est. Imperator præsentibus aulæ officiis, obstinationem Sinensium adversus postulata Patrum detestatus, *Chao* in mandatis dedit, ut hos
p. 163. suis verbis solaretur; se enim curaturum, ut desiderio ipsorum satisfiat. Re postmodum cum Principe *Sosano* communicata, cum hic causam
p. 168. religionis strenue & plus quam a pagano expectari poterat, perorasset, tandem decrevit, Curiæ Rituum revocandam esse modo latam sententiam, novamque in gratiam Patrum ferendam. Hunc in finem *Sosano* imperavit, ut senatoribus Curiæ & *Colaus* injuriam, quam Europæis facerent, ob oculos poneret, eorumque animos ad mitiorem sententiam disponeret; *cui obtinendæ nihil*, denique inquiit, *tibi præterea opus est, quam ut quæ mihi modo dixisti, apud ipsos bona fide repetas.* Pronissime id in se recepit *Sosanus*, & *ibo*, inquit, *ipsisque confidenter loquar, quando nihil quicquam metuo; nec bonam causam defendentem oratio deficiet.*

p. 170. Eodem ipso die peculiarem gratiam *Gerbillonio* & *Bouveto*
p. 171. facturus Imperator, elogium eorum, in grandi tabula descriptum, in museo suspendi curavit, quo mathematicis operis vacare consueverant: posteroque die, quid in gratiam ipsorum sibi constitutum esset per *Chao* in aula exponi voluit; quodque, ne quid impedimenti aut contradictionis instituto suo posset intercedere, solis Tartaris Consiliariis, exclusis Sinensibus (de quorum iniquiori animo parum sibi promittebat) committere decreverit.

*Sosanus*

*Sosanus* interea partium suarum omni studio satagere contendit; primariis Senatoribus super hac re prius sigillatim conventis. In ipsa deinde Rituum Curia, consessuque *Colaorum*, tanto fervore, vi & eloquentia, tantisque argumentorum momentis causam hanc egit, ut omnes, etiam pervicacissimos, in suam sententiam pertraxerit. Omnes unanimi consensu statuere, solidam libertatem prædicandi Evangelium Missionariis, subditis vero idem amplexandi & profitendi, indulgendam esse: citraque moram se junctim accinxere concipiendo hujus formulæ Edicto, quod Imperatori postea offerretur. p. 179.

Imperator accepto per *Sosanum* rei ex voto suo gestæ nuncio, mutata de excludendis Consiliariis Sinensibus sententia, in pleno *Colaorum* & Curiæ Rituum conventu negotium expediri peculiari mandato jussit; in quo diserte testatus est, legem Dei summa cum injuria tanquam sectam perniciosam & erroneam traduci, & hoc nomine prohiberi. Coacto hoc Senatu, in præsentia *Sosani*, discussis omnibus hujus causæ argumentis, in sequentis formulæ Edictum, quod autoritate Principis postea in legem publicam Imperii abiit, concessum est. p. 180. p. 182.

*Ego, vester subditus* Coupatai, *primarius Præses Curiæ supremæ Rituum, & caput plurium aliorum Tribunalium, Majestati Vestræ cum debita veneratione libellum hunc offero, jussa Vestræ Majestatis subjectissime exsecuturus. Consilium inivimus, ego meique Assessores, super negotio, quod a Majestate Vestra nobis commissum est: comperimusque, Europæos hos vasta maria trajecisse, & ab extremis terræ oris advenisse, allectos summa Vestra sapientia, & incomparabili illa virtute, quæ populos universos demulcet, eosque in officio suo retinet. Præfecti sunt illi hoc tempore Astronomiæ & Tribunali Mathematico. Iidem solicito studio se applicuere conficiendis machinis bellicis, quarum usus fuit in novissimis bellis civilibus. Quo tempore una cum Legatis nostris pangendæ paci cum Moscovitis* Nipchou *missi sunt, medium ipsi invenere negotio illi feliciter conficiendo. Denique ingentibus officiis præstitis de Imperio optime sunt meriti. Nunquam hucusque Europæi qui in provinciis commorantur, delati sunt alicujus facinoris, aut turbarum excitatarum. Doctrina quam profitentur, non est prava, nec apta ad seducendum populum, aut concitandos tumultus. Permittitur promiscue omnibus frequentare templa* Lamas, Hochan *&* Taossè; *interdicitur vero* p. 183.

*accessus ad templa Europæorum, qui nihil adversus leges committunt*: *id quod rationi non videtur convenire. Æquum ergo est, ut omnia templa in Imperio eo in statu, in quo antea constituta erant, relinquantur, & universim omnibus permittatur, ut eadem frequentent, Deumque adorent; nec ulli posthac eam ob causam quisquam molestus sit. Expectamus mandatum Vestræ Majestatis, ut Edictum hoc per totum Imperium executioni mandetur. Actum per Ministros in Senatu, tertia die secundæ Lunæ, trigesimo primo anno imperii* Cam-hi; hoc est, vigesimo Martii anni 1692.

p. 210. Simul atque Imperator Edictum hoc confirmavit (quod factum die perendino) Tribunal Rituum idem Proregibus provinciarum transmisit, ut consuetis ceremoniis in omnibus locis ipsorum jurisdictioni subjectis, hoc est pro tribunalibus pene 2000 publicari curarent. Tenor præcepti sequens fuit: *Proreges provinciarum, recipite hoc Edictum Imperiale subjectissime; & quam primum ad manus vestras pervenerit, idem cum attentione perlegite, observate, nec quicquam, quominus exactissime executioni mandetur, omittite: curate ejus exempla describi, eademque ad omnes urbium rectores mittite, nosque eorum, quæ a vobis gesta sunt, certiores reddite.*

Cæterum quo Christianorum applausu Edictum hoc per totum Imperium exceptum sit, quemque effectum, in convertendis plurimis Sinensium, etiam Mandarinis non infimi ordinis, habuerit, B. L. ex ipso *Autore* cognoscet.

Quod vero pacificationem, Sinenses inter & Moscovitas, cujus supra meminimus, attinet, ex *Autore* nostro historiam ejus memorasse non abs re erit. Nimirum inter seculi hujus res admiratione dignissimas jure optimo censendæ sunt, tam amplæ Orientem versus provinciæ citra ullum belli strepitum, aut vim armorum, a Moscis acquisitæ. Nunciantibus enim ex Sina Jesuitis Gallis, quos Rex anno 1685 eo ablegarat, bellum Sinensibus cum Moscis intercedere, missisque ad utriusque Imperii confinia Plenipotentiariis, utrinque de pace componenda agi; instar prodigii vix creditum, interque paradoxa Geographica habitum, inter has gentes de finibus invicem contendi; utut res sit omnium verissima.

Vergente enim seculo proxime lapso, quidam ex Siberiensibus martium Zibellinarum venatoribus consilium iniere, de petenda Russia,

ſia, ibique exponendis pellibus Zibellinis. Has cum longe præſtantiores hactenus proſtantibus Moſci cernerent, advenas hos amice habitos, doniſque oneratos, non ſolum ad commercia ulteriora invitarunt; ſed & conſortio cum ipſis quæſito, nonnullos eo venatum, terraſq; illas exploratum miſerunt. Hi ibidem nec oppida, nec pagos, nec fixas habitationes, ſed palantes tantum hominum greges (*hordas*) ex adverſo copiam pretioſorum horum animalculorum ingentem, lucroſamque venationem offendentes, rem Principis ſui notitia dignam rati, negotium detulere Ducis *Theodori* affini, rerum ſummam tunc tenenti, *Koriſio* (*Boris Goudeno*) qui jam tum conſilia agitans de occupando Principatu, tanti rem æſtimavit, ut miſſis in Siberiam legatis, gentis amicitiam ambiret, eamque ad fœdus ineundum invitaret. Hi abductis ſecum in Ruſſiam quibusdam hujus nationis præcipuis, iiſque optime habitis, incautis nullique cum hominibus exteris hucuſque commercio aſſuetis, & per ipſos toti deinceps genti, facile perſuaſere, ut poteſtati imperioque Ruſſorum Monarchæ ſe ſubmitteret, valida illius protectione inpoſterum fruitura. Atque ſic Ruſſis, cum novis his civibus permixtis, occaſio nata percurrendi pro lubitu vaſtam illam Tartariam, cujus hucuſque ſolum nomen innotuerat. Succeſſu itaque temporis, ingentibus fluminibus detectis, ad eorum litora, citra ullam Tartarorum, ſylvas & teſqua contermina incolentium, contradictionem, caſtella erexere. Eaque ratione, gradu ab Occidente in Orientem indies promoto, curſuque ſimul Meridiem verſus parumper flexo, ſecuritatique ſuæ extructis per intervalla penes fluvios & fauces montium caſtellis & oppidis, tandem ad Oceanum uſq; Orientalem, & fines Tartarorum Orientalium (*Mancheous* ſe appellant) qui Sinenſi Imperio noviſſime poſiti ſunt, penetrarunt,

Hi vero exteram ignotamque gentem in ſolo ſuo impune caſtella excitare minime ferentes, cum hoſpitibus ſuis, nec ipſis poſſeſſione, quam vacuam adiverant, ſponte cedere volentibus, poſtquam verbis diu diſceptaſſent, ad arma denique verſi ſunt, Ruſſorumque fortalitium, ipſorum intra fines extructum, bina vice ſolo æquarunt. Ruſſis idem tertium longe munitius reſtaurantibus, commeatuque & armis ſufficienter inſtruentibus, Tartari cum Sinenſibus locum omni vi oppugnavere; Moſcovitis machinarum bellicarum ope ſtrenue ſe tuentibus. Poſt varias Martis viciſſitudines, partibus utrinque belli mo- p. 201.

 leſtia-

lestiarum pertæsis (Sinenses enim consuetudo mollis & desidiosæ vitæ, cui & Tartari in Sina degentes jam assueverant, revocabat; Russis vero grave erat, exercitum in dissitis adeo regionibus, sumtibus immanibus alere) Russi misso *Pekinum* legato, de pace cum Si-
p. 202. nensibus ineunda egere. Oblatam hanc occasionem pronissime am-
p. 204. plexatus Sinensium Imperator, anno insequenti 1688 Plenipotentiarios suos, magnifica pompa, & insigni plus decem millium comitatu, qui ab omnibus necessariis instructissimus, exercitus speciem verius præbebat, quam legationis, *Selinguan*, oppidum Russorum limitaneum, *Pekino* 450 milliaribus distans, conficiendo pacis negotio ablegavit.

Principes hujus legationis, sæpius memoratus *Sosanus*, cum alio quodam Imperatoris avunculo, jussu Principis secum habebant Patres *Gerbillonium* & *Pereyram*, quorum scilicet ministerio uti possent, si linguæ Latinæ commercio cum Russis opus foret: qui ut tanto Russis essent acceptiores, ad dignitatem Mandarinorum tertii ordinis, cum aliis honorum prærogativis evecti erant; Legatis etiam in mandatis datum, ut nihil quicquam, nisi communicato cum ipsis consilio,
p. 206. decernerent. Jam autem hæc legatio ad 300 milliaria processerat, cum ulteriori progressui, a Tartaris *Mongousiis* & *Eluthensibus*, bello inter se implicitis, quod via per eos facienda erat, mora injecta est. His transitum tantæ multitudini armatæ negantibus, Sinensibus vero viribus suis non ita confisis, ut vi viam quærere auderent; hi multa cum suorum jactura, & post mille ærumnas, domum reversi sunt. Negotio in sequentem annum ea ratione conjecto, convenit utrinque, ut *Nipchou*, quod munimentum Russorum est, 300 a *Pekino* milliaribus aliquantum versus Orientem distans, Legati coirent. Post varios ibi congressus & colloquia nihil actum est; partibus utrinque æque obstinatis, & uti moribus, sic & animis toto cœlo inter se dissidentibus, ita ut divisis ab invicem legationibus, & in sua utrinque castra se recipientibus, prope ad arma ventum esset: nisi *Gerbillonio* & *Pereyra*, ut sibi solis res permitteretur, contendentibus, seque summa ope curaturos, ut Russi negotia pacis abrupta redintegrarent, & pax obtineretur, spondentibus, Tartari tandem annuissent, ut *Gerbillonius*, qui jam sæpius in castris Russorum fuerat, solus eo iret, & huic fini obtinendo fortunam suam periclitaretur. Hic conventis Russis, dierum aliquot con-

consortio eousq; apud ipsos profecit, ut posita pervicacia, salutaribus hujus Patris consiliis animum adverterent. Ostentabat ille Nationi quæstui deditæ commerciorum divitias, quas ex amica Sina acquisituri essent, totius Orientis opes imperio suo invecturi: inculcata simul necessitate pacis, ut ejus beneficio provinciæ Tartaricæ occupatæ retineri firmarique possent; quas utique ob immanem a Russia distantiam, invito Imperatore Sinensi, & forte tota imperii sui mole Russis incubituro, tueri nequeant. His similibusque suasionibus reluctantes flexit, ut missa inani disputatione super uno alterove munimento in desertis locis extructo, in conditiones a Sinensibus propositas consentirent, easque, juramento utrinque in templo castri *Nipchou* d. 3 Sept. anni 1689 firmatas, ratas haberent. Atque hæc de præcipuo, quod Auctor tractandum suscepit, argumento dicta suffecerint. De Apologia Jesuitarum circa cultum Confucii alibi dicemus.

*JOHANNIS VOET, JCTI ET ANTECESSORIS IN ACADEmia Lugduno-Batava, Commentarius ad Pandectas, in quo præter Romani Juris principia ac controversias illustriores, Jus etiam hodiernum & præcipuæ fori quæstiones excutiuntur. Pars prior continens duos & viginti libros priores.*

Lugduni Batavorum apud Johannem Verbessel, 1698. in fol. Alphab. 11. plag. 14.

SCripsit Consultissimus Autor ante annos octodecim, & quod excurrit, Compendium Juris, juxta seriem Pandectarum, in quo cum id sibi negotii datum crediderit, ut verbis paucis multa complecteretur, hinc istam brevitatem luculenti cujusdam commentarii ubertate velut pensare, ac ejus primam partem, viginti duos Pandectarum libros complectentem, nunc in lucem emittere voluit; ex cujus quantitate, totius Operis, propediem ceu spem Noster in præfatione facit, complendi prolixitatem, ac simul laborum exantlatorum magnitudinem, Lectores agnoscent, ac utrumque grata mente dubio procul venerabuntur. Primo quidem Consultissimo Autori visum fuerat, suis se numeris adstringere, ac peculiari proprioque ordine Commentarium hunc adornare, sed cum ille sibi quidem, non vero aliis perinde fuerit notus, hinc mutato consilio, vulgatam Pandectarum

ſeriem, nulli vel mediocriter in Juriſprudentia verſato ignotam, in eodem concinnando ſequi maluit,ut ita quiſque in ſede propria inveniret,quæ tum certa,tum controverſa ad iſtam juris partem pertinent. Quod ſi tamen nec notiſſimo hoc ordine aliquando quærentibus ſatis proſpectum ſit, ideo locupletiorem indicem, ſubſidio inveſtigantibus futurum, tædioſa induſtria Noſter compoſuit. Rem ipſam quod attinet, ita in ſingulorum Titulorum enarratione verſatus ille eſt, ut præmiſſis tum Romani tum hodierni juris principiis ac regulis, ſæpe per ſuas rationes expoſitis, ſubjunxerit notabiliores pleraſque factorum ſpecies, in legibus occurrentes, aut extra legum Romanarum tabulas uſum in foro præbentes, & eas quidem, quæ parum ambiguæ, paucis aſſertas,dubias vero magiſque controverſas,diſquiſitione pleniore adhibita,ſuis rationibus ſtabilitas, a difficultatibus ac objectionibus liberatas, conciliatis JCtorum reſponſis aut Principum placitis, quorum videbatur pugna eſſe; additis inſuper non aliena ſed propria fide Autoribus, iiſque ſelectioribus, ac magna ex parte, probatæ eruditionis recentioribus. Præterea Illuſtris Autor Romanæ Juriſprudentiæ explanationem, cum hodierni Juris tractatione ſociandam cenſuit: quicquid etiam alii in contrarium ſentiant, quibus vel ſordet, quicquid ex jure Quiritum, terſum licet nitidumque promitur, vel quos offendit,quod poſt explicatam civilemRomanorum ſapientiam, ſpinoſa fori dubia addantur; quaſi minus commoda theoriæ cum praxi mixtura eſſet,nec utraque ſatis apte in una poſſet ſede morari. Dum etiam Compendii olim concinnati veſtigia in hoc pleniore Commentario Noſter paſſim fere legit, hinc, cum dies diem doceat, ſubinde candide confeſſus eſt, quod in uno atque altero loco olim ſcripta ſibi nunc diſpliceant. Nam uti illorum odit ſocordiam,qui quicquid ab alio recte vel perperam dictum inveniunt, obſequio deformi cœcoque velut impetu amplectuntur: ita nec propriarum opinionum ante conceptarum adeo tenacem aut veneratorem ſe eſſe fatetur, quin errata corrigere,ac in melius reformare, laudi ducat, ac ingenui eſſe exiſtimet; cum errare humanum, ſed in errore cum contumacia perſeverare jam monitum meliuſq; edoctum,& inanibus ludibriis effugia quærere, bruti magis quam hominis, inſani quam ſapientis ſit. Denique cum in hoc ſcriptionis genere JCtum egerit Noſter, præ cæteris ea, quæ juris ac conſuetudinis ſunt, & forenſem redolent diſciplinam, explicare

care pensiculatius & ex professo tractare ipsi propositum fuit. Cætera, quæ ad antiquitates spectant, quorumque tenues tantum in nostro juris corpore, plures in fragmentis veterum apparent reliquiæ, summo tantum digito tetigit, subjunctis illorum nominibus, qui circa hæc luculenter ac præclare operam navarunt; ut quisque ex iis velut fontibus ultra hauriret, quibus aut proficere se aut delectari posse putet, ubi gravibus Jurisprudentiæ præceptis, difficilibus & impeditis praxeos controversiis fatigatam mentem reficere, & per amœniora humaniorum latifundia, varietate sua tædium discutientia, spatiari visum fuerit. Quæ vero in hac & mox secutura altera parte, tandem præstiterit Noster; quæ ab aliis intacta, indicta aut minus recte concepta, circa Juris Romani difficiliora observaverit, explicuerit, illustraverit; quid circa juris hodierni abstrusiora velut ænigmata solvenda contulerit; quomodo vetera novis rationibus firmaverit aut reprobaverit, distinctionibus sæpe rem planiorem fecerit, ab aliis judicari dicique mavult, quam inani propriæ laudis deprædicatione sibi ipsi adblandiri, multaque sibi arrogare jactantia nulli profutura. Superest nunc, ut habitu totius Operis generaliter delineato, in præcedentium illustrationem quædam exempla, prout succurrent, adjiciamus. In Titulo de Justitia & Jure, post adductam legum necessitatem, primosque præcipuos legum apud gentes autores nominatos, ad Jus Romanum transit Noster, cujus usum licet subsidiarium solum esse fateatur, ejus tamen accuratam scientiam nec hodie inutilem, testimonio Ariæ Pinelli & Eguinarii Baronis præcipue suffultus, censet. Inde Jurisprudentiam Romanam merito *divinarum atque humanarum rerum notitiam, justi atque injusti scientiam*, vel *artem boni & æqui, veramque, non simulatam philosophiam* dici ostendit, ac ad Justitiam, ejus finem, progressus, recte eam a JCtis *constantem & perpetuam voluntatem jus suum cuique tribuendi*, vocari amplius contendit, ideo quod non tam ex eventu ipsaque tributione ejus, quod cuique debitum, quam potius ex voluntate ipsa atq; proposito, justitiæ actus dijudicari, justosq; aut injustos dici conveniat. Post hæc divisionem justitiæ in commutativam & distributivam tradit, ab eaq; Grotianam, qua in expletricem & attributricem illa discernitur, non longe recedere putat. Cum autem in nuda Justitiæ contemplatione JCtos hærere ac consenescere haut oporteat, sed ab iis potius exigatur, ut leges applicando & justitiæ studeant, &

alios

alios ad idem ſtudium excitent, hinc Noſtro enata eſt occaſio de legibus diſſerendi. Primo igitur conſiderat jus naturale, cujus fundamentum ipſi neque convenientia & diſconvenientia cum natura rationali ac ſociali per lapſum non depravata, juxta ſententiam Grotii, nec ſocialitas, quod viſum eſt Pufendorfio, ſed potius jus Dei Creatoris, potentis quidem, ſed & pariter benigni ac ſumme benefici in ſuas creaturas, eſt. Hinc enim fluit obligatio ad Deum colendum, ſe ipſum conſervandum, ſocialitatem erga alios exercendam, imo etiam genus humanum propagandum. De cætero jus naturæ immutabile eſt in theſi, mutabile tamen in hypotheſi. Hinc licet in univerſum vetet homicidia, latronis tamen, vim inferentis, cædem permittit, ac ſceleratorum jubet ſupplicia, quin &, cum multa jus naturale ſuaſerit quidem, at non præceperit, nec vetuerit iis contraria, conſequens fuit, juſtis cauſis urgentibus a tali ſuaſione jure recedi. Poſtea ad jus Gentium progreditur. Primævum ei nihil aliud eſt, quam jus naturale hominum, a Gentibus receptum; ſecundarium vero dicitur, quod non tam ex rationis luce exortum, quam potius ratiocinatione legitima collectum eſt, & accommodatum non tam incorruptæ naturæ bonitati, quam depravatæ neceſſitatibus, adeoque *quod uſu & humanis neceſſitatibus exigentibus gentes ſibi conſtituerunt.* Quod tamen non ita accipiendum eſſe Noſter monet, quaſi aliquod jus Gentium eſſet, omnes qua tales obligans, omnes populos in publicis inter Gentes commerciis devinciens, ſed quæcunque juri Gentium ſecundario adſcribuntur, non alio ſenſu a Gentibus conſtituta dici poſſe docet, quam quia id, quod multiplicato generi humano per ratiocinium videbatur utile, paulatim nunc hujus, nunc illius populi uſu, & ita tandem Gentium plerarumque, comprobatum ſit, nulla de cætero univerſali obligatione gentes adſtringente: ut adeo jus gentium ſecundarium tandem nihil aliud ſit, quam licitus Gentium uſus ex ratiociniis utilitatum profectus. Ex. gr. ſuadebat utilitas commercia: hinc a gentibus inſtituta ſunt, & primo quidem permutatione fere conſtabant, ſed ſollicitantibus utilitatis regulis, emtio, locatio aliiq; contractus ſecuti ſunt: quod ſi uſus Gentium rectæ rationis dictamini repugnet, illum non jus Gentium, ſed peſſimam potius morum humani generis corruptelam, dicendum eſſe, Noſter addit. Tandem ad jus civile pergit, illudque, velut rem ſatis planam, breviter definit ac diſtinguit, quod vel tale ſit

*origine*

*origine*, vel *sola comprobatione*. In titulo de Constitutionibus Principum, sub peculiari rubrica, luculentam de Statutis Noster exhibet commentationem, argumenti hujus tum utilitate, tum difficultate ad eam instituendam commotus. Primo igitur supponit, statutorum nomine non tantum intelligi leges inferiorum Magistratuum, sed & supremorum Principum ac Populorum majestate praeditorum jura, sive expressa voluntate sancita, sive moribus inducta, veluti Germanorum, Anglorum, Gallorum, Hollandorum, Ultrajectinorum aliorumque similium, atque adeo leges omnes gentium omnium, solo Romano civili canonicoque jure excepto, quin & sententias ac decreta judicum circa personas singulares, dum v. gr. prodigi infames declarantur. Postea nobilissimam illam statutorum divisionem, qua quaedam *personalia*, quae de qualitate personae, v. gr. an sit civis, nobilis, integrae existimationis, necne, disponunt; alia *realia*, quae rem principaliter afficiunt, ut jura succedendi ab intestato; quaedam denique *mixta*, quae neque de personis, neque de rebus principaliter disponunt, sed actuum a personis circa res gerendorum, sive judicialium sive extra-judicialium, formam, modum, ordinem, solennia definiunt, esse perhibentur, pluribus explicat. Inprimis vero, istis explicatis, de vi & efficacia statutorum satagit, data regula, quod *ultra statuentis territorium statuta propria vi valere nequeant*; cujus veritatem quoad statuta realia, circa quae vulgo etiam consentiunt, personalia, quod communiter haut volunt, & mixta, ex natura imperii eleganter & prolixe deducit, rationibus quae obstare videbantur, dextre resolutis. Licet autem statuta propria virtute in aliena territoria haut penetrent, saepe tamen gentes de jure suo aliquid remittere, ac alteram alterius decreta mutua comitate probare solere, Noster amplius admonet, utque de hoc exacte judicium ferri queat, ostendit, quod a statutis realibus Magistratus cujusque loci circa immobilia, ne latum quidem unguem ex comitate recedere, sed suo mordicus juri inhaerere soleat, ut inde, *immobilia non alia quam loci situs lege regi*, tralatitium sit: ast quoad mobilia, rigorem juris laxari docet, sic ut ex comitate profecta regula, praxi universali invaluerit, *mobilia in dubio regi lege loci, in quo eorum dominus domicilium fovet, ubicunque illa vere exstiterint.* Atque hoc ipsum etiam de statutis mixtis asserit: hinc testamenta juxta solennia loci, in quo quis mortuus est, condita, ubique tam quoad bona mobi-

lia quam immobilia valere, JCtorum Belgarum, Germanorum, Hispanorum & Gallorum testimonio comprobat; id contra Mynsingerum & Grassum adjiciens, quod actus, qui spretis illius loci, in quo gestus est, solennibus, juxta statuta domicilii vel rei sitæ celebratus sit, utique in loco domicilii vel rei sitæ valere debeat. De statutis vero personalibus, in quantum scilicet extra territorium, ex quadam comitate operentur, nec ne, nihil generaliter pronunciari posse, sed id potius ex sede cujusque materiæ propria, circumstantiis accurate expensis, repetendum esse Noster arbitratur. Cum autem officia humanitatis inter gentes liberas sat debiles habere soleant effectus, nisi certis illa adstringantur regulis, hinc etiam intuitu statutorum sæpe conventiones expressas vel tacitas a diversis civitatibus iniri, ulterius Noster ostendit. His ad liquidum deductis, id deinde sibi excutiendum sumit, an & quousque per pacta & conventiones privatis permissum sit, a statutorum recedere dispositione? Summa eo redit: statutis utilitatem publicam respicientibus actu privato non posse derogari; bene vero iis, quæ privata concernant commoda, dummodo simpliciter saltem aliquid disponant, nihil vero prohibeant; nam nec ab horum nexibus privatos se liberare posse. Solent autem a statutis, quibus derogari potest, aliquando tacita voluntate privati recedere, dum statuto contrario actiones suas attemperant; ubi quidem in dubio quemvis domicilii sui statutis in agendo se conformare voluisse, præsumendum esse, atque hinc v.gr. communionem bonorum, quæ in loco domicilii contrahentium nuptias ex statuto viget, ad omnia bona sese porrigere, etiam in iis locis sita, ubi statutaria bonorũ omnium communio ignota est, Noster docet. Quod si vero nihil omnino gestum ab aliquo sit, tum tacitæ voluntatis, statutis domicilii sese conformaturæ, præsumtio cessat: hinc si quis intestatus moriatur, bonis per diversa loca dispersis, is non censetur juxta statuta domicilii sui heredes ad successionem vocasse, sed pro vario potius rerum immobilium situ, alios atque alios sortitur heredes. Quæ vero de statutorum interpretatione, eorum condendorum potestate, abrogatione, aliisque dici poterant, ea Noster heic consulto præteriit, cum vel ex doctrina legum generali, vel propria materiæ, quam statutum respicit, sede ea possint debeantque repeti. In titulo de condictione causa data causa non secuta, docet Consultissimus Autor, quod hæc actio occasione contractuum in nomi

nominatorum, qui a datione incipiunt (non vero quibus facta originem præstant, nec occasione causæ præteritæ, aut futuræ quidem sed in mente retentæ) nascatur, ac ex quasi contractu, innominatos comitante descendat, atque adeo eo tendat, ut causa, quam dans intendebat, non secuta, datum restituatur. Solet autem causa non sequi, vel ob cessationem accipientis, vel ob pœnitentiam dantis. Utroque casu actioni nostræ locus est, nec tamen indistincte; de quo specialius satagit Noster, id adjiciens, moribus nostris ex capite pœnitentiæ, condictionem hanc amplius institui non posse, cum hodie contractus innominati, a datione incipientes, pœnitentiam haut recipiant, in quantum nunc ex nudo pacto serio prolato, utcunque per traditionem haut confirmato, actio detur ad implenda ea, quæ pacto placuerunt; sicut & ipsa conventio de dando, ut vicissim detur, firmitatem habeat, ac actionem ad dandum producat: in cæteris vero dispositionem juris Romani quoad hanc actionem, firmam illibatamque manere. In titulo de condictione triticaria, probat Noster, quoad nomen actionis, conjecturam Hotomanni existimantis, illud exinde fluxisse, quod olim Magistratus provinciales ex Sctis provincialibus certam imposuerint tritici quantitatem, ad certa loca deferendam, vel pro tritico pecuniam, si nimis dissita essent loca collationi tritici destinata; cumque illa denunciatio conferendi, *condictio triticaria* diceretur, ac plerumque eveniret, ut pro tritico pecuniam seu æstimationem persolverent provinciales, hinc paulatim fluxerit, ut quoties loco rei debitæ pretium ejus seu æstimatio petenda esset, actio illa *condictio triticaria* appellaretur. Rem ipsam vero quod attinet, putat condictionem hanc esse actionem personalem, qua rei cujusvis corporalis, mobilis vel immobilis, aut incorporalis, quomodocunque ex contractu vel delicto debitæ, æstimationem præstandam esse contenditur. Ex quo porro deducit, actionem hanc subsidiariam esse, ac modo in locum actionis bonæ fidei, modo stricti juris, surrogari, adeoque pro casuum varietate, utriusque indolem assumere. Inprimis vero implicatam faciendæ æstimationis controversiam, quæ iis, qui subtilitates Romanas curiosius investigare solent, crucem figere solet, occasione hujus actionis, Noster evolvit, his fere regulis omnem istam rem complectens: si principaliter rei æstimatio in obligationem sit deducta, respici tempus natæ obligationis, tam in contractibus bonæ fidei, quam stri-

cti juris: si vero res principaliter obligatione comprehensa sit, in stricti juris actionibus, fieri æstimationem rei, qualis a tempore moræ, usque ad litis contestatæ tempus fuerit maxima, sed in bonæ fidei judiciis æstimandæ rei facultatem, usque ad tempus rei judicatæ extendi. Locum porro ineundæ æstimationis, si specialiter contractu definitus non sit, in strictis judiciis esse illum, ubi res petitur, sed in bonæ fidei actionibus, ubi contractus celebratus est, vel res petitur arbitrio actoris. Atque ex his speciminibus eruditi Lectores doctissimas Nostri commentationes reliquas non difficulter dijudicabunt. Nam per omnes ire libros, singulorumque titulorum heic conferre summam, id vero nimis prolixum, nec cum instituto nostro facile conciliandum fuerit.

## *THOMÆ CRENII ANIMADVERSIONUM PHILOLOGICARUM & Historicarum Pars quinta.*

Lugd. Batav. apud Abrahamum de Swart, 1699. 8. Plagulæ $17\frac{1}{2}$.

ANtiquum, sed cum laude, obtinet Eruditissimus Crenius, quando in nova hac Animadversionum suarum parte eodem, quo in quatuor antecedentibus, more modoque, plurima accumulat, quæ multæ ipsi lectionis industriæque haud vulgaris gloriam conciliant. Non possumus proin & nos, quin officio nostro hic itidem fungamur, & quid in libello hoc juxta virtutis potius quam molis quantitatem æstimando contineatur, benevolum Lectorem nostrum edoceamus.

Auspicium sumit a commemorandis variis Autorum optimorum editionibus, quaque ratione quidam de L. Annæo Seneca Tragico, de C. Julio Cæsare, Phædro, Petronioque Arbitro bene mereri studuerint, a pag. 1 ad 37 prolixe indicat, ac dum Petronii mentionem facit, Fragmentum ejus, a celeberrimo Polyhistore, Reinesio, A. 1666 editum, denuo se vulgaturum, & scholia, quæ manu sua Reinesius allevit, quæque numerum priorum ad dimidium fere augent, additurum pollicetur.

Pergit hinc ad diversa diversorum de doctissimis aliquot Viris judicia. Joannem quippe Calvinum a styli, quo usus fuerit, Latini elegantia commendat, & ad Hottingeri effatum provocat, quod vel tres præfationes, Calvini puta in Institutiones suas, Thuani in Histori-

ſtoriam,& Caſauboni in Polybium,omnem ferme Latinitatem exhauriant,formandique ſtyli exemplum præbeant,p. 37. ſeqq. In Frid. Sylburgii laudem, p. 104. ſeqq. plurima affert. Quid de Mich. Noſtradamo Eruditi ſentiant, p. 114. ſeqq. exponit Autor. Cenſuras in Paullum Jovium latas p. 163. in medium adducit. Quod Jo. Piſcatoris Commentarii paſſim aureo quaſi poculo venenum propinent, p. 173 Jo. Winckelmanni verbis edocet. Unde R. Salomo Iſacides ſpurium cognomen Jarchi acceperit, cum Acolutho p. 186. diſquirit. De Erneſto Sonero, Philoſophiæ & Medicinæ Doctore & in Academia Altdorfina Profeſſore p. 243. ſeqq. multa non ubivis obvia diſſerit, mitiuſque de eo judicat, quam ut Socinianis eundem annumerare velit. Nec notum forſan omnibus eſt, quod ex Richterianis epiſtolis p. 204. teſtatur, libros Grotianos de Jure Belli & Pacis e dictantis primum ore excepiſſe,& poſt in ordinem redegiſſe Theodorum Graſwinckelium.

De paupertate, virtutis atque eruditionis indivulſa haut raro comite, non eleganter minus ac prolixe a p. 125 ad 149 agit, inque cenſum literatorum,qui cum paupertate quondam confligere neceſſum habuerint, refert Pomponium imprimis Lætum, Iſaacum Caſaubonum, Guil. Xylandrum,Joſephum Scaligerum,Lilium Gregorium Gyraldum, Janum Parrhaſium, Henricum Cornelium Agrippam, Conr. Geſnerum, Richardum Crocum, Richardum Paceum, Dominicum Baudium, & alios.

Utut librorum ſuorum dedicationibus præmia ſibi quærere Eruditorum plurimi ſoleant,plerumque tamen ſpem inde conceptam inanem eſſe, querelis non unis, teſtimonioque præ cæteris Eraſmi Roterodamenſis, p. 40 ſeqq. probatum dat.

Quam propenſus in Papiſtas fuerit Hugo Grotius p. 83, Iſaacus Caſaubonus p. 78, & Jo. Camero, p. 93. demonſtrat, atque ex inſtituto de nonnullorum conatibus Syncretiſticis, utpote Phil. Melanchtonis, p. 73, Theophili Bracheti Milleterii, p. 82, Jacobi Maſenii, p. 77, Georgii Calixti, p. 86. commentatur.

De Scriptoribus aliquot pſeudonymis p. 180. ſeqq. non proletaria cum ſtudioſis harum elegantiarum communicat. Jo. de la Caſa carmen in laudes Sodomiæ ſcriptum utique adhuc extare, p. 224 ſeqq. contendit. Muretum Veneri deditiſſimum, ac proinde vivi-

comburio aliquando proximum fuisse, p. 102. ostendit; quamvis elegia peculiari p. 222 seqq. repetita, mala, quæ ex Venere enascantur, persecutus fuerit. Lepidum est, quod p. 227. memorat, quendam Clericum Regularem S. Pauli Barnabitam, Florentinum Schilling, in concione funebri illustri A. 1654 habita asserere, Adamum non esse natum, quippe qui ex Evæ costa factus fuerit.

Ex Epistolis Eruditorum hactenus ineditis, quarum copia Lectores suos nec heic fraudare voluit, tres cumprimis nominamus, unam videlicet Conradi Rittershusii ad Christophorum Raphelengium, qua huic notas suas in Boëtii libros de consolatione Philosophiæ offert, p. 25; alteram Petri Cunæi ad Willebrordum Snellium, in qua de anno Jubilæo veterum Hebræorum disputat, p. 158; ac tertiam Erasmi Roterodamensis, qua hic post alia styli acerbitatem Luthero imputat, eundemque propterea accusat, p. 238.

*NICOLAI FATII DUILLIERII R. S. S. LINEÆ BREVISSIMI descensus Investigatio Geometrica duplex, cui addita est Investigatio Geometrica solidi rotundi, in quo minima fiat resistentia.*

Londini apud Joh. Taylor, 1699. 4. pag. 24.

NArratur primum, quomodo a Dn. *Jo. Bernoullio* propositum fuerit problema *lineæ brevissimi descensus*, & Geometræ ad ejus solutionem invitati, nonnulli etiam ob solutionem deinde datam a Dn. *Leibnitio* laudati; qui cum honorificam etiam quorundam aliorum mentionem fecisset, non dubitans, quin si animum ad problema appulissent, solvere potuissent, Dn. *Autor* id ita accipit, quasi alios omnes excluserit; idque in suam injuriam interpretatur, querens se nec specialibus literis invitatum, nec inter eos nominatum, qui problemati essent pares. *Nos vero*, inquit, *si qua invitatione, si digni visi fuissemus literis, quamvis inter tot egregios candidatos innominati, nec adhuc in eorum numerum relati, quos SOLOS* ( ita scilicet accipit Dn. Autor ) *tanto problemati pares* CL. Leibnitius *pronunciat, utique nostras dudum exhibuissemus solutiones. Neque enim causa erat, cur antiquum morem nostrum Problemata omnia in vulgus jacta prætereundi mutaremus. Sed cum videamus, silentium nostrum in nosmet ipsos verti, quid hac in re*

*præ-*

*præstiterit, exponemus.* pag. 4. Ait autem (ibid.) idem se scriptum edere, quod nuper (id est, ut in margine interpretatur, mense Julio 1698) chartæ commiserit, ante visa *Acta Eruditorum Anni 1697*.

Methodus prior *Autoris* in investigatione *Curvæ brevissimi descensus* hæc est, ut quærat arcum circuli osculantis, seu, ut ipse vocat, radium arcus infinite parvi curvæ quæsitæ, nempe in qua tempus descensus inter duo puncta etiam infinite vicina sit minimum. Reducitque rem ad problema tale: Invenire lineam cujus punctum semper sit intra rectam datam (nempe hic horizontalem, a qua fit initium descensus) quantum centrum circuli osculantis, seu centrum curvedinis quæ est in illo puncto, est super eandem rectam. Et quanquam id problema per se videri possit solutu adhuc satis difficile, quia tamen *Hugenius* invenerat, hanc esse proprietatem cycloidis, hinc Dn. *Autor* ostendit, Cycloidem esse lineam quæsitam. Si quis tamen ideo solutionem imperfectam contenderet, quatenus ignorari poterat, hanc esse cycloidis proprietatem, ei reponit Dn. *Autor* p. 97, facilem ab ea regressum sibi esse ad alias Cycloidis proprietates.

Methodus posterior in eo consistit, ut pro arcu circulari minimo quærat duas rectas, tria arcus puncta connectentes, quarum summa temporis descensus sit minima, quod in elementaribus eodem redit; unde & idem prodit, quod paulo ante. Dicit etiam p. 12, se ante annum unum alterumve eandem, quam Dn. *Joh. Bernoullius*, ideam habuisse, juxta doctrinam refractionum pro Curva brevissimi descensus. Calculum quidem se non instituisse, licet facillimum, sed tamen statim vidisse, Tangentem curvæ ubique dari, quod utique sufficiat ad solutionem.

Sequitur alterum problema, quod huc redit: Invenire figuram solidi rotundi, cui a liquido, in quo movetur, minimum resistatur. Id solvisse Dn. *Newtonum*, sed constructionem dedisse, quæ solutionem quærenti lucem nullam præferat. Dn. *Hugenium* id problema A. 1690, 1691 frustra tentasse. Dn. *Autor* rursus ex conditione problematis quærit centrum arcus infinite parvi, seu radium circuli osculantis, eadem fere methodo, ut ante, calculo tamen non paulo prolixiore, unde tandem p. 16 ducere se ait constructionem, quam ad usum mechanicorum vult esse aptissimam. Sit $u$ radius circuli osculantis, $x$ ordinata, $r$ constans, ratio inter $p$, $s$, $t$, ea quæ elementorum

curvæ,

curvæ, abſciſſæ, ordinatæ; fore $u - \frac{3psx}{tt} - \frac{px}{s}$. Hac ſua ait (p. 17) perplexiorem eſſe *Newtonianam*, eandem tamen utrique prodire curvam. Addit deinde, in modum poſtſcripti, ſe brevis otii ſpatium nactum inveniſſe curvæ puncta ex Logarithmis vel Hyperbolicæ areæ quadratura, quod ducitur ex proprietate *Newtoniana*. Subjicit p. 22: *Quamvis iſta curva quibusdam erroribus in navium conſtructione vitandis inſervire poſſit, tamen aliam omnino figuram adhibere oportere mihi compertum eſt. Sed hæc ulterius proſequi non eſt animus. Sufficiat dixiſſe, multa adhuc vulgo incognita remanere, quibus ſi in apertum prodirent, ipſa rei nauticæ facies plurimum mutaretur, magno regionum quarundam commodo, maximo periculo aliarum, quas tamen ſalvas precamur.* Poſtremo refutat Dn. S, quem ait ſummæ laudis æmulum difficillimum problema præmature aggreſſum in *Philoſ. Tranſact.* n. 246, infeliciſſimo eventu Curvam breviſſimi deſcenſus tractaſſe.

Cæterum Dn. *Autor* paſſim queritur de more problemata in publicum proponendi. *Ejusmodi* (inquit p. 5.) *problemata, quamvis a me non ſemel ſoluta, verbi gratia circa* Catenariam, Velariam, *harumque linearum identitatem*, Curvam deſcenſus æquabilis &c. *magnopere ſemper averſatus ſum, neque ſolutiones meas publicis ſcriptis unquam dignatus ſum exponere. Quid enim aliud*, inquit, *proponendis ejuſmodi problematis affectari videretur (niſi hic mos inter cordatos etiam invaluiſſet) præter exiſtimationis ſupremam dignitatem? Quam* modeſtioribus *facile præripiant, quicunque ſibi ipſis inventa difficiliora Theoremata ſub problematum forma Mathematicis proponant. Quaſi vero manus darent, quicunque in arenam e veſtigio deſcendere nolentes, intra præſtitutum tempus problema non ſolviſſent; Problema cui ſolvendo autor opportunum otium nactus fuerit, cui tractando multos annos forſan inſudaverit; Quod elegerit ipſe, quod amaverit, ac ardentiori ſtudio proſecutus fuerit, cui enodando facilem viam cognatis ſtudiis ſibi paraverit, quod denique ignotum pluribus eruditis per annos aut menſes integros in Actis quibusdam extraneis deliteſcat; aut ſi ad ipſos etiam perveniat, non ita paratos corripiat ad propria ſtudia deſerenda, ut quam ocyſſime ad ſublimes ac difficiles alienaſque cogitationes deflectant. Quo etiam dato, etſi calculus, ut ſæpe fit, pro voto ſuccedat, certe non omnes eadem*

*dem id in publicum promulgandi premuntur libidine &c. &c.* Hæc cum Dn. *Autor* non dubitaverit dicere in quosdam egregios Viros, per quos problematum insignium propositiones & solutiones Actis nostris sunt insertæ, non accipiet in malam partem, si quæ defensionis gratia Vir Celeberrimus Jo. Bernoulli reposuit, & in Actis nostris publicari voluit, subjecerimus.

## *EXCERPTA EX LITERIS DN. JOH. BERNOULLII Groningæ 7 Augusti 1699 datis.*

Accepi duas plagulas priores libelli a Dn. *Fatio Duillerio* editi, & non potui satis mirari modum scribendi, quo est usus. Queritur me non dignatum ipsi exemplar problematis transmittere, sed facilis responsio est, me nec teneri mittere talia ad singulos, nec divinasse ubi ille degat: & Dn. *Newtono* exemplaria misisse, non ut eum ad certamen provocarem, ut ipse *Duillerius* rem interpretatur, sed ut aliis quoque res innotesceret. Dum me tanquam *minus modestum* accusat, videtur sub umbra modestiæ voluisse efficere, ut credamus, *se quoque, si qua invitatione dignus visus fuisset, literis suas dudum solutiones fuisse exhibiturum*; quasi scilicet, si modo se applicare *dignatus* fuisset, mox mysterium fuisset detecturus. Interim nobis non dicit, quanto tempore frustra insudaverit, quantum laborem hanc in rem impenderit. Nempe antequam de libello *Fatiano* aliquid rescivissem, didici a Viro fide digno, qui nuper venit ex Anglia, Dn. Duillerium cum amico etiam in Anglia extraneo, ante duos circiter annos magna contentione problemati huic, cujus notitia mature ad ipsum pervenerat, sese accinxisse, & ambos certatim in eo laborasse. *Amicum* illum primum destitisse re infecta; & *Duillerium*, postquam diu satis frustra insudasset, etiam abjecisse arma. Tandem tamen hunc multo post resumsisse problema desperatum, eique acriter & tenaciter inhæsisse. An autem absolvisset, relator ignorabat. Certe, si *modestia* impedit, quo minus quis sua inventa publici juris faciat, nemo aliquid in publicam utilitatem edere poterit, nisi immodestus esse velit. Quod si vero nomen exprimere jactantiæ esse dicat, quidni & ipse suas problematum difficiliorum *curvæ catenariæ, velariæ, isochronæ &c.* enodationes &c. methodosque, quas diu possidere se dicit, publico bono promulgat, suppresso suo nomine? Quantum ad ipsas,

quas edidit, ſolutiones, hujusmodi problemata noſtro more tractata nullum aut perbrevem calculum requiſiverunt, aut ex ſola contemplatione infinite parvorum, adhibita quadam dexteritate, fluxerunt. Calculi vero quos inſtituit, admodum ſunt perplexi, quos ut examinarem, a me impetrare non potui. Problema *Curvæ ſolidi minimæ reſiſtentiæ* vocat magis arduæ diſquiſitionis, quam problema *celerrimi deſcenſus*; ſed tale fuit *Duillerio* forte, qui genuinam ſolvendi methodum non habebat. Hoc enim problema tantæ facilitatis deprehendo, ut ad ejus ſolutionem nullo prorſus calculo fuerit mihi opus: nam charta & calamo deſtitutus, & in lecto decumbens, ſolius imaginationis ope plenarie id ſolvi.

TAB. IX. Fig. 1. Eſto curva quæſita BFN (*Figur 1*) quæ ex revolutione ſua circa BM deſcribat ſolidum in quod minima fiat reſiſtentia, ſi moveatur ſecundum plagam ipſius axis BM. Elementa applicatarum NM concipiantur diviſa in partes æquales NR, RP: ſint NL, LF duo elementa curvæ reſpondentia elementis NR, RP: producatur RL ad O, ita ut LO infinite parvum ſit reſpectu RL. Ductis NO, FO erit ex natura *minimi* reſiſtentia in zonam ex converſione elementi curvæ NLF (quod ut duas lineolas rectas NL, LF conſidero) factam æqualis reſiſtentiæ in zonam ex converſione lineolarum NO, OF, adeoque reſiſtentia zonæ NL — reſiſt. zonæ NO = reſiſtentiæ zonæ FO — reſiſt. zonæ FL. Jam vero aſſumta hypotheſi communi, qua & Nevvtonus utitur p. 325 ſeqq. nimirum reſiſtentiam obliquam in NL eſſe ad reſiſtentiam directam in NR, ut $NR^2$ ad $NL^2$, exprimentur reſiſtentiæ elementorum curvæ, ex gr. ipſius NL per $NR^3 : NL^2$ adeoque reſiſtentia zonæ NL per $MN . NR^3 : NL^2$. Hinc igitur $(MN.NR^3 : NL^2) - (MN.NR^3 : NO^2) = (MR.RP^3 : FO^2) - (MR.RP^3 : FL^2.)$ Sunt autem OT, LS differentiæ ipſarum NO, NL, & LF, OF, harum reſpectu incomparabiles, ideoque $(MN.NR^3 : NL^2) - (MN.NR^3 : NO^2)$ tantundem quod $2 MN.NR^3.TO : NO^3$; & $(MR.RP^3 : FO^2) - (MR.RP^3 : FL^2)$ tantundem quod $2 MR.RP^3.LS : FO^3$. Hoc igitur illi eſt æquale. Et diviſis per $2NR^3$ & $2RP^3$ (quæ per hyp. ſunt æqualia) provenit $MN.TO : NO^3 = MR.LS : FO^3$. Ut autem TO, LS, incomparabiles cum reliquis eliminemus, obſervo quod propter triangula ſimilia NO : RO :: LO : TO, adeoque TO =

RO.

RO. LO : NO. Et ob eandem rationem LS = VF. LO : FO. Subſtitutis itaque hiſce valoribus loco TO & LS, & diviſis per communem LO, habebimus æquationem elementis conſtantem MN. RO : $NO^4$ = MR. VF : $FO^4$ affectam ſuis reſpective applicatis. Unde concludo curvam quæſitam BFN ejus eſſe naturæ, ut ſuppoſitis elementis applicatarum æqualibus, applicata quævis multiplicata per reſpondens elementum abſciſſæ, & diviſa per biquadratum elementi reſpondentis curvæ, producat quantitatem conſtanti æqualem. Quæ ergo conſtans ſervata lege homogeneorum ſumatur ad lubitum. Hinc ſi BM vocetur $x$; MN, $y$, NR, RP, &c. $dy$; RO, $dx$; NO ($\sqrt{dx^2 + dy^2}$) $ds$; fiet $ydx : ds^4$ = huic aſſumtæ quantitati conſtanti & homogeneæ $a : dx^3$; quæ reducta dat hanc æquationem differentialem primi gradus $ydy^3\, dx = a\,ds^4$, quæ curvæ quæſitæ naturam exprimit. Ubi notandum, proprietatem hujus curvæ a Dn. *Newtono* ſine analyſi & ſine demonſtratione traditam p. 327, ſi reſolvatur in æquationem, eandem omnino dare quam hic inveni. Miror profecto *Duillerium* ſuam ſimpliciorem, hanc vero perplexiorem dicentem; cum tamen hæc illam exhibeat facile, non vero vice verſa, niſi ſumma cum difficultate; quam ipſe ſane non facile ſuperabit, id eſt non facile a cognita proprietate radii oſculantis ad proprietatem tangentis aſcendet; cum tamen contra nullo labore ex proprietate tangentis proprietas radii oſculantis innoteſcat.

Cum tamen maxima adhuc difficultas ſuperſit, ut conſtructio ex proprietate ſeu æquatione jam inventa eliciatur; ecce eam ſatis elegantem, quæ tantum ſupponit logarithmos: Nempe ad axem CE (*Figur. 2*) deſcribantur duæ curvæ, una algebraica DAH, altera tranſcendens IK, hac lege, ut poſita abſciſſa CE, $m$; applicata illius EH ſit $(m^3 : aa) + 2m + (aa : m)$ applicata vero hujus EK ſit = $(3m^4 : 4a^3) + (mm : a) - lm$ (poſito $lm$ ſignificare log. ipſius $m$) erunt KE, EH, coordinatæ curvæ quæſitæ. Ad quam igitur conſtruendam aliud nihil opus eſt, quam ut ad CM, applicatis parallelam, tanquam ad axem ducatur & producatur perpendicularis KM in N, ita ut MN ſit = EH; puncta enim N erunt in curva quæſita BN, quæ nempe circa CM converſa producit ſolidum, in quod ſi moveatur ſecundum plagam axis CM, fluidum faciat reſiſtentiam minimam Q. E. F. Et curvæ æquatio tranſcendens exponentialis erit

TAB. IX. Fig. 2.

$$m^4 \, \underline{a^3 l a} = a^3 \, \underline{m^4 + 4aamm - 4a^3 x},$$

Ubi *l*.. significat logarithmum ipsius *a*.

Ex P. S. ejusdem.

Dum posteriores hasce lineas scribo, Tuas secundas literas cum adjunctis schedis accipio. Percurrens obiter ultimam plagulam scripti *Duillerii* reperio constructionem, quæ cum mea nonnihil affinitatis habere videtur. Sed eam examinare jam non licet; certus saltem sum, quod eam non invenisset ex sua solutione, nisi *Newtoniana* proprietate adjutus; quod patuisset, si methodum, qua ad eam pervenit, adjecisset. Cæterum vides quam brevi tempore, quam promte hæc omnia expedierim. Triduum enim est, quod tuas priores cum chartis *Fatianis*, quæ hisce meis ansam dederunt, accepi. Miror vero operam ingentem quam *Fatius* huic problemati impendit, non tantum describendo in ampliori ut vocat charta, sed & calculando integram Tabulam. Ut jam ipsi propria verba reddi possint. Nam *e vestigio in arenam descendi*, etsi *problema* fuerit, *cui solvendo autor opportunum otium nactus fuit*, *cui tractando diu insudavit*, *quod amavit & ardentiori studio prosecutus fuit*, *quod mihi hactenus ignotum in libro delituit*. *Id me interim paratum corripuit*, *quamvis ideo propria studia non deseruerim*: quod & ipse potuisset facere, si adeo, ut asserit ipse, methodos nostras in potestate habuisset.

*EPISTOLÆ ANATOMICÆ PROBLEMATICÆ X, XI, ET XII, ad Virum Clarissimum FREDERICUM RUYSCHIUM, M. D. Anatomiæ ac Botanices Professorem, una cum totidem hujus Responsionibus.*

Amstelædami, apud Jo. Wolters, 1697, 1698, 1699. in 4. plag. 7. Cum Figurarum Tabulis 5.

EQuidem tres, quas hic sistimus Epistolas Anatomicas, totidem distinctis prodierunt annis: placuit tamen eas æque conjungere, ac in ipsarum recensione ad Celeberrimi cumprimis *Ruyschii*, quibus stipantur, *Responsiones* attendere, cum ad istum modum superiores pariter Epistolæ novem in *Actis* A. 1696 p. 270, & A. 1697. p. 14 & 384 a nobis fuerint exhibitæ. Laudatus nempe *Ruyschius* in *Responsione decima*, ad D. *Keerwolff* remissa, cordis humani auriculas nova sua & in-

audita

auditaarteprius expanſas & in naturalem ſtatum reductas exacte delineans, alia in ſiniſtra, in dextra alia, alia denique in utraque obſervat auricula. In ſacculo quippe membranoſo venæ pulmonalis, continuam cum auricula ſiniſtra cavitatem efformante,non duas tantum ſolenni Autorum more,ſed quatuor indigitat truncos; in venæ autem cavæ membranoſa expanſione, auriculæ cordis dextræ continuata, præter copioſas arteriolas, venam coronariam e fundo dictæ auriculæ exortam ac partim per ipſam auriculam dextram,partim vero & potiſſimum per ſubſtantiam cordis diſſeminatam repræſentat,in ejusdem auriculæ dextræ cavitate columnas carneas ſemilunares ostendens, quomodo hæ ab auricula hinc inde nonnihil diſtent, & alias obliquas fibras breviſſimas emittant. Sed ad utramque cordis ſpectat auriculam, quando pro ſubjectorum diverſitate, inſignem earundem diſcrepantiam figuris adjectis patefacit, ſimulque magnitudine etiam ipſas variare, ac mucronem interdum auriculæ ſiniſtræ non deorſum vergere, ſed ad ſuperiora erigi, advertit. Hinc in *undecimo Reſponſo*, ad *L. Wolffium* dato, dum accuratiſſimus Autor de tunicis & glandulis inteſtinorum ſolicitus eſt, cum Anatomicorum quidem nonnullis villoſam tunicam intuitu vaſorum ſanguiferorum; per illam diſperſorum & a ſe depictorum, pro quarta & nerveæ contra distincta venditat, glanduloſam nihilominus eſſe dicendam ideo negat, quod glandulæ in ea reperiundæ, tum ſolitariæ, tum ſociæ, non ab ipſa, ſed a tunica potius nervea, cum qua ſtricte cohærent, aut, ſi mavis, a vaſis ſanguifluis ortum ducant, in quantum cunctis arteriolis infarctis omnes ſimul glandulæ iſtæ infarciuntur. Eaque propter,quia glandulæ dictæ adinſtar lienis corpuſculorum rotundorum,de quibus in Reſponſione quarta actum,non niſi vaſorum protractiones ſuccoſæ ac molles habeantur,recto fere tramite ſine notabili flexura decurrentes inteſtinorumque cavitatem humectantes, neutiquam vero in modum verarum glandularum corpuſcula ſint per ſe ſubſiſtentia,vaſculis & involucro proprio inſtructa,haud alio poſthac easdem quam ſpuriarum titulo dignatur. Sicuti autem materia ceracea rubicunda in arterias meſentericas fortius adacta, ſpurias haſce inteſtinorum glandulas,veluti ſubtiliſſimas,nonnunquam ſine colore replet,ac per repletas ad ipſam inteſtinorum cavitatem penetrat; ita per eandem viam in plethora pariter vel ſanguinis vehementiori motu aliquando mul-

tum cruorem ſine prægreſſo inteſtinorum ulcere & ſine dolore excerni poſſe autumat,licet potiorem partem illius aquoſi laticis, qui a catharticis propinatus vel in diarrhæa evacuari ſolet, ab inteſtinorum una poris derivet. De cætero ſitum ejuſmodi glandularum ſpuriarum per totum inteſtinorum tractum determinaturus, ſolitarias ſolum in craſſis & integra Bauhini valvula, in tenuibus autem & ſolitarias, & gregales reperiri, ſpeciatim vero in jejuno ſporadicas glandulas ſpurias, tam inter rugas ſive valvulas conniventes, a tunicæ potiſſimum villoſæ duplicatura reſultantes,quam in illis ipſis locari affirmat. Quæ in balænæ primum,poſtea in humana detexit mamma, tunc recenſebimus, quando propalabuntur. Nunc ad *Reſponſionem duodecimam* pergamus, in qua Autor Nobil. noſtri D. *Ettmulleri* deſiderio ſatisfacturus,nonnulla de cerebro, cerebello, plexu choroideo, medulla oblongata & nervis communicat obſervata. Prælibatis videlicet iis,quæ cerebrum diſſecandi methodum vulgatam, Varolianam, Sylvianam & Williſianam, itemque quorundam Anatomicorum ſubſtantiam cerebri demonſtrandi,ſed eam valde invertentem, modum concernunt, ante omnia rationem edocet, qua ipſemet molliori huic viſceri aliquam prius firmitatem ſoleat conciliare,ut de interiori ejus textura evidenter conſtet. Vaſa ſiquidem ſanguifera ubi dexterrime & ad naturalem diſtenſionem materia ceracea duriori replevit, lympham copioſam e tubulis cerebri modeſte excuſſit, ac portionem cerebri ita præparati in liquore convenienti ſuſpendit,corticalem cerebri ſubſtantiam e meris vaſis ſanguiferis diverſimode combinatis perſpicue apparere contextã (quod & *Ridleyum* ex *Leewenhoeckii* obſervatione aſſeruiſſe, in *Actis* A. 1696. p. 203. notavimus,) commemorat, in *Tabula IX*, quæ Autori decima quarta eſt, nitide depictam. Uſum tamen ſuccoſis iſtis vaſorum ſanguineorum extremitatibus,quæ protractæ fibris ſive tractibus medullaribus reſpondere videantur, haud diverſum a glandulis aſſignat. Tum cerebellum & plexum choroideum nova ſua methodo examinans,ſuperficiem cerebelli in innumeras particulas diverſarum figurarum angularium, pia matre ubiq; ſuccinctas ac magnitudine caput aciculæ vix adæquantes, ad ſubſtantiam usque tantummodo medullarem ſubdiviſam innuit, plexum autem choroideum, extra cerebrum etiam protenſum, e nullis in ſtatu naturali glandulis, nec e vaſis lymphaticis ullis,ſed ex meris

itidem

TAB. IX. ad A. 1699. p. 529. M. Nov.

Fig. 3.





Fig. 4.




Fig. 5.




Fig. 6.





Fig. 7.




Fig. 2.






Fig. 1.



itidem vasculis sanguineis, præsertim arteriosis, motu serpentino repentibus ac propter gyrulos anfractuosos glandulas mentientibus, piæque matris portione cohærentibus, monstrat coagmentatum. Hydatides namque sæpe in plexu choroideo obvias non nisi vascula esse sanguinea sero turgida, neque ab arteriolis ejusdem succosis & limpidis, raro, si unquam, rubicundo sanguine refertis, absimili ratione, ac a spuriis intestinorum glandulis, laticem istum aquosum secerni, qui a venulis revehendus in ventriculis cerebri atque cerebelli occurrit, quique ob venulas obstructas redundans, & in recens natis versus spinalem medullam in dorsi vertebrarum processus spinosos descendens, singularem tumoris speciem, spinæ bifidæ nomine vulgo insignitam, constituit. Porro in protuberantia annulari, præter externos medullares tractus transversos, alios internos rectos, densissima serie sub exterioribus secundum longitudinem exporrectos, ac pyramidalia corpora cum olivaribus non solum in medullæ oblongatæ inferiori parte, sed & superiori a latere calami scriptorii, annotat, in Fig. 5. adumbrata. Nervorum denique a medulla spinali prodeuntium uti numerum incertum & exortus rationem ab ea diversam, qua alii a medulla oblongata emergunt; ita eosdem nervos spinales, in corpore humano non minus ac in brutis, piæ matris productionem existere filamentosam adstruit, rete mirabile arteriosum apponens, ubi cerebri humani basin cum decem nervorum paribus multisque arteriarum ramificationibus exacte delineari curavit. Antequam vero ad Figurarum explicationem accedat, *Johannis Jacobi Rau* Epistolam de Inventoribus septi scroti ad se nuper exaratam censoria notat virgula, quod privati sermones in ea divulgentur, atque Autores tantummodo nominentnr de septo scroti verba facientes, nequaquam vero clare demonstretur, in quæstionem quod venit, Autoribus istis veram septi illius constitutionem ac methodum accurate hanc demonstrandi & delineandi omnino innotuisse.

Explicatio Tabulæ IX. TAB IX. Fig. 3.

Figura III *portionem corticalis substantiæ Cerebri repræsentat, in liquore visam, & ad vivum depictam. In ea observandum*

*1. Ramulos arteriosos extimos adeo esse subtiles, ut non nisi oculis armatis, sensus incurrant, & ceracea materia repleti, tomenti speciem præ se ferant, Vid, lit. A.*

2.

*2. Observandum, particulas diversa forma lit. B. notatas, nihil aliud esse, quam extrema Arteriolarum succosa, quæ quamvis continuationes sint Arteriarum, tamen ob mollitiem sibi invicem ita sunt appositæ, ut peculiare quid esse mentiantur.*

TAB. IX. Fig. 4. Figura IV *portionem Cerebri exhibet, pariter in liquore visam & inversam, ut filum sericeum, a quo dependet, firmius objectum contineret.*

A Ramus Arteriæ carotidis.

B. Corticalis Cerebri substantia.

C. C. Medullaris Cerebri substantia.

Fig. 5. Figura V *Substantiam Cerebri corticalem demonstrat, in liquore visam, ablutis extremitatibus succosis.*

Fig. 6. Figura VI *portionem Medullæ oblongatæ indigitat supina parte visam, idque ex infante.*

A. Protuberantiæ, Corpora olivaria dictæ.

B. Protuberantiæ, corpora pyramidalia dictæ.

C. Sulcus dictis corporibus intersitus.

D. Corpus globosum.

E. Portiones crurum Medullæ oblongatæ.

F. Medullæ oblongatæ extremitas.

Fig. 7. Figura VII *Protuberantias, quæ Calamo Scriptorio adsitæ sunt, exhibet, quæ non minus quam præcedentes corpora pyramidalia & olivaria dici possent, idque ex infante.*

## *NUMISMATA PONTIFICUM ROMANORUM, QUÆ A TEMPORE Martini V usque ad annum 1699, vel authoritate publica vel privato genio in lucem prodiere, explicata ac multiplici eruditione sacra & profana illustrata a P. PHILIPPO BONANNI Soc. Jesu.*

Romæ ex typographia D. A. Herculis, 1699. fol.

Constat alphabetis circiter 10, & figurarum æneарum Alph. 2. pl. 7.

IMperatorum Romanorum Numismata multi olim nuperque, ac velut certatim, collegerunt, ærique incisa commentariis illustrarunt: ast qui Romanorum Pontificum numis, quorum tamen, non veterum quidem,

quidem,sed intra tria proxima secula cusorum, festiva copia est, parem operam industriamque impenderint, fuere hactenus perpauci. Equidem qui res gestas Pontificum literis consignarunt, Ciacconius, Oldoinus,Palatius, aliique, eorum etiam numismata operibus suis, ut dictis fidem facerent, sparsim inseruerunt; qua in re celeberrimi inprimis Palatii diligentia, in Gestis Pontificum Romanorum A. 1687 & sequentibus editis, ac a nobis in Actis A. 1691 pag. 310 seqq. recensitis enituit: ast qui justo studio & ex professo argumentum hoc tractarit, unicus hucusque fuit Claudius Molinetus, Canonicus, dum viveret (nam anno jam 1687 diem obiit) Regularis Congregationis Gallicanæ, & Bibliothecæ S. Genovefæ Parisiensis Præfectus, Vir aliis etiam scriptis, & illustri inprimis splendidoque opere, quo Museum Bibliothecæ S. Genovefæ accuratissime, sed Gallico idiomate descripsit, Parisiis A. 1692 edito, & apud Ant. Dezallier prostante, clarissimus. Is enim indignatus, ne quidem unum, etiam Romæ, id dedisse decori Sedis Romanæ, ut Pontificum numismata illustraret vindicaretque ab oblivione; rem tandem aggressus est, & conquisitis undecunque & accurato ordine dispositis Pontificum numis, ac a Viris rei nummariæ peritissimis, Bizoto, Vaillantio, Carcavio aliisque adjutus, *Historiam Summorum Pontificum a Martino V ad Innocentium XI per eorum numismata ab A. 1417 ad A. 1678* composuit, ac Lutetiæ Parisiorum A. 1679 publicavit. Tametsi vero magno cum applausu exceptum opus fuerit, non existimandum tamen, omnibus illud numeris absolutum fuisse, aut absolvi prima molitione potuisse, quin relinquerentur, in quibus aliorum elaboraret industria. Nam nec omnia omnino Pontificum numismata ad Molinetum pervenerant; neque ea illi, ut qui Romam nunquam ipse inviserat, fuit antiquitatum monumentorumque Romanorum notitia, quin in explicandis nummis subinde hallucinaretur; & ipsa explicatio, pro amplitudine argumenti, videri potuit hic illic tenuior. Itaque bonum factum, quod idem opus Vir Clarissimus P. Philippus Bonanni Soc. Jesu nuper, amicorum obsecutus votis, aggressus est, cui & plura numismata comparandi, & singula curatius explicandi, simulque antiquos ritus, quorum in iis vestigia deprehenduntur, uberius illustrandi, tanto major facultas fuit, quod Romæ degens perlustrare monumenta publica posset ipse, & quicquid scitu notatuque dignum in ædificiis, in inscriptioni-

bus, in archivis reconditum esset, eruere & in usus suos conferre. Ex quo factum, ut non solum numismatum numerus longe major in præsenti opere occurrat, adjectis etiam, quæ Innocentii XI, Alexandri VIII, & Innocentii XII auspiciis fuere cusa, sed & opus ipsum mole plus quinquies illud, quod Molineto debemus, superet: quod præterea, adjectis quinque accuratis indicibus, Lectorum usui magis est accommodatum.

Atque hæc ad scopum doctissimi Auctoris, & quid ex luculentis his commentariis polliceri sibi Lector possit, intelligendum dicta sufficerint. Non gravabimur tamen numismata nonnulla hic recensere, speciminis saltem loco, ut quantum illustrandæ & conservandæ rerum gestarum historiæ monumenta hæcce conferant, cuivis appareat. Notum est, in Concilio Florentino concordiam qualemcunque & unionem inter Græcam & Romanam Ecclesiam, ipso Græcorum Imperatore Joanne Palæologo præsente, fuisse initam. In rei memoriam cusum numisma fuit, cujus prima facie Eugenius IV Pontifex exhibetur, sacerdotali infula tectus, palliumque cruce signatum indutus: in aversa parte effigies D. Petri, & ante eam in genua procumbentes, hinc Joannes Palæologus Imperator, inde Armenorum Legatus sistuntur. Inscriptio utramque numi faciem occupans hæc est: SUB. EUGENIO. PAPA. IIII. ANNO. XRI. MCCCCXLI. UNITI. SUNT. GRAECI. ARMENI. IN. SINODO. FLORENTINA. CUM. SEDE. APOSTOLICA. Inter Clementis VII, patria Florentini, gente Medicæi, numos unus comparet, quo Pontifex sub imagine Josephi fratres in gratiam recipientis repræsentatur, cum inscriptione: EGO. SUM. JOSEPH. FRATER. VESTER. Cum nulla in eo temporis nota compareat, in diversas conjecturas itum est. Luckius enim cusum A. 1527 putat, in memoriam fœderis a Clemente cum Gallo, Anglo, Venetis & Francisco Sfortia, adversus Carolum V Cæsarem initi. Molineto visum, innui Clementem civibus Romanis, qui ab eo ad Cæsarem defecerant, ignoscentem. Ast Noster existimat, notari potius clementiam Pontificis erga Florentinos, qui gentiles ejus Medicæos urbe ejecerant, sed Caroli V Cæsaris armis coerciti, receptis Medicæis & Alexandro Pontificis nepote Principe dicto, veniam meruerunt. Nec indignum, quod memoretur, aliud Clementis numisma, D. Petrum repræsentans, ductu Angeli e carcere, cui inclusus ab Hero-

Herode fuerat, egredientem, circumſcriptis verbis: MISIT. D. ANG. SUUM. ET. LIBERAVIT. ME. quo Papæ fugam ex Adriani arce, A. 1527 eluſis cuſtodibus factam innui, extra dubium eſſe videtur. Fœderis adverſus Turcas A. 1571 inter Papam Pium V, Regem Hiſpaniæ Philippum II, & Rempublicam Venetam initi memoria conſervata eſt numiſmate, quo Pontifex, Philippus Rex, & Dux Venetus adſtant, ſubjectis cuique inſignibus, agno Pontifici, aquila Philippo, & Veneto Duci leone, cum inſcriptione: FOEDERIS. IN. TURCAS. SANCTIO. Plura vero cuſa ſunt, poſtquam eodem anno Fœderatorum claſſis duce Joanne Auſtriaco decantatiſſimam illam ad Echinades victoriam navalem a Turcis reportaſſet. Eorum unum præter triremes diſperſas demerſaſque, Deum oſtendit fulmina e cœlo in Turcas jaculantem, Angelumque cum cruce e Pontificia navi terrorem Turcarum claſſi incutientem, cum lemmate ex Exod. XV. 6. DEXTERA. TUA. DOMINE. PERCUSSIT. INIMICUM. 1571. In alio Pontificiam claſſem contra Turcas dimicantem, Angelo in aere prælium dirigente, videmus expreſſam, cum inſcriptione ex Pſalm. CXVII. 16: DEXTERA. DOMINI. FECIT. VIRTUTEM. In eundem ſenſum in alio quoque claſſis exhibetur, Deo e nubibus proſpiciente, addita ex ejusdem Pſalmi verſu 23 inſcriptione: A. DOMINO. FACTUM. EST. ISTUD. 1571. Eodem Molinetus numiſma retulerat, quo Pius V genuflexus gratiaſque Deo agens ſiſtitur, adumbrato ſimul leviter prælio aliquo, cum lemmate ex cantico B. Mariæ Virginis: FECIT. POTENTIAM. IN. BRACHIO. SUO. DISPERSIT. SUPERBOS. Aſt cum non maritimum, ſed terreſtre in numo prælium deſignetur, & ex poſtica parte pateat, cuſum anno V Pontificatus Pii, adeoque ante pugnam ad Echinades fuiſſe, rectius Noſter cenſet, numiſmate hoc memoriam deſignatam cladis, quæ in Gallia A. 1569 ad Jarnacum, & iterum eodem anno ad Monconturium, Hugonotis fuit illata. Inter numiſmata Gregorii XIII non dubitavit Auctor referre illud, quo famoſam illam lanienam Pariſienſem Pontifex approbavit, Angelum repræſentans, ſiniſtra crucem præferentem, dextera gladium, eoque in Hugonotas depugnantem, cum inſcriptione: HUGONOTTORUM. STRAGES. 1572: quod quidem ipſorum Romano-Catholicorum haud pauci mallent nunquam adſpexiſſe lucem, facinus illud toto potius pectore deteſtati. Nec numiſma tantum Noſter exhibet, ſed

memorat etiam, ut Pontifex cædem in Vaticana Aula a Georgio Vasaro, velut vindicatæ Religionis monumentum, coloribus describi jusserit, & Flavium Cardinalem Ursinum Legatum a Latere in Galliam destinaverit, Carolum Regem, ut fortiter cœptis insisteret, admoniturum. Sed ad alia transeamus. Cum decennio post, Gregorius XIII Calendarium novum promulgasset, in hujus rei memoriam numisma cusum fuit, in quo tum caput Arietis florum semicorolla exornatum, tum Draconem in orbem circumvolutum, caudamque suam ore complexum conspicias, inscripto lemmate: ANNO. RESTITUTO. MDLXXXII. Ubi capite Arietis anni principium, cum scilicet Sol Arietis signum ingreditur, floribus vernum tempus, Draconis figura perpetuas annorum revolutiones notari, dubio caret. Missi a Gregorio XIV, sub ductu nepotis sui Sfondrati, Ligistis adversus Henricum IV Galliæ Regem exercitus subsidiarii memoriam servat numus, in quo Pontifex vexillum militare nepoti solenniter committens, eumque cum benedictione dimittens repræsentatur, cum inscriptione: DEXTERA. DOMINI. FACIAT. VIRTUTEM. 1591. Cum pax A. 1598 inter Henricum IV Galliæ & Philippum III Hispaniæ Reges Vervini, conciliante nomine Pontificis Clementis VIII Alexandro Cardinale Medicæo coaluisset, cusum fuit numisma, quo duo Reges dexteras jungunt, ex quibus frumenti spica oritur, adscriptis verbis: PAX. REIPUBLICAE. CHRISTIANAE. Quemadmodum & A. 1601, cum inter Regem Galliæ & Sabaudiæ Ducem, interventu per nepotem Cardinalem Aldobrandinum Clementis VIII, de Marchionatu Saluciarum convenisset, numisma vulgatum est, figura Pacis crucem gestantis faceque scuta comburentis insignitum, addito lemmate: PAX. ET. SALUS. A. DOMINO. MDCI. Duo ex recentissimis addidisse numismata pro speciminis modulo suffecerit, Alexandri VIII alterum, alterum hodieq; regnantis Innocentii XII. Illud memoriæ cusum est novæ insignisque bibliothecæ Ottobonianæ, quæ in ædibus Eminentissimi Cardinalis Petri Ottoboni, sub præfectura Doctissimi Abbatis Blanchini custoditur, auspiciis Pontificis constitutæ, quo Bibliotheca exhibetur, inque ejus medio mundi globus, cui aquila biceps insistit, gentilitium insigne; cum lemmate ex Proverb. III, 19: SAPIENTIA. FUNDAVIT. STABILIVIT. PRUDENTIA. Hoc munificentia Pontificis erga egenos memoriæ posteritatis consecratur, quo expressum conspicitur Pontificium apud Basilicam Lateranen-

nensem Palatium, quod a Sixto V extructum, Innocentius XII pauperum invalidorum hospitium esse jussit, egenisque perpetuo addixit. Inscripta numismati leguntur verba ex Isa. LVIII, v. 7: EGENOS. VAGOSQUE. INDUC. IN. DOMUM. TUAM.

Cæterum servata in his Pontificum numis inter alia deprehenditur memoria eorum, qui in Sanctorum ordinem fuere relati seu canonizati, velut Nicolai Tolentinatis, ab Eugenio IV; Didaci Hispani, a Sixto V; Franciscæ nobilis matronæ Romanæ, & Caroli Borromei, a Paulo V; Ignatii Loyolæ, Francisci Xaverii, Philippi Nerii, Isidori & Theresiæ, a Gregorio XV; Andreæ e Corsinorum familia orti, & Elisabethæ Reginæ Lusitaniæ, ab Urbano VIII: ut recentiora exempla prætermittamus. Nec exiguus numorum se numerus offert, quibus Jubilæorum solennitas notatur. Circa quam advertit inter alia Auctor, ceremoniam qua Pontifex portam sanctam reserat & claudit, primum in Jubilæo ab Alexandro VI A. 1500 celebrato cœpisse; nec ullam ejus memoriam ante hoc tempus uspiam occurrere. Tametsi enim numus etiam extet Nicolao V adscriptus, in quo porta sancta expressa est, & inscripta verba leguntur: RESERAVIT. ET. CLAUSIT. ANNO. IOB. MCDL; hunc tamen monet proximis elapsis annis primo fabrefactum, & ad libitum efformatum, eoque spurium esse. Ast genuinus utiq; Alexandri numus est, qui tali effigie & inscriptione in memoriam Jubilæi A. 1500 cusus est. Quod attinet Jubilæum A. 1550 peractum, videas numisma plane idem quum a Paulo III, tum a Julio III vulgatum, frontem exhibens Basilicæ Vaticanæ, subscriptis verbis PETRO. APOST. PRINC. supra vero positis verbis AN. JOBILAEO. M. D. L. Nimirum Paulus III Jubilæi, quod instabat, celebrandi desiderio flagrans, cum quæ ad solennitatem illam requirebantur, appararet, jamque Jubilæum indixisset, numisma hoc in antecessum cudi jussit, duobus etiam aliis ad eundem finem, ad instantem nempe annum sanctum pie celebrandam, publicatis, quibus porta sancta insculpta erat, cum lemmate consueto: JUSTI. INTRABUNT. PER. EAM. Verum quominus destinata perficeret, mors intercessit. Nec enim, quem in priore exprimi curaverat, quinquagesimum annum attigit Pontifex, die 10 Nov. A. 1549 exstinctus. Itaque a successore ejus Julio III idem numisma repetitum fuit, cum solennia a Paulo III apparata exequeretur. Porro in numismatibus

Pontificum crebra deprehenduntur eorundem elogia, tum ob virtutes alias, tum ob studium exornandæ publicis operibus Urbi impensum. Ex quo factum, ut præter numismata ipsa huc spectantia, alia etiam quam plurima publicorum ædificiorum ichnographica ac scenographica monumenta æri eleganter incisa, & magnificentiā Summorum Pontificum testantia, Operi huic inserenda curiosus Auctor censuerit.

Unum superest, de quo Lector Benevolus admonendus est, in præsenti opere istos quidem numos, qui speciatim ad fabricam Templi Vaticani pertinent, & peculiari justoque commentario, velut Prodromo, a nobis jam mense Aprili A. 1698 pag. 204 - 212 prolixe satis recensito, pridem ab Auctore nostro fuerunt illustrati, iterum exhiberi, addita etiam brevi explicatione; ast vero, quæ de ipsa fabrica dicta ibidem uberius fuerant, hic omitti. Ut adeo Prodromus etiam iste comparandus illi sit, qui opus integrum possidere desiderat.

## L' ISTORIA DELLA VOLGAR POESIA &c.

i. e.

## *HISTORIA POESEOS HETRUSCIS VERNACULÆ, SCRIPTA a JOANNE MARIO CRESCIMBENO, in Academia Arcadum Alphesibeo Cario dicto, Custode Arcadiæ.*

Romæ, apud Chracas, 1698. 4. Alph. 2. plag. 5.

ERuditissimum laborem in libros plures dispertitus est Clarissimus Auctor, in quorum primo originem & statum Poeseos Hetruscæ, in secundo brevia Poetarum elogia & judicia de iis repræsentat; tertio specimen Poetarum lib. II recensitorum exhibet; in quarto serie alphabeti Poetas vita functos & præ cæteris memoria dignos sistit; quinto commemorantur commentationes variæ vel ipsorum auctorum, vel aliorum in poemata Hetrusca; sexto demum ac ultimo exequitur scriptores Artis Poeticæ, quique de variis carminum Hetruscorum generibus egerunt. Esse vero Nostrum Societatis Arcadum membrum, vel ex titulo libri & additis in frontispicio ejus Societatis insignibus discas, cujus leges in elegantissimis Jani Vincentii Gravinæ opusculis (vid. Acta A. 1697, p. 74 seqq.) pag. 191. reperimus. In præfatione ad Lectorem sub nomine Typographi ipse doctissimus Auctor tria de Poetis Hetruscis volumina se possidere testatur. Lib. I. p. 2 - 7. disputat contra Allatium, qui primum Poeseos vernaculæ auctorem facit

facit Ciullum: ipſe in ea verſatus ſententia, non poſſe certum auctorem deſignari, niſi forte ex *Provincia* natales ejus arceſſendi, quippe ubi jam A. 1100 ſub Guilielmo VIII Aquitaniæ Duce floruerit. P. 13. verſus *Leoninos* circa A. 1032 cœpiſſe tradit, & his quidem Noſter originem Rythmorum Italicorum adſcribit. P. 17, 18 varia carminum genera leguntur, ubi imprimis pag. 19, 20 multa de *Sonulis* ſeu Sonettis annotat. P. 58 memoratur *Bernardinus Rota*, Poeta ſuperiori ſæculo clarus, auctor Eclogarum Piſcatoriarum. P. 76 diſcimus, Poeſeos Italicæ ad pedes Latinos exactæ auctorem ſæculo ſuperiori fuiſſe *Claudium Ptolemæum*, qui circa A. 1539 floruerit. Lib. II, p. 84 elogium invenies *Guidonis Aretini*, auctoris poeſeos nitidioris, qui vixit circa A. 1250; pag. 86 illuſtratur vita *Dantis*, pag. 81 *Petrarchæ*, pag. 93 *Bojardi*, pag. 95 *Joannis Pici Mirandulani*, pag. 96 *Sannazarii* A. 1458, d 28. Jul. nati, cujus natalem *Academia Arcadum*, quæ ex ipſius *Arcadia* ſurrexit, celebrat. Recenſentur porro pag. 97 *Petrus Bembus*, pag. 98 *Ludovicus Arioſtus*, pag. 99 *Balthaſar Caſtilioneus*, p. 100 *Hieronymus Fracaſtorius*, de quo, quod ore caruerit, cum naſceretur, leges apud Ægidium Menagium in Anti-Baill. T. I. p. 372; p. 101. ſqq. *Victoria Columna*, Ferdinandi Avali Piſcariæ Marchionis, clariſſimi ſæculo ſuperiore ducis, uxor, p. 103 *Veronica Gambara*, p. 106 *Franc. Marius Molza*, p. 107 *Claudius Ptolemæus*, p. 108 *Benedictus Varchius*, pag. 110 *Bernardus Taſſus*, p. 117 *Speronius*, pag. 126 *Nicolaus Francus*, p. 127 *Jo. Hieronymus Aquaviva* Dux Atri, cujus operum editionem promittit Noſter, p. 134 *Michael Angelus Buonarota*, cujus opera inedita pariter ſe publicaturum Auctor pollicetur, p. 136 *Annibal Carus*, p. 139 *Ludovicus Tanſillus*, Poeta miles, p. 144 *Torquatus Taſſus*, cum quo *Poeſis Hetruſca* cecidit, & cujus primus Amyntæ chorus inter vernacula Italorum poemata primas fert, pag. 144 ſeqq. *Antonius Ongarus*, qui a via regia deflexit, quod vulgi magis plauſum ſpectaret, quam nominis immortalitatem, pag. 148 ſeqq. *Jo. Baptiſta Marinus*, corruptor eloquentiæ ligatæ, p. 149 *Octavius Rinuccinus*. pag. 150 *Baptiſta Guarinus* nimis floridus, cum quo extinctum, quicquid ex aureo Poeſeos ſæculo ſupererat, p. 151 *Gabriel Chiabrera*, in *dithyrambicis* inimitabilis, infelix in reliquis, *Sonulis* præſertim, p. 152 *Maphæus Barberinus* maſculam ſectatus poeſin, p. 154 *Hieronymus Preti*, p. 155 *Fabius Chigius*, p. 157 *Antonius Brunus*, p. 159 *Fulvius Teſti*, non

non usque adeo puritatis studiosus, ibid. *Claudius Achillinus*, turgidus, p. 160 *Julius Rospigliosus*, p. 165 *Pyrrhus Schettinus* Canonicus Consentinus, inter restauratores Poeseos primo loco nominandus, denique p. 168 *Franc. Redi* centenarium Poetarum numerum explet. L. IV. p. 290 Thomas Cambiator Regiensis primus Traductionum Hetruscarum auctor, Æneidem Virgilii transtulisse narratur. Lib. V. p. 297 - 305 Auctor nullum, excepto *Petrarcha*, prolixius recenset, quam *Dantem*, ejusque Commentatores, Censores & Hyperaspistas addit. p. 307 - 316 Petrarchæ, & pag. 322 - 327 Ariosti Commentatores enarrat. p. 333 Tractatum de venustate Poeseos vernaculæ promittit. p. 337 persequitur lites Annibalis Cari & Ludovici Castelvetri. p. 341 - 352 Tassi Commentatores, p. 354 - 359 Marini Censores & defensores, p. 359 - 361 Guarini Interpretes, Aristarchos, Apologistas recenset. p. 368 Garopolum Poema suum de Carolo Magno ipsum sub censuram vocasse, ut tanto majori fama gauderet, tradit. In Appendice Lib. VI Noster de laudibus agit olim frequentatis, de quibus adisis *Jo. Lucium de Regno Dalmat.* Lib. II. c. 7. p. 73 - 75, ubi observat *Tragurii, Spalati, Justinopoli* adhuc hodie cani. *Fresn. Gloss. Latin. Tom. II. 231. seqq.* De cætero doctissimo Auctori partam hoc ipso erudito labore laudem gratulamur; vitamque ac vires ad majus, quod promittit, opus, cui hoc veluti specimine prolusisse videtur, apprecamur, ut vel ejus etiam laudatissimo exemplo, nationes aliæ ad vernaculam unicuique Poesin diligentius excolendam, ejusque originem & progressum enarrandum incitentur.

## LIBRI NOVI.

*Mischna, sive Totius Hebræorum Juris, Rituum, Antiquitatum & Legum Oralium Systema, cum Maimonidis & Bartenoræ Commentariis integris & variorum Notis. Latinitate donavit ac Notis illustravit Guilielmus Surenhusius, Pars. I. Amstelædami apud G. & J. Borstium, 1698. fol. Pars II. ibidem apud eosdem, 1699. fol.*

*Mélanges d' Histoire & de Litterature, recueillis par M. De Vigneul-Marville. A Paris, chez Augustin Besoigne, 1699. 12.*

*Les Oeuvres de Platon traduites en François avec des Remarques. Et la Vie de ce Philosophe, avec l' exposition de sa Philosophie. A Paris chez Jean Anisson, 1699. 12.*

* * * * * * * * *

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipsiæ*
*Calendis Decembris*, *Anno* *M DC XCIX.*

## *S. EUSEBII HIERONYMI, STRIDONENSIS PRESBYTERI, Operum Tomus secundus. Studio JOANNIS MARTIANAY, Presbyteri Congregationis S. Mauri.*

Parisiis, apud Jo. de Nully, 1699. fol. Alphab. 9.

Qui primum tomum Operum Hieronymi, Bibliothecæ Divinæ titulo insignitum, & a nobis in Actis hisce A. 1695 p. 98 seqq. late recensitum, evulgavit Doctissimus Martianæus, acrem nuper nactus fuit adversarium in quodam Richardi Simonii nepote, qui in libello aut epistola potius e Simonii Commentariis excerpta, & Coloniæ sub hac inscriptione, *Critique du Livre publié par les Moines Benedictins de la Congregation de S. Maur sous le titre de BIBLIOTHEQUE DIVINE DE S. JEROME*, hoc ipso anno impressa, modis omnibus ostendere annititur, frustra Hieronymo attribui, quæcunque in isto tomo contineantur. Quod quidem quomodo laturus sit celeberrimus Editor, imposterum fortean dilucidius constabit. Nobis in delineando tomo Hieronymianorum Operum secundo, qui lucem nunc aspexit, occupatis esse impræsentiarum licet, cujus faciem nosse, non injucundum Lectoribus nostris, uti opinamur, futurum est.

Edito nimirum jam utriusque Testamenti sacro contextui libros Commentariorum in Legem & Prophetas subnectendos, & hos, quicquid secus visum fuerit aliis, epistolis beati Patris moralibus præponendos esse existimavit. Sed cum ejusdem liber unus de nominibus Hebraicis, alterque de situ & nominibus locorum Hebraicorum, generales velut Commentarii in omnem Scripturam sacram nuncupari

ri mereantur, Etymologicus quidem alter, & alter Geographicus, hinc eos primo ſtatim loco collocat. Mox tamen duo hæc opuſcula excipiunt Quæſtiones Hebraicæ in Geneſin, quas ſolas reperire ſe potuiſſe teſtatur, quamvis aliarum in cæteros libros ſacros Hieronymus ipſe ſæpius meminerit. Deinceps, cum partes modo nonnullas plurimorum divinorum voluminum ab eodem expoſitas teneamus, Epiſtolas omnes Criticas a Geneſi usque ad librum Eccleſiaſtæ in unum collectas, & juxta ordinem librorum diſpoſitas ſiſtit, ut adeo, quantum fieri potuit, integram commentariorum Hieronymi ſeriem in hac editione invenire poſſimus. Singula vero opuſcula ex fide plurimorum codicum vetuſtiſſimorum ſe emendaſſe, tantamque ſe in hoc negotio diligentiam adhibuiſſe ſcribit, ut dicere haud vereatur, Hieronymum ipſum propria quaſi manu correxiſſe & reſtituiſſe in hac editione, quodcunque in veteribus libris antea deſcriptis corruptum fuerat. Nullam quippe tutiorem eſſe poſſe & magis Hieronymianam reſtitutionis librorum viam atque methodum, quam Autorem ex Autore caſtigare, eumque mutua exemplarium veterum ac novorum contentione facta, ad primigeniam integritatem revocare. Cui induſtriæ cum & altera acceſſerit, collatio ſcilicet quamplurium Hieronymi locorum ſimilium, quibus invicem illuſtrentur ſæpius ſententiæ, ac variantes codicum lectiones in unam genuinam concilientur, nihil deſiderari poſſe, quod ad perfectam textus cujusque emendationem & reſtitutionem neceſſarium arbitreris. Multas quoque ad res perutilem, imo & perneceſſariam eſſe notitiam chronologiæ operum Hieronymi deprehendens, quandoquidem vir ſanctiſſimus diverſa vel contraria diverſo tempore ſcripſerit, ætateque major plurima, quæ juvenis ediderat, mutarit, idcirco in eam indagandam haud mediocrem operam impendit. Libros videlicet Hebraicorum nominum & locorum, ac quæſtionum Hebraicarum in Geneſin, conditos eodem tempore fuiſſe exiſtimat, iiſque annum 388 aut circiter aſſignat. Epiſtolam, quæ ſequitur, ad Damaſum Papam A. 384, ad Evangelum 398, primam ad Fabiolam A. 396, vel 397, alteramque vix ante A. 400, ad Dardanum 414, & Vitalem Presbyterum 395, ad Sunniam & Fretelam 405, cunctas ad Marcellam & Paulam Romanam 384, ad Principiam 398, ad Cyprianum poſt A. 389, Commentarios ad Eccleſiaſten A. 388 vel 389, Translationem Homiliarum Origenis in Canticum Canticorum

rum A. 383 vel circiter, epiſtolam denique ad Rufinum Romanum poſt A. 398. conceptam demonſtrat. Atque hæc ſingula, quæ breviter hactenus indicavimus, prolixiori ſtylo proſequitur Martianæus in præfixis tomo huic prolegomenis; ubi & iſtud agit, ut eruditionem Hieronymi evehat, eamque contra Criticorum quorundam, & Simonii imprimis, objectiones vindicet.

More autem ſuo ſingulis propemodum paginis notas aliquas ſubjecit Editor, inque iis jam varias diverſorum textuum lectiones, jam hujus illiuſve dicti interpretationes, jam alia paſſim notavit & recenſuit. Aſt ſpatium multo amplius occupant Præfationes ſive Commentationes, quas tractatibus his addidit, & e quibus ſumma quædam capita huc transferre operæ pretium exiſtimamus. Quemadmodum nempe libri de nominibus Hebraicis tres ſimul Scriptores fuiſſe innuit, Philonem Judæum, qui nomina Hebraica Veteris Teſtamenti Græce fuerit interpretatus; Origenem, qui omiſſa a Philone, utpote Judæo, ſuppleverit, nominaque Hebraica Novi Teſtamenti addiderit; tandemque Hieronymum, qui plurima emendarit ad fidem Hebræorum fontium, quæ in Philonis aut Origenis exemplaribus Græcis depravata jacuerint: ita, quod alias non facile dictu apparuit, quænam ſint Philonis, quæ Origenis, quæ Hieronymi in iſto libro, diſtinctius oſtendit, & poſt allata quædam MSta antiquiora, in quibus Lexica Græca nominum Hebraicorum reperit, eruditionem Hieronymi in rebus Hebraicis laudat, librumque iſtum nominum ab utilitate ſua pluribus commendat. Circa librum de ſitu & nominibus locorum Hebraicorum, Bonfreriana ſubinde diligentia gratum ſe uti voluiſſe innuit, cumque iſtum librum ex Græco Euſebii textu ſic tranſtulerit in idioma Latinum Hieronymus, ut literarum alphabeti ordinem in nominibus Hebraicis rite collocandis ſermoni Latino accommodarit, utut ab Euſebio Græcus uſurpatus fuerit, ideo nec ipſe Euſebio Hieronymum, ſed huic potius iſtum accommodare, Græcarumque literarum ordinem ad Latinum revocare voluit. Inſuper Græce neſcientibus indicaturus, quænam ab Hieronymo addita ſint ad Euſebium Græcum additamenta, illa in Latino contextu uncinis incluſit, notas tamen iſtas omiſit, ubi ea ex abſentia Græci contextus in altera pagina clare ſatis a quolibet internoſci poſſunt. Plura etiam, quæ in Bonfreriana editione typographorum imperitia corruperat, notavit, reſtituit & ſupplevit. Libro iſti ſubjunxit Geographicam tabulam ex

operibus Hieronymi concinnatam, e qua facili negotio internoſcatur illa terra ſancta, quæ tempore Euſebii & Hieronymi viculis, caſtellis urbiumque nominibus recentioribus, haud parum diſcrepavit in ſuperficie ab ea, quam Joſua victori populo diſtribuit. Libro Quæſtionum Hebraicarum in Geneſin notas prolixiores ſubjecit, inque iſtis ea loca examinat, in quibus vitium admiſiſſe, aut imperitiam ſuam prodidiſſe Hieronymum, ſtatuant recentiores Critici. Sigillatim vero, quid circa translata ab eo verba Gen. I. 2. II. 8. III. 6. 17. VI. 14. XIII. 14. monitum a nonnullis deprehenderit, allegat, & Hieronymum, quantum poteſt, tuetur. Quod Epiſtolas Criticas ſpectat, ſive eas, quæ ad explanationem Veteris Teſtamenti pertinent, monendum hoc in loco ducimus, quod eandem illam ad Sunniam & Fretelam, quam in prodromo Divi Hieronymi jam A. 1690 edidit, hic repetere haud fuerit dedignatus. Ad commentarium in Eccleſiaſten eandem attulit diligentiam, quam ad ſuperiorem Quæſtionum Hebraicarum librum. Iſtum etenim non minus, atque hunc, Richardum maxime Simonium obſervationibus ſuis criticis impugnaſſe queritur, quas tamen inertes ex ſe & male ſanas ac Hieronymo iniquiſſimas appellat, eaque de cauſa ad eas ſtrictim refellendas teneri ſeſe opinatur. Duas Origenis homilias in Canticum Canticorum ab Hieronymo latinitate donatas poſteaquam exhibuit, Origenis Hexaplorum partem non minimam ſubjungit. Nam cum eorum hodie nec volumina, nec partes, nec ſaltem laciniæ aliquæ ſuperſtites inveniantur in manuſcriptis aut editis libris, magnum iſtud damnum reſarcire toto cogitare cœpit animo, cum occurrentes haberet in ſuſcepta operum Hieronymianorum editione & Hebraici contextus, & Græcarum verſionum, e quibus Hexapla conſtabant, recitationes frequentiſſimas. Sane quicquid nunc reſtitui poteſt Hexaplorum, totum illud ab Hieronymo mutuandum venire cenſet, quippe qui non ſolum propriam nobis ediderit ſacrorum Bibliorum translationem, ſed veterum quoque Græcorum Interpretum ſæpiſſime recordatus, ingentem verborum ac verſuum Scripturæ copiam ſuo ordine in Hexaplis poſitam & deſcriptam ſubminiſtraverit. Quamobrem cum multa huc pertinentia excerpſiſſet ex Hebraicis Quæſtionibus in librum Geneſeos, plurima quoque ex epiſtolis criticis & ex commentario in Eccleſiaſten, integrum tandem volumen Hebraicorum locorum denuo revolvit, & ex eodem

Syl-

Sylvam nominum propriorum, quæ tanquam appellativa Aquila, Symmachus & Theodotion interpretantur, in Hexaplorum excerpta suo ordine digessit. Græcas interim voces nonnullas Græce reposuit, ut ut Latine tantum apud Hieronymum legantur. Ubi vero omnes interpretationes Græcas diversas recitatas invenit, excepta illa, quæ est Theodotionis, persuasum sibi habuit, in ipsis sententiis Theodotionem non discessisse a LXX Interpretibus, e quorum proin columna defectum illum supplevit, sed ea tamen supplendi licentia & in Theodotione & maxime in Aquila & Symmacho rarissime abusum se fuisse profitetur, ne pro Græcis interpretationibus conjecturas suas subdole venditaret.

Atque hactenus memoratum a nobis est, quid circa ea opera clarissimus Martianæus in hoc tomo præstiterit, quibus nomen Operum Hieronymi genuinorum deberi statuit. Jam igitur & eorum mentio injicienda, quæ suppositis accenset. Hæc in peculiarem constipavit appendicem, sed eam iterum nonnisi expositiones aliquot librorum sacrorum comprehendentem. Harum vero sex sunt, utpote epistola de decem tentationibus populi Israel in deserto; in Canticum Deboræ commentarius; in libros Regum, itidemque in Paralipomenon libros quæstiones Hebraicæ; in librum Jobi interlinearis Philippi expositio; tandemque in Psalmos Davidis prologus, commentarius & epistolæ. Opuscula duo priora, quorũ alterum jam olim editum, alterum hucusque ineditum dicit, pro genuinis agnoscit fœtibus antiquissimi illius Scriptoris Hebræi, de quo plura dixerit in prolegomenis ad Bibliothecam Divinam, ( Conf. Acta nostra cit. loc. p. 109. ) & cui quæstiones quoque Hebraicas in libros Regum & Paralipomenon, Hieronymo vulgo, sed male, tribui solitas adscribit. Interlinearem in librum Jobi expositionem Philippo Presbytero tribuit, discipulo Hieronymi insignique ejus auditori & amico, eidem illi, cui debeatur commentarius in Jobum, a Jo. Sichardo Basileæ A. 1527 editus, & e quo commentaria etiam in Jobum, quæ nomine Hieronymi circumferantur, tota fere, paucis detractis & additis, confecta sint. Præsentem vero expositionem interlinearem hactenus ineditam pronunciat, & eam breviorem esse dicit in multis, quam sint commentaria modo nominata, in paucis autem aliquando prolixiorem, maxime ad finem operis, ubi quædam addita legantur, quæ in editis non repe-

rire liceat. Producit vero illam e codice manuſcripto, contextum ſacrum libri Jobi literis majuſculis ſive uncialibus, expoſitionem vero interlinearem minutis literis Longobardicis ſcriptam ſiſtente, unde illum codicem nongentos ante annos exaratum fuiſſe, ſibi penitus perſuadet. Hieronymum commentarios in univerſum Pſalterium confeciſſe unquam negat, quippe cum diſertis ipſe verbis inficietur, in Pſalmum 8 & 83 ſe ſcripſiſſe, quorum tamen uterq; in Breviario, quod nunc ſubjungit, illuſtretur cum cæteris & eodem modo explicetur. Quid? quod ſtylus & character dictionis falſum ubique Hieronymum coarguat, hominemque referat haud indoctum quidem, ſed qui ſtamina atque ſubtegmina & licia præparata apud Origenem, Hilarium, Anonymum, Hieronymum & Eucherium in ſuos uſus converterit, pulchramque veſtem confecerit, qua in Republica Chriſtiana inſtar Hieronymi ſplendeſceret. Imo ne unum quidem autorem ipſius Breviarii agnoſcit, ſed & alterum priori aſſociat, quem pro concionatore habet, qui in Eccleſia & congregatione Monachorum, diebus præcipue Dominicis, prælectos Pſalmos ſtylo homiletico breviter expoſuerit. Nec alium ab hoc dicendum eſſe arbitratur illum, qui in Pſalmos tantum aliquot expoſitionem ſtruxit, quam hactenus ἀνέκδοτον dicit, & priori illi commentario integro ſubnectit. Quod vero ad Præfationem in libros Pſalmorum attinet, in tribus manuſcriptis exemplaribus Canonis Hebraicæ veritatis, tomo primo hujus novæ operum Hieronymi editionis nuper inſerti, translationem ejus Hieronymo conſtanter monet tribui. Ludovicum contra Ferrandum, qui eandem in fine voluminis Paraphraſeos ſuæ in Pſalterium Davidis ediderit, acceptam eam ferre ait falſo illi Hieronymo, conſarcinatori commentariorum in Pſalmos. Verum neutri horum eam deberi, Cotelerio adſtipulatus, contendit. Cujus porro fuerit, non omnino quidem conſtare ſibi fatetur, vix tamen dubitat, quin Euſebio Cæſarienſi ſit adſcribenda, cum hypotheſes ejus huc derivatæ nobis id indicare videantur. Iſtum vero, qui Latinitate eam donarit, vix primis imbutum literis pronunciat.

## LES ANECDOTES DE POLOGNE &c.

i. e.

*ANEC-*

## *ANECDOTA POLONIÆ, SEU COMMENTARII ARCANI de Regno JOANNIS III. SOBIESKI.*

Parisiis apud P. Auboüyn & Ch. Clouzier, 1699. 8. Alph. 2. pl. 6.

HIs Autor commentariis, quos inscribere illi visum est *Anecdota Poloniæ*, ea maxime persequitur, quæ regnante in Polonia Johanne III, ab anno 1683, quo soluta est Viennæ obsidio, ad finem anni 1688, adversus Turcas a Polonis inprimis eorumque sociis sunt gesta: quibus passim admiscet, quæ ad rerum, personarum, locorumque, de quibus agitur, aut quorum incidit mentio, pleniorem notitiam faciunt, neque sua ipsius fata & itinera a se hoc temporis spatio suscepta dissimulare voluit. Orditur a describenda militia Polonica, cujus genera, ordines, arma, numerum, disciplinam & virtutem sic nobis depingit, ut artis militaris scientiam non admodum in ea extollat. Laudat tamen e Proceribus Poloniæ nonnullos, non minus rei bellicæ usu quam virtute præstantes, & in his nominatim Jablonofskium Palatinum Russiæ & supremum exercitus Polonici Ducem, Konskium Palatinum Kioviæ reique tormentariæ Præfectum summum, Lubomirskium Principem & Equitem tum Cæsari militantem. His, quæ sequentibus lucem accenderent, præmissis, accedit ad bellum Turcicum anno 1683 magna vi Cæsari illatum, in cujus apparatu Turcas septem vel octo annos consumsisse refert, cum magnus Visirius Cara Mustapha, insistens vestigiis antecessoris Cuproli, vasta consilia foveret animo, & per expugnationem Viennæ aditum sibi ad Italiam aut Rhenum aperire niteretur. Eum ergo, relictis aliis omnibus, ad Viennam oppugnandam accessisse, peditatu Cæsareani exercitus a Lotharingo opportune firmatam. Cujus obsidionis successum & eventa Michaelem Abaffi, Transsylvaniæ Principem, qui in castris Turcarum versabatur, literis Latinis, iisq; elegantissimis nec ævo Augusteo indignis, ad Regem Poloniæ perscripsisse, quas quo minus Autor hic publicaret, Regem ipsum obstitisse ait. Tökelius quoque occulte ad Regem respexisse, & in eo sibi præsidium adversus fortunæ vices quæsivisse dicitur. Cæterum nec obsessos in urbe propugnanda, nec obsessores in ea oppugnanda, summam vim vel artem adhibuisse putat; hos vero de industria obsidionem protraxisse, ne, si assultu urbs caperetur,

retur, ingentes thesauri in ea relicti militi prædæ cederent. Hinc factum, ut Rex Poloniæ, cum Electoribus Principibusque Imperii ad liberandam Viennam advolantibus, tempestive copias Turcarum castris admovere, urbemque in faucibus hostis prope hærentem magna felicitate & gloria liberare potuerit. Quod divinum magis quam humanum fuisse opus, & a Visirio, si mens illi non læva, nec fastuosa securitate occœcata fuisset, claustris montium viarumque insessis & præclusis, facile prohiberi potuisse Autor monet, qui & ominibus ac prodigiis, ut & Patris Marci Aviani ore, victoriam prædictam & significatam fuisse testatur. Errare vero tam illos, qui obsidionem sine prælio solutam, quam qui ingentem utrinque stragem editam fuisse scribant, autor αὐτόπτης affirmat. Quod vero idem narrat, Imperatorem cum Rege Poloniæ in campis congressum, nullum fecisse verbum, nec humanitati Regis respondisse, imo ne filium Regis salutatione fuisse dignatum: id in narratione Viennæ obsessæ & liberatæ, quæ in recenti re gesta prodiit, & Isthuanfii historiæ subjecta hodie legitur, longe aliter proditum est, atque Imperatorem & priorem Regi egisse gratias, & per quadrantem horæ cum eo collocutum, & Regis filium ad manus osculum admisisse, relatum legimus. Polonum vero ab hoc cum Cæsare congressu statim movisse castra, & successu lætum ad persequendum hostem in Hungariam perrexisse: cum vero insciis Germanis, quos noluerit habere victoriæ & gloriæ socios, ad intercipiendum Barcanum esset progressus, nec opinantem a firma Turcarum manu fuisse circumventum, & cum suis in fugam actum vitæ discrimen adiisse; sed postridie, cum totus exercitus Christianus in aciem prodiisset, ignominiam acceptam parta insigni de Turcis victoria fuisse deletam: cujus fructus Strigonium fuit, post brevem oppugnationem deditum & in fidem acceptum. Inter hæc Autor, quem *Daleracium* Nobilem Gallum & Reginæ Poloniæ familiarem, ex hoc negotio epistolisque operi subjunctis cognoscimus, a Rege Poloniæ ad Reginam cum literis missus, a Turcis capitur, & Neuheuselium abducitur: ubi Turcis nimis grande lytrum pro eo exigentibus, per tredecim menses in captivitate hæsit, donec permutatione cum Turcis captivis facta libertatem recuperavit. Quo tempore mores, ritus & instituta Turcarum perspexit, quæ sic recenset, ut non dubitet inter optime moratas gentes referre Turcas, si sordida avaritia & fœdum pæderastias

vitium

vitium abesset. Præterea reditum exercitus Polonici per Hungariam superiorem in patriam exponit, & nisi Tökelius Regis captans gratiam ab hostili insectatione sibi temperasset, vix incolumem exercitum in Poloniam redire potuisse judicat. Quod ipsum a Turcis animadversum in causa fuit, cur sequenti anno Tökelium in vincula conjicerent: quamquam cum & copiæ Tökelii & urbes Hungariæ, quæ in fide illius fuerant, ad Cæsareanos deficerent, errore deprehenso eum mox libertati reddiderint. In expeditione anni 1684, Budam a Cæsareanis irrito conatu oppugnatam, a Rege vero Polonico castella quædam circa Caminecium, & inprimis Jaslovicum captum refert; Tartaros vero in insidias protractos quo minus Rex invaderet, invidiam Ducum in Regem obstitisse Autor putat. Regem ergo nulla memorabili re gesta ab exercitu recessisse, in cujus Aulam illo ipso tempore Autor ex captivitate redierit, ibiq; Viros quosdam insignes offenderit vel publice missos, vel privato nomine illic hærentes; in quibus a summis ingenii dotibus laudatur e Societate Jesuitica P. Vota, gente Sabaudus. Marchionem vero Bethunii, qui sub idem tempus ex Gallia redierat, nullo altiore consilio, quod Germani suspicabantur, sed ob privatam cum Regia domo necessitudinem eo venisse affirmat. Ad expeditionem anni 1685 priusquam pergat, quæ comitiis Polonicis Warsaviam indictis acta sint, exponit; quibus se cum aliis nonnullis civitate seu indigenatu, quem vocant, regni donatum esse memorat; quamquam sacramento fidem suam Regi regnoque obligare noluerit, indignum se ratus, cum natus esset Gallus, in alterius Principis quam Regis sui jurare verba. SCto post comitia habito, multum annitente Bethunio, decretum esse, ut Magnus Regni Cancellarius in Galliam iret Legatus, honesto quidem obtentu, ut auxilia in Turcas rogaret, revera, ut de injuria Vitrio Legato Gallico in Polonia illata Regi Galliæ satisfaceret. Ad res gestas illius anni quod attinet, paucis attingit Autor & Venetorum in Peloponneso, & Cæsareanorum in Hungaria progressus, a quibus Turcas ad Strigonium fusos, & Neuheuselium expugnatum meminimus. Regem vero Poloniæ noluisse expeditionem obire, non quod a Gallica factione fuerit revocatus, sed quod apparatus bellicus tarde tenuiterq; expeditus, nullam rei bene gerendæ facultatem polliceretur; idque eventu fuisse comprobatum, cum Duces exercituum transmisso Borysthene in Bucovinas progressi & a Tar-

taris circumfusi ægre se ex illis angustiis expedirent, parumque abesset, quin eandem sortem atque Romani olim in saltu Caudino subirent. Inter hæc Autor in Galliam missus, ut Reginæ Poloniæ afferret aquas Burbonenses, itineris, quod per Germaniam eundo redeundoque tenuit, singulas stationes locorumque distantias accurate signat, & si quid memoratu dignum observavit, annotat. Pari diligentia describit iter Italicum, quod sequenti anno 1686 confecit Papæ nuncium perferens fœderis cum Mosco in Turcas icti. Quin multo est prolixior in memorabilibus Italiæ consignandis, quam in Germanicis fuerat. Speciatim de hortis procerum in agro Romano & Tiburtino sic judicat, eos amœnitate, quæ naturæ debetur, esse admirandos; quæ vero ab arte & industria proficiscuntur opera, habere quidem delectationis aliquid, nihil autem ejus magnificentiæ, qua in Gallia horti non modo Regis sed & privatorum sint conspiciendi. Ad Papam Innocentium XI admissus, ejus & corporis & animi imaginem nobis sistit, multasque in eo virtutes agnoscit, licet in eo ferre non possit animum a Gallicis partibus alienum. Donatus ab eo discessit indulgentiis in centum annos in articulo mortis, quibus & ipse & cognati ejus in gradum decimum, & decem, quos vellet, amici fruerentur. Redit hinc ad expeditionem anni 1686, qua dum Cæsareani Budam iterum aggrediuntur & expugnant, Regem quoque tradit a Papa & Fœderatis sollicitatum, stimulisque gloriæ excitatum, ut deleret adversam de se opinionem ex prioris anni otio natam, serio se accinxisse ad bellum justa vi persequendum, & ornatiore, quam ad Viennam duxerat, exercitu in Walachiam progressum, spe certa fore, ut Regulus illius terræ copiis secum junctis in fidem ipsius se dederet. Quo nusquam apparente, Regem occupata Walachiæ metropoli Jassio, ad fines Tartariæ accessisse: in quos ab ipsis longe lateque exustos cum penetrare non posset, eum trajecto rursus Prutho flumine, viam sibi ad Danubium aperire voluisse, sed progressum ad Mohilium, h. e. tumulum sepulchralem prope Falxinum, cum regionem ulteriorem exercitui minime perviam cognosceret, exercitum, quem Tartari in ejus vestigiis hærentes assidue carpebant, ægre in regnum reduxisse, tantæque expeditionis nullum nec fructum nec gratiam retulisse, cum & Papa in creandis Cardinalibus nullam haberet rationem commendationis regiæ, & Episcopum Bellovacensem, (qui postea Cardinalis Furbinus est dictus) candidatum

Re-

Regis præteriret: quanquam ut offensam molliret, Radzieuskium Regis cognatum Episcopum Warmiensem, & Abbatem Denhofium Regis in Aula Romana Legatum purpura donarit. Hic vero Autor in regionum situ notando, quod & alibi facit, est diligens, & Tartariæ minoris Walachiæque Geographicam descriptionem affert, qua errores in recentissimis mappis obvios emendat; sicuti in historia Autorem *Mahometi exauctorati* sæpe corrigit. Sub finem expeditionis narrat, Regem cum Jacobo filio ad latus (quod nunquam nec antea nec postea factum observatur) in throno sedentem excepisse legationem Moscoviticam, & cum ea fœdus conclusisse, quo provinciæ Czernichoviensis, Severiensis & Smolenscensis, a Moscis per inducias possessæ, illis in perpetuum fuere cessæ. Sequenti anno 1687, cum Autor iterum in Galliam esset missus ad petendas aquas Burbonenses, Regina his non expectatis, ad thermas Hirsbergenses in Silesiam se contulit, cui nomine Cæsaris a Barone Jorouskio obsequia fuere præstita. Sed cum Rex absentiam conjugis non ferens, ad illam scribi curasset, se minus recte valere, illa thermarum usu abrupto, ad Regem festinatis itineribus properavit. Res vero bellicæ illius anni, quæ, quantum ad Cæsareanos & Venetos, fuere clarissimæ, ac Turcico Imperio pene fatales, in Polonia rediere ad Caminecium, ductu regii Principis Jacobi, per paucos dies ignibus injectis infestatum. Unde Autor hic operam consumit in describendis locis & regionibus, per quas Aula vel exercitus Polonicus transiit: ex quibus cognoscuntur opes & possessiones multorum nobilium familiarum, & in his Regis ipsius, quas a matre relictas in Russia tenebat amplissimas, nonnihil tamen imminutas, cum mater, filio natu majore Marco a Cosaccis capto & cæso, in minorem, postea Regem, minus prona, opulentum Dominicanis monasterium fundasset. Urbis parum munitæ *Podabitz*, quam Rex, cum adhuc esset Dux exercitus, adversus ingentem Cosaccorum vim conservarat, Autor mentionem faciens, simul indicat, Regem plurima confecisse pecunia, quæ fama ejus virtuti adscripserit. Expeditione hujus anni peracta, Aulam in Russiam redeuntem pari modo Autor per singula loca prosequitur, & in his natalem Regis locum castrum *Olesko* describit. Deprehendit quoque passim in arcibus prædiisque Nobilium priscæ magnificentiæ vestigia, & splendorem Polonicæ nobilitatis Romanæ magnitudini fuisse æmulum observat. Johannem Zamoiskium,

magnum illum regni & Cancellarium & Ducem, cum immensos sumtus fastigio suo pares faceret, annua centena aureorum millia in thesauris reposuisse: ejus vero filio duodecies centena librarum millia, quos annuos percipiebat reditus, vix in sumtus dimidii anni suffecisse. In conviviis Procerum inter cætera fercula sæpe illatam fuisse secundis mensis patinam aureis nummis & inter convivas distribuendis refertam, sed ab obitu Uladislai IV, regno bellis Cosaccicis, Moscicis, Suecicis lacerato & exhausto, valde attritam Nobilitatem fuisse. Hinc progressus Autor ad res anni 1683, primum attingit comitia Grodni in Lithuania sub anni illius principium indicta, & inter multas contentiones & in Regem ipsum criminationes (quibus is graviter responderit) inveliciter tandem abrupta. Multa hic affert Autor de rebus Lithuanicis, terræ situ & dotibus, populi moribus, forma Reip. Procerum studiis & factionibus, in quibus olim eminuisse ait gentem Paziorum Regi adversam, contra quam Rex excitaverit domum Sapieham eo potentiæ evectam, ut plus in Lithuania quam Rex ipse posset, ejusque gentis caput Dux exercitus jam tum spem regni conceperit. Neque tamen Regem illa domo uti æquiore quam olim Pazia, & de frangenda ejus potentia inivisse consilia. Inter hæc cum magnus regni Cancellarius Wielopolskius fato fuisset functus, Autor & pompam funebrem Polonorum illustrium describit, & elogium defuncti reddit; qui cum esset consiliis cum Cardinale Radzieuskio conjunctus, hujus quoq; vitam breviter texit, aitque ejus exemplo Episcopos Poloniæ purpuræ splendore captos, in curiam Romanam majore studio ferri. Unde factum judicat, ut Episcopus Posnaniensis, quo zelum suum Papæ approbaret, nobilem Lituanum ob Atheismi crimen comburi fecerit; cujus non alia fuerint indicia, quam quod nobilis ille argumenta Alstedii pro existentia Dei inverterit, & singulis in margine libri adscripserit: *Ergo non est Deus.* Rigorem ergo istum non Regi modo, sed & Papæ displicuisse. Hoc ipso anno Autor tertium missus in Galliam, ut P. Angelum Capuccinum medicinæ faciendæ peritia celebrem ad Reginam adduceret, admodum indigne fert, sibi diplomate Cæsareo munito in reditu Viennæ manus fuisse injectas, ex suspicione, quod argentum rebellibus Hungariæ apportaret. Res gestas hujus anni & inprimis Belgradum ductu Electoris Bavariæ expugnatum commemorans, non negat, Turcas ex Europa pelli potuisse nisi

nisi Gallus Imperii fines invadens Cæsaris vires distraxisset. Cujus quidem rei culpam in Cæsarem confert, qui bellum in Gallos meditatus fuerit, ab ipsis jure occupatum: quod omni carens verisimilitudine, hominis Galli in Regem suum studio condonandum est. Utrique tomo subjiciuntur nonnullæ epistolæ & acta, partim Latino, partim Gallico sermone perscripta, quæ illustrandæ firmandæque historiæ inserviunt.

## HYDROPHYLACIUM NOVUM.

seu

*DISCURSUS DE AQUIS SALUBRIBUS MINERALIBUS VEre novus. Authore JO. JACOBO FRANCISCO VICARIO, Philos. & Medicinæ Doctore, ac in Universitate Friburgensi Professore Publico.*

Ulmæ Suevorum, apud Laurentium Kronigerum & Hæredes Gœbelii, 1699. in 8. pl. 18.

Biennium est, ex quo *Cl. Autor* Institutiones Medicas sive *Basin Medicinæ universæ* in lucem emisit; novum sequitur *Hydrophylacium* præsens, multo tamen tempore ante Basin illam elaboratum, utpote ea potissimum comprehendens, quæ Autor, Physicum A. 1686 Veldkirchii agens, circa superioris Rhætiæ aquas minerales observavit, in *tres* digesta *Sectiones*. In *prima* harum *theoretica*, quemadmodum aqua mineralis asseritur salutaris, quæ ex mineris sive cryptis terræ prosiliens cum aliqua subterranea ita participat intime minera, ut labefactatam hominis sanitatem rite adhibita in melius alterare valeat: sic omni medicatæ aquæ, sive potabili, sive balneabili, sive frigidæ, sive calidæ, subtilior æque seu spirituosa, ac crassior magisque corporea substantia inesse propugnatur. Spirituosa portio ipsius spiritus universalis subterranei acidi innuitur soboles, in quantum hic ab igne subterraneo expirans, atque aquæ sive vaporosis aliis humoribus in fornicibus terræ associatus, metalla & mineralia varie dissolvendo, varias quoque fontium ejusmodi medicatorum differentesque species producat. Crassiora vero contenta, mineralibus reliquis non sine ratione rejectis, vel in acidulis ab aliquo metallo in vitriolum redacto, vel

a sulphure in thermis, ab igne alias subterraneo incalescentibus, prolixius derivantur, adeoque solæ vitriolaceæ & sulphureæ aquæ nobilium & vere medicatarum titulo dignæ, at sedimenta, quæ ab aquis nonnullis nunc rubra, nunc lactea, nunc sub alia forma deponuntur, non nisi magisteria ab aeris accessu, vel ob spiritus etiam volatilis secessum, præcipitata, reputantur. Hinc in *altera sectione*, quæ *parascevastica* inscribitur, ubi de diversis modis, quibus minerales aquæ examinari soleant, v. g. per destillationem, evaporationem, ponderationem, putrefactionem, & præcipitationem, latum fuit judicium, edocetur uberius, quæ circumstantiæ quoad tempus, locum &c. attendi, quaque ratione modi antea recensiti rite conjungi, ac sedimenta cumprimis, vel sponte, vel arte præcipitata, fundi, fusaque per solutiones, capellationes, &c. explorari debeant, quo penitior aquarum, tam vitriolicarum quam sulphurearum, harumque vel frigidarum, vel calidarum, item ex vitriolo & sulphure mixtarum, acquiratur cognitio. E multis autem ejusmodi aquis fons Tschagunensis in exemplum proponitur, ut pateat, quomodo vitriolicæ ejus venæ indagatæ fuerint. Primo namq;, cum examen dicti fontis institueretur, cœlum sudum extitisse ac serenum, adeoque aquam nulla serina inquinatam; secundo, in superiori loco duplicem comparuisse venam, sulphuream unam, alteram vero vitriolaceam, fontemq; colliculo & duobus amnibus stipatum; tertio, aquam frigidam profluxisse ex cunctis venis limpidissimam ac omnino diaphanam; quarto, terra herbosa quidem tegi colliculum, at sicca, superiori autem tegmine paulisper remoto, sabulum subesse silicibus minoribus intermixtum; quinto, aquam vitro exceptam odorem acidulum exhalasse, vix autem notabili acore linguam titillasse, ac ultra mensuram haustam appetitum stimulasse; sexto, ad fontis scaturiginem bolarem quandam terram rubram sive ex flavo rubellam copiosissime subsedisse, aquam vero, nec piscium vitæ protrahendæ, nec ciceribus emolliendis accommodatam, lac coagulasse; septimo, in aquæ ad præscriptam methodum ponderatæ uncia qualibet, duo fere grana mineralium delituisse; octavo, ab aqua ad normam veterum destillata merum phlegma insipidum, a nullo alio liquore alterabile prodiisse, capite mortuo pariter insipido relicto; nono, evaporatam eandem aquam crystallos minimas cuspidales & insipidas exhibuisse, quæ nec cum alcali, nec cum acido ebullierint, ab acido tamen spiritu

sine

ſine ſtrepitu diſſolutæ; ultimo, ab oleo tartari per deliquium & ſpiritu urinæ, neutiquam vero ab acidis ſpiritibus, neque a nitri, ſalis communis & aluminis ſolutionibus, turbatam aquam fuiſſe, cum deſcenſu coaguli quaſi albi æqualis illi, quod pari prorſus modo ex vitriolo albo conſuevit præcipitari. Tandem in *ſectione tertia practica*, dum geminus mineralium aquarum, potabilium & balneabilium, latiſſime exponitur uſus, partim in genere modus extricatur, quo utriuſque generis aquæ videantur operari, partim morbi in ſpecie enumerantur, in quibus, diæta & cautelis probe obſervatis, quæ ante, in & poſt earundem uſum jubentur attendi, egregie conferant. Nempe ex potabilibus aquis, uti maxime acidularum eæ, quæ de vitriolo martis participant, in cacochymia pariter biliosa ſive acido volatili oleoſo, atque melancholica ſeu acido fixiori, morbiſque inde dependentibus, laudantur: ita in genere laudatæ acidulæ martiales in affectibus ab acido, tam in ventriculo, nunc hujus fermentum acidum ſpirituoſum ſive ſal eſurinum augendo & appetitum excitando, nunc quiſquilias mucoſas attenuando tonumque roborando, quam extra ventriculum, ratione martialis portionis in duodeno ab alcali bilis præcipitatæ, omne acidum in inteſtinis obvium deſtruendo, deſtructique excretionem per alvum vel urinam promovendo, in biliosis autem morbis bilem diluendo eamque viſcidam incidendo, & ſic inertem bilem corrigendo & fluidiorem reddendo, vires perhibentur exerere. Speciatim in catarrhis calidis, nonnullis phthiſeos ſpeciebus, agrypnia, capitis affectibus per conſenſum, ictero, chloroſi, colica, præſertim convulſiva, hydrope, calculo, gonorrhœa, lepra, fluore albo, malo hypochondriaco, vitiis menſium, lumbricis, ſterilitate, febribus intermittentibus, dyſenteria benigna, arthritide & affectibus cutaneis, uſus acidularum, aliquando calefaciendarum, deprædicatur & ſubinde exemplis confirmatur proficuus, etiam per modum balnei in pareſi ex colica & febribus, vel in ſcorbuto oris per modum gargariſmi, adhibitus. Thermarum autem poſtquam differentia ab aliis balneis declarata, & emolumentum inſigne ex eo commendatum fuit, quod in cacochymia pituitoſa, humores craſſiores fluxiles efficiant, impedimenta amoveant, ſtagnationem auferant, tranſpirationemque promoveant, in ſeroſa vero ſeroſitatem ſuperfluam extirpent, ac in cutaneis affectibus abſtergant, exſiccent, invertant & glutinent; ſpecialius in hemi-& para-

paraplegia, mulierum ſterilitate, menſibus deficientibus vel nimiis, fluore albo, calculo, iſchuria, incontinentia urinæ, corpulentia nimia, ſcabie & ulceribus antiquis, multum prodeſſe thermas, adverſus Lamzwerdium adſtruitur.

## *ECLIPSIS SOLIS, ANNO M. DC XCIX, D. $\frac{13}{23}$ SEPT. obſervata Norinbergæ, a JOANNE PHILIPPO WURZELBAUR.*

Norinbergæ, typis Jo. Andr. Endteri filiorum, fol. plag. 2. formæ majoris, cum iconiſmo $\frac{1}{2}$ plag.

EX diverſis, quæ ad manus noſtras pervenerunt, memorabilis hujus Eclipſeos obſervationibus, Clariſſimi *Wurzelbaueri* præcipue B. L. communicamus: quod eadem, cum typis extet publicis elegantisſime deſcripta delineatque; tum commentariolo inſtructa ſit, ſeriem obſervationis, & momenta inde deducta continente; æquinoctia etiam labentis hujus anni quam diligentiſſime obſervata exhibeat. Quorum obſervationes ſtudioſe dextreque ab Aſtrorum conſultis inſtitui, publici nunc vel maxime intereſt, poſtquā abrogata, communi Statuum Imperii Proteſtantium conſenſu, forma Calendarii Juliana hactenus recepta, de mediis mature ſed conſulto diſpiciendum eſt, quibus annuæ temporum Tabulæ motibus Luminarium cœleſtium, in quo ardui hujus inſtituti cardo unice vertitur, deinceps examuſſim & perpetuo concilientur.

TAB. X. Typo Eclipſeos ex *Autoris* Schediaſmate, quod Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſinæ (quam in arctius ſecum commercium adſciviſſe *Autorem* noſtrum, *eidem* oppido gratulamur) inſcripſit, huc translato, jungimus Tabulam, ordinem & quantitatem Phaſium, cum temporibus horologii oſcillatorii, ſingulis phaſibus correſpondentibus, & cum ſciaterico horizontali exacto, ſingula minuta referente, altitudinibuſque Solis ſolicite captis, accurate conſpirantibus, exponentem; cui adeo tuto fidem habere poterit, qui Eclipſin hanc ſive ad ſuos ſive aliorum calculos examinare, e re ſua exiſtimabit.

*Ordo*

| *Ordo Phasium.* | *Quantitas.* | *Tempora Horologii Oscillatorii.* |
|---|---|---|
| Num. | Dig. min. | H. M. S. |
| Initium. | - -- | VIII. 57 14 |
| 1 | 0 52 | IX 3 26 |
| 2 | 1 32 | 8 23 |
| 3 | 2 28 | 14 14 |
| 4 | 3 19 | 19 40 |
| 5 | 4 8 | 24 57 |
| 6 | 5 15 | 31 57 |
| 7 | 5 50 | 35 2 |
| 8 | 6 26 | 38 43 |
| 9 | 6 53 | 40 36 |
| 10 | 7 20 | 43 47 |
| 11 | 7 56 | 50 39 |
| 12 | 8 30 | 55 9 |
| 13 | 9 23 | X. 1 44 |
| 14 | 9 53 | 5 46 |
| 15 | 10 24 | 10 34 |
| 16 | 10 38 | 14 37 |
| 17 | 10 45 | 17 54 |
| 18 | 10 45 | 22 29 |
| 19 | 10 12 | 27 31 |
| 20. | 9 49 | 30 10 |

| *Ordo Phasium.* | *Quantitas.* | *Tempora Horologii Oscillatorii* | | |
|---|---|---|---|---|
| Num. | Dig. min. | H. | M. | S. |
| 21 | 9 21 | X. | 33 | 11 |
| 22 | 8 52 | | 35 | 53 |
| 23 | 8 30 | | 38 | 46 |
| 24 | 7 38 | | 42 | 42 |
| 25 | 7 14 | | 46 | 7 |
| 26 | 6 33 | | 49 | 42 |
| 27 | 6 6 | | 53 | 22 |
| 28 | 5 27 | | 56 | 37 |
| 29 | 5 9 | XI. | 0 | 0 |
| 30 | 4 33 | | 4 | 24 |
| 31 | 3 57 | | 8 | 16 |
| 32 | 3 13 | | 13 | 3 |
| 33 | 2 41 | | 18 | 3 |
| 34 | 2 11 | | 21 | 37 |
| 35 | 1 32 | | 25 | 38 |
| 36 | 1 2 | | 28 | 27 |
| Finis | 0 0 | | 33 | 56 |

Notavit porro *Autor*, a phasi octava ad duodecimam usque, opacam Lunæ peripheriam a parte meridionali aliquantillum asperam, circa cornu autem septentrionale ad quartam fere segmenti partem læviorem: dum autem cornua Eclipseos horizonti fere parallela existerent, ante & post phasin decimam quintam, extremitatem periphe-

ripheriæ Lunaris gibbosæ deorsum nonnihil illuminatam & croceo quasi colore tinctam: stellas tamen, aura licet a nubilis libera conspectas nullas; nec etiam Venerem ipsam, nisi præstanti oculorum acie præditis, in aprico visam.

Disco Lunari ex plurimis magnitudinis diversæ, ad quina secunda differentibus, & ex charta spissiuscula exsectis disculis, circa & post phasin primam, nullum congruisse *Autor* memorat, nisi qui (assumto radio Solari 16′. 4″.) ad radium 15′. 30″ fictus erat; cumque successive in tantum ampliatum fuisse, ut majores subinde fuerint applicandi; & circa phasin trigesimam sextam peripheriæ Solaris segmentum disculo non minori, quam ad radium 16′. 5″ descripto, respondisse: ac proinde diametrum Lunæ, circa finem Eclipseos, Solarem si non superasse, certe æquavisse.

Huic observationi non abs re erit subjunxisse, in phasi *Autoris* 27ma, quæ est dig. 6. 6′, Lunam paululum supra duas tertias peripheriæ Solaris occupasse: quod argumento est, Semidiametrum illius eo tempore æqualem fuisse Solari. Nobis Lipsiæ ad momentum umbræ, centrum Solis, ante & post summam obscurationem, stringentis attendentibus, ob interjecta impedimenta, tam felicibus esse non licuit, ut notatis exacte peripheriarum intersectionibus, Solaris interceptæ quantitatem captare, diametriq; Lunaris cum Solari comparationem instituere, & utrum illa hac temporis intercapedine sensibilem mutationem passa fuerit, experiri potuerimus: utut oculorum judicio, aliis argumentis subnixo, eadem Solari minor sit habita.

Æquinoctia hujus anni juxta *Autoris* observationes contigere,

| | D | H | ′ | ″ |
|---|---|---|---|---|
| Vernum, Martii | 9. | 20. | 35. | 27. |
| Autumnale, Septembr. | 12. | 10. | 22. | 42. |
| Sed juxta Tabulas Autoris, | | | | |
| Illud, - - - - - - - - - | | | 40. | 30. |
| Hoc - - - - - - - - | | | 32. | 52. |

Præter hanc observationem habemus & binas alias Clarissimorum Virorum Dn. *M. Godofredi Teuberi*, Archidiaconi Cizensis, & Dn.

Cl. *M. Jacobi Honoldi*, Pastoris in pago Hervelsingen, diœceseos Ulmensis; illam *Cizæ*, alteram *Hervelsingæ* prope *Ulmam* Suevorum habitas, nitidissimeque expressas: quas cum pagellarum angustia integras huc transferre vetet, earum summa tantum momenta indicasse sufficiet. Cœpit autem illic Eclipsis die jam dicto hora 9. 0', desiit hora 11. 35', excrevitque ad digitos 11: hic vero initium suum sumsit hora 8. 55', finiit hora 11. 31': defectu maximo 10 digitorum,

Nobis Lipsiæ Luna Solis discum inire deprehensa est, tempore ex altitudinibus Solis correcto, hora 9. 11', exire hora 11. 38'. 30'': maxima obscuratio digitorum 11. 20', quasi duravit ab hora 10. 16'. 45'', per 6'. Obscuratis 10 digitis, aura cæteroquin defecatissima, luridam faciem induere cœpit, tristioremque, quam quæ cœlo sereno solet esse, Sole jam jam sub Horizontem condito. Galli etiam gallinacei, hactenus admodum canori, tanquam silentio imposito, & veluti cubitum ituri, conticuere omnes; nec nisi redintegrata eousque Solis luce ad pristinum vigorem & cantum rediere: præter Venerem autem nullam stellam aliam iis, qui cœli faciem sub dio tunc lustrarunt, hic visam accepimus.

---

# INDEX AUCTORUM

## quorum Libri aut Inventa hoc volumine recensentur.

## *I. Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.*

# *II. Libri Juridici.*



Slu-

# *III. Medici ac Physici.*



Vieussens

# *IV. Mathematici.*



# *V. Historici & Geographici.*

Schefferi

## *VI. Philologici & Miscellanei alii.*

# INDEX RERUM NOTABILIORUM
## in hoc Volumine obviarum.

Cancrosis

Chalcedonensis

Episcopo-

S.

Lum-

Motus

Pontifi-

Siberia

Transub-